Digitized by Google

BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III
165
L
21
NAPOLI

DE MONITORIIS ECCLESIASTICIS,

Ad extorquendam reſtitutionem, aut reuelationem;

Quid ſint ; Quando ligent ; Quomodo ſoluantur; Quàm formidandum eorum contemptoribus fulmen excommunicationis;

TRACTATIO BIPARTITA.

AVTHORE

R. P. THEOPHILO RAYNAVDO,
Societatis IESV Theologo.

NVNC PRIMVM PRODIT,
Neceſſariis Indicibus illuſtrata.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. III NAPOLI

LVGDVNI,
Sumpt. Gabrielis Boiſſat, & Socior.

M. DC. XXXVI.
CVM PRIVILEGIO.

AMPLISSIMO
ET NOBILISSIMO
DOMINO,

D. FRANCISCO DE PONAT,

REGIO IN SVPREMA Delphinatium Curia Conſiliario F.

SAPIENTER à monitoriis intelligo me admonitum, eruditam tui ſub vmbra patrocinij aucupandam eſſe lucem, CONSILIARIE AMPLISSIME. Quem enim tibi virtus exi-

mia ſplendorẽ conciliauit, publicum fecit, cùm fecit tuum, & noſtrum reddidit quando cõmunem fecit. Hoc habẽt publici fontes, vt ſingulorũ ſint, cùm proſtãt omnibus. Quî enim priuatũ foret, quod eſt cõmune? Te publicum, te communem vel hoc nomine intelligimus, quòd in aliis, quæ ſparſa decora demiramur & ornamenta, in te vnum collecta ſuſpicimus.

ANTIQVAM generis claritatem virtus omnigena, & vtramque ſingularis planè doctrinę ſplendor ſic illuſtrauit, vt alibi quærenda non eſſe quæ in te deſiderauerit inuidia, vel oderit, nõ ſine ſtupore maximo fateantur omnes. Pares certè ad inconcuſſam Rerump. felicitatẽ mortalibus expetebat Sapiens

Agri

Agrigentinus,qui erudita integritate, & perſpicaci, ita viderent in rebus,vt iuſtitiã cęteris cęcam facerent;eandémque,nullo laudatæ cęcitatis damno,in tenuiores redderent oculatam. Hæc, & cætera, veſtræ Familiæ,gloriâ cumulatiſsimâ ita conceſſa demiramur,vt incertum veſtris admiratoribus omnino fiat, an familiares vobis virtutes ſint , aut familia virtutum, vel hoſpitium , quo muſæ amico cum virtutibus ſociatæ coniugio, diuerterint ; vt ſuo velut è Cœlo omnibus ſeſe ſpectandas darent.

EO SIQVIDEM PATRE genitus, cuius multiplici doctrinæ gloria factum eſt , vt noſtra hæc ætas nulli prẹteritorum temporum eruditæ integritatis oracula inuideat:

qui ſapienti ſagacíque iudicandi mora commeritus eſt, vt ab aliis reiici minimè debeat, quod ſuo ipſe calculo comprobauerit; cùm ſapientia rebus omnibus pretium vel faciat, vel augeat: qui transfuſis cum ſanguine virtutibus, effundenda in vulgus oracula, tibi etiam tranſmitteret, niſi traductas in te virtutes, in fontem ſuum non mediocri cum fœnore refunderes, & qui à Patre habes vt magnus ſis, à te pater haberet vt maior exiſtimetur. Ita publicus ille mundi oculus, traiectis aduerſam in nubem radiis, effictam radioſo penicillo pulchriorem ſui aliquando imaginem contemplatur, & immiſſa terris lumina glorioſè fœneratur, dum repercuſſu in ſe, cla-

riora

riora conſpicit reſilire.

VIDE quàm Cœlo ſis acceptus, & tuam ſi potes felicitatem æſtima, quod illum tibi non ſine conſilio prouidit ſocerum AMPLISSIMVM IONMARONIVM, quem prudentia, quem pietas, ac ſingularium virtutum decora, huius prouinciȩ Phœnicem facerent, niſi ſibi parem in te nactus eſſet: vſque adeò ſibi & morum, aliorúmque præſtantia, concolorem te vidit, atque agnouit, amauítque in te prudentiæ, ac pietatis vultum ſuȩ, quas tu per affinitatem initam quaſi per inciles aureos corriuaſti, & mira indolis felicitate perfeciſti; prorſus vt illi multum, patri plurimum debeas, à quibus tantum gloriæ ſplendorem hauſi-

ſti;multò magis tibi, à quo impetratas quibus ſplendeſcunt virtutes, tam glorioſo in eos refundis fœnore.

PATERE igitur, vt tãtæ facibus Amplitudinis illuſtrati labores, lucem videant. In lucem certè prodeunt, cum te accedunt, nullas vnquam tenebras veriti, ſi modò tibi probari intelligam. Probatos vel inde aſſequar, ſi in hoc obſeruantiæ in me tuæ temporario monumento, æternum à me voluntatis addictiſſimæ vadimonium, & auctoramentum obſequij gratiſſimè amplectaris; viue & faue.

Amplitudinis tuæ addictiſsimus,

THEOPHILVS RAYNAVDVS,
è Societate IESV.

AMPLISS. ET NOBILISS.
DOMINO,

D. FRANCISCO DE PONAT,

CONSILIARIO
REGIO,

Ode Tricolos Tetraſtrophos.

PONATE, docti gloria ſanguinis,
Lux Gallicanæ maxima purpuræ,
Legum Sacerdos, liliati
Grande decus, columénque iuris.

Diues paterni ſtemmate nominis,
Cuſtos Mineruæ, nobilis inclytæ

Virtutis hæres, inſolénſque
Prodigium melioris æui.

Natura tanto prodiga ſemini,
Et ſors vetuſtis hoſpita patribus,
In te laborarunt auitæ
Diuitias cumulare lucis.

Plenos ſagaci Numine ſpiritus,
Deuota iuſtis pectora liliis
Natura formauit, nouúmque
Aſtra tulit paritura lumen.

Dein perſpicaci Numinis halitu
Afflauit artus, mens fuit ætheri,
Cæló que ſuppar, litterato
Ingenij grauidata fœtu.

Mox fraudulentis aduena finibus
Exoſa mentis tegmina veritas
Aram ſalutis, purpurato
In gremio poſuiſſe fertur.

Themis ſequaci fœdere regium

Intaminato

Intaminato pectore legibus
Tribunal erexit, ſuóque
Præſidium genitale mundo.

Illinc minacis facta licentiæ
Secura ſpernens, riſit inhoſpitæ
Portenta fraudis, proprióque
Inſidiæ periêre caſu.

Amica iuſti ſæpè ſilentij
Linguam fideli tradidit arbitro
Tuas honorans, muta voces
Vt propriæ monimenta vocis.

Spirauit in te filia Numinis,
Dignóſque pacto fœdere ſpiritus,
Sibi maritans, ſponte tantis
Hoſpitiis habitauit orbes.

Regenda iuſtæ pondera dexteræ
Tonantis hæres, credidit æquitas,
Lancéſque libratas eoſdem
Obſtupuit reperiſſe motus.

Fortuna

Fortuna rerum neſcia proſperos
Amare curſus; ſponte volubilem
Firmauit orbem, glorioſæ
Obſequio famulata gentis.

Faſces, paternæ ſymbola gloriæ,
Et longa magni ſtemmata ſanguinis,
Supplex adorauit, perennem
Familiæ venerata lucem.

Collectæ tanti gloria nominis
In te ſuaui lumine, nobiles
Gaudet Parentes, in Nepote
Inſolitis animare geſtis.

Omnes in vna cernit Imagine,
Si te intuetur, viuit in arduis
Stirps tota factis, vna reddit,
Effigies animata patres.

Aram Mineruæ Patria ſoſpitæ
In te eſſe credit, pronáque prouidos

Senſus

Senſus adorans plebs, fauenti
Intuitu recreata viuit.

En litterati filia pectoris,
Suſcepta iuſſu nuper amabili,
Procedit in lucem, tuóque
Obſequio meditatur ortus.

Ambit merentis ſydera purpuræ,
Ut glorioſi nomina ſanguinis,
Et ſtirpis illuſtrem ſilenti
Familiam veneretur ore.

Hanc eruditi gloria temporis,
Doctrina viuens, lingua ſcientiæ,
Theſaurus aſſeruans feraces
Ingenij meritíque partus.

Hanc purpuratis nutibus obſequens
Suſcepit vltrò, quæ tibi poſtmodum
Oblata, naſcens inter vlnas
Purpureos reperiret ortus.

Flamina

Sontes loquaci fulmine terreat,
Flammæ coruſcat lumine nobilis,
Ignéſque præcones PONATI
In varios iubet ire fines.

Vt prona bini littora climatis
Diſcant, forenſis lumina gloriæ,
Virtutis & flammas, in vno
Nobilibus radiare factis,

IOAN. PAPON, S. I.

AD EVNDEM
AMPLISS. ET NOBILISS.
DOMINVM,

D. FRANCISCVM DE PONAT,

CONSILIARIVM REGIVM
Iuris ſcientia clariſsimum,

ALLEGORIA.

TRANSCENDE colles, flumina traiice,
Exculta læui, Pagina, pumice:
Nec mitis Aſtrææ ſeuerum
Te pudeat ſubiiſſe limen.

Quà Dracus atro iungitur Iſaræ,
Conquire velox PONATIAM domum:
Hic ſupplicantum vota complet
Virgineq Themis alma templo.

Bonis

Bonis amicam,terribilem malis
Diuam videbis,vel meritâ pios
Mercede donantem,vel atrox
Enſe truci ſcelus inſequentem.

Stipant ſedentem Nobilitas,Fides,
Pulchráque Muſæ fronte, ſororiis
Vtrinque ſublimes reſidunt
Relligio,Ratióque ſellis.

At cæca Virgo ſedis eburneæ
Subnixa fulcris,hinc trutinæ iugum
Suſtentat,illinc fulminanti
Terret humum metuenda ferro.

Miraris! hæres! quid dubitas? minis
Quæ terret omnes,blanditiis tibi
Fauebit arridens,& vnde
Mors aliis, tibi vita ſurget.

Affare verbis nil trepidantibus,
Dum tu ſecures faſcibus expedis
Tectas,& vlturæ ſceleſtos
Arma refers capienda dextræ,

Terror propinquos depopulantium,
Tutela pacis, iuſta libidinum
Vindex, & oppreſſi leuamen,
Certáque pernicies ſuperbi.

Scis,

Scis,quanta terras nequitia inquinet,
Quàm ſæpè Numen prouocet impius,
Quàm ſæpè fraternum cruento
Sacra fames petat enſe pectus.

Tuum eſt paterno more,cadentium
Errata virgis tollere mollibus:
Mentíſque duro peruicacis
Flagitium reſecare ferro.

Potente faſces arripe brachio,
Securitatem ciuibus vt domi
Præſtes beatis,vtque tutos
Nocte, die terat hoſpes agros.

Sic cum Tonanti fulmina diuides;
Sic in ſuperbos Acroceraunia
Montes, ab alto detonabis,
Et trepidi fugient Leones.

SIMON BEY, S. I.

Approbationes Theologorum.

LIber, cui titulus eſt: *De Monitoriis Eccleſiaſticis, & non contemnenda eorũ contemptoribus gladij Eccleſiaſtici exſertione*; & vndecunque ſanus eſt, & eximiam eruditionem Autoris R. P. THEOPHILI RAYNAVDI ex Societate IESV Theologi, exquiſitè redolens. Quare prelo digniſſimus meo iudicio eſt, & magno commodo in tam frequenti illius materiæ vſu futurus. In Diuæ Claræ extra & propè Camberium, 29. Iunij, 1636.

Frater IOANNES BERLYE, A.R.S. *Theologorum minimus, ſic iudico & cenſeo.*

OPus de Monitoriis Eccleſiaſticis, & non contemnenda eorum contemptoribus gladij Eccleſiaſtici exſertione *à* R. P. THEOPHILO RAYNAVDO *Societatis noſtræ Theologo conſcriptum, meritò in lucem prodibit, ad extricationem nodorum illius negotij, quibus in dies plerique fidelium implicantur. Eſt autem ea doctrinæ ſoliditate, ac varietate compoſitum, vt nec cenſuræ inofficioſæ, nec lectoris faſtidio ſit timendum. Ita cenſuimus, qui illud accuratè euoluimus, adſcripti ex Societate Theologi.*

AMATVS GASPAR D'ALBARD.

ALBERTVS BOÜING.

CLAVDIVS DECROSO.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi.

EGo CLAVDIVS BONIELLVS, Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi Prępoſitus Prouincialis, Opus, quod inſcribitur, R. P. THEOPHILI RAYNAVDI, *è Societate* IESV, *de Monitoriis Eccleſiaſticis, déque formidanda gladij Eccleſiaſtici exſertione*, trium Societatis eiuſdem Theologorum iudicio probatum, iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis HENRICO III. 10. Maij, 1583. HENRICO IV. 20. Decembris, 1606. & LVDOVICO XIII. nunc regnante, 14. Februarij, 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus noſtræ Societatis compoſitos, abſque Superiorum eius permiſsione imprimant: Permitto GABRIELI BOISSAT, ac Sociis, Bibliopolis Lugdunenſibus, vt ad nouẽ proximos annos excudere, ac liberè diuendere poſſint. Datum Camberij, 26. Iunij, 1636.

CLAVDIVS BONIELLVS.

Facultas Ordinarij.

LIber R. P. THEOPHILI RAYNAVDI, *ex Societate* IESV *Theologi*, de Monitoriis Eccleſiaſticis, & non contemnenda gladij Eccleſiaſtici exſertione, *facta per nos poteſtate typis mandatus euulgatur; Tum quia ſanam vndecunque eius doctrinam, & ex Theologorum iudiciis, & ex pleriſque aliis Autoris lucubrationibus compertam habemus; Tum etiam quia in magnam optatiſsimæ frugis ſpem venimus ex hoc Opere; quo æſtimata ſuis momentis damnoſitate excommunicationis, quotidianas animorum ruinas ob inconſultiſsimam tam grauis animaduerſionis contemptionem, auertendas Deo benè propitio confidimus. Lugduni, Pridie Calendas Nouembris*, 1636.

DEVILLE, Vicarius Generalis Subſtitutus.

CONSENSVS.

LIbrum, cui titulus eſt, *De Monitoriis Eccleſiaſticis, & non contemnenda gladij Eccleſiaſtici exſertione*, Autore R.P. Theophilo Raynaudo, Societatis I E S V Theologo, typis mandari publicis, ac in lucem exponi à Gabriele Boiſſat, Lugdunenſi Bibliopola, & Sociis, ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Conſiliarius & Procurator non impedio. Die 4. Nou. 1636.

PVGET.

PERMISSIO.

VIſo Procuratoris Regis conſenſu, Librum hunc typis mādari à Gabriele Boiſſat, Bibliopola Lugdunenſi, & Sociis, concedimus; & ne quis vltra conceſſam facultatem denuò excudat, defendimus. Datum Lugduni, die quintâ Nouembris, 1636.

SEVE.

SYLLABVS CAPITVM VTRIVSQVE PARTIS, TRACTATVS DE MONITORIIS Eccleſiaſticis,& cauendo eorum neglectu.

PARS PRIMA.

DE Monitorij Eccleſiaſtici natura, viribus,nexibus,& exſolutione.

PROLOQVIVM. *Operis vtilitas, & aliqua etiam neceſſitas indicata.* pag. 1

CAPVT I.

De Natura & Cauſis monitorij,nonnulliſque eius adiunctis,generatim.

5

QVAESITVM I. *Quid ſit monitorium de quo in hac tractatione agendum eſt.* 6

2. *Quotuplex ſit monitorium.* 11

3. *Pro cuius generis materia concedi queat monitorium.* 13

4. *Cuiuſmodi eſſe oporteat materiam ſaltem indi-*

rectè ſpiritualem pro qua monitorium conceditur. 18

5\. *Num quoties materia eſt non vulgaris, ſit locus monitorio.* 23

6\. *An in ciuili duntaxat cauſa, aut etiam in criminali concedi queat monitorium.* 25

7\. *Concedendúmne ſit monitorium, ſi materia ſit eiuſmodi, vt ipſam monitorij conceſsionem vel promulgationem, conſecutura ſit infamia.* 31

8\. *An perſona in quam monitorium decernitur, debeat eſſe incerta & occulta.* 33

9\. *Debeátne qui monitorio feritur, ſubditus eſſe Præſulis monitorium ferentis.* 37

10\. *Quis poſsit monitoriũ concedere.* 46

11\. *Quomodò ſecularis poteſtas ad monitorij conceſsionem ſe habeat.* 53

12\. *An Iudex Eccleſiaſticus poſsit monitoria ex Officio & nemine petente concedere, vel tantùm ad inſtantiam partis, & cuius partis.* 55

13\. *Vbi, & quando ferri queat monitorium.* 58

14\. *Quid conferat terminus temporis monitorio præfixus, & quomodò intelligatur.* 61

15\. *Quid ferant voces illæ monitoriis interdum adhibitæ*, Ex tunc prout ex nunc; *Vel* ex nunç prout ex tunc, *excommunicatione ſit perculſus, qui non paruerit.* 74

16\. *Quamdiu*

16. *Quamdiu vis monitorij durare ſit cenſenda.* 77

CAPVT II.

VIres monitorij ad extorquendam reſtitutionem. 81

QVAESITVM I. *Quis monitorio ad reſtituendum lato ligetur, generatim loquendo.* 81

2. *Quis ſit intactus à monitorio ad finem reſtitutionis lato, generatim loquendo.* 92

3. *An impotens ad reſtituendum ligetur monitorio reſtitutionem mandante.* 95

4. *Num qui ſe iuſtè compenſauit, obſtringatur monitorio ad finem reſtitutionis.* 102

5. *An monitorium liget donatarium non reſtituentem res ſibi donatas contra ſtatutum irritans, vel abſque inſinuatione, aut per diſpoſitionem minùs ſolemnem.* 107

6. *An qui rem habet ſibi debitam, cùm ſunt creditores ipſo anteriores, ligetur monitorio reſtitutionem indicente.* 114

7. *Monitorium ad finem reſtitutionis, an vinciat eum, qui ritè rem præſcripſit.* 116

8. *Num depoſitarius rectè negaturus rem ſuam domino, vrgeatur monitorio ad eam reddendam.* 118.

9. *An qui rem alicui, ſolo promiſſionis à ſe factæ titulo debitam habet, monitorio de reſtituendis promiſſarij rebus lato, ad eam exhibendam obſtringatur.* 120

10. *Qui rei alienæ pretium latroni numerauit, an monitorio ad eam reddendam ligetur, negata, aut non ſperata refuſione pretij.* 121

11. *An donatarius, vel hæres inſtitutus, data fide de bonis indigno refundendis, ligetur monitorio ad ea bona reſtituenda illi, cui iure alioqui eſſent obuentura.* 125

12. *Num vxor & filij ligentur monitorio indicente reſtitutionem rerum mariti, vel patris ad eius inſtantiam lato.* 128

13. *Quid ſi monitorium ob mariti vel patris bona reſtituenda, ad creditorum vel fiſci inſtantiam ſit latum.* 130

14. *Num donatarius vel emptor, præſertim fiduciarij, ligentur monitorio ad finem reſtitutionis bonorum ſic donatorum vel emptorum ab obærato.* 133

15. *Quatenus monitorium vrgere poſſit ad reſtitutionem ſcripturarum.* 138

16. *Libérne ſit à monitorio qui rem alienam reſtituendam commiſit infideli internuncio retinenti eam ſibi.* 144

17. *Quomodo facienda reſtitutio vi monitorij.* 147

18. *In*

18. *In dubio de obligatione reſtituendi, an liget monitorium.* 150

CAPVT III.

Vires monitorij ad extorquendam reuelationem. 152

QVAESITVM I. *Quis monitorio ad finem reuelationis lato, obſtrictus aut liber ſit, generatim loquendo.* 153

2. *Num culpam prorſus occultam reticens, ligetur monitorio ad reuelandum.* 156

3. *Ligétne monitorium, ſi ea reuelare mandet quæ probare non poſſumus.* 161

4. *Síntne vi monitorij reuelanda quæ fuerint ſecretò concredita.* 165

5. *Inducatúrne per monitorium obligatio aperiendi accepta à quocunque, aut quæ verè non ſcimus.* 175

6. *Poſsítne per monitorium non rei tantùm circa quam delictum admiſſum eſt, ſed etiam perſonæ quæ deliquit, reuelatio indici, puta furis & rei furto ſubductæ.* 177

7. *Ligétne monitorium mandans detegi culpæ manifeſtæ occultum autorem* 179

8. *An reus delicti in noſmetipſos admiſsi ſit neceſſariò detegendus vi monitorij.* 183

9. *Reus*

9. *Reus iam emendatus, an vi monitorij detegendus.* 184

10. *An reus vi monitorij ſeipſum detegere teneatur.* 188

11. *Sítne obligatio detegendi complicem, vi monitorij.* 201

11. *Ligétne monitorium ad pandendam perſonam criminoſam valdè coniunctam.* 208

13. *An monitorium obligationem iniiciat detegendi eum qui reuera non deliquit, vel abſque culpa omittit, quod monitorio mandatur.* 212

14. *Sítne obligatio detegendi quos pars vel Iudex in monitorio includi noluit.* 215

15. *Cui & quomodo facienda ſit reuelatio per monitorium indicta.* 218

16. *Num reus vi monitorij detegendus ſit omiſſa correctione fraterna.* 221

17. *Teneatúrne quis vi monitorij reuelare cum graui ſuo aut ſuorum damno.* 225

18. *Quid ſi ex reuelatione per monitorium indicta, ſecuturum ſit graue iniuſtum damnum tertij cuiuſcunque.* 228

19. *An procul eundum, & cuius expenſis, vt fiat reuelatio indicta per monitorium.* 230

20. *An teſtes priuilegiati, vel ad teſtificandum inhabiles, ad reuelandum teneantur vi monitorij.* 232

21. *Conſcius negotij quod iurauit non reuelare, an ligetur monitorio ad reuelandum.* 236

22. *Num quos Iudex reuelandi obligatione exemit, ligentur monitorio.* 237

23. *Dubius de monitorij obligatione, an reuelare teneatur.* 238

24. *Ad quid teneatur qui abſque idonea excuſatione reticuit, quæ monitorio iuſſus erat reuelare.* 240

CAPVT IV.

De exſolutione à nexibus per contumaciam erga monitorium malè contractis. 243

QVAESITVM I. *Quis poßit excommunicationem monitorij neglectu intortam tollere.* 244

2. *Quomodo cenſura monitorio conſerta ſit tollenda in foro interno & externo, & num ante ſatisfactionem reipſa exhibitam.* 247

3. *Egeátne abſolutione qui poſt contractam monitorij cenſuram, rediens ad cor ſatisfecit, aut remiſſionem à parte obtinuit.* 250

4. *Num abſolutio à cenſura monitorij poſsit accipi per interpoſitam perſonam.* 253

5. *An cenſura monitorio adiuncta, tolli poſsit ſub conditione.* 255

PARS SECVNDA.

DE cauendo monitorij contemptu, & extimeſcenda gladij Eccleſiaſtici per excommunicationem exſertione. 261

CAPVT 1. *Seponitur excommunicatio impropria vel ſecundùm quid dicta. Statuitur de ſolius antonomaſticè dictæ excommunicationis horrore diſſerendum.* 264

2. *Præſuppoſitio neceſſaria. In quo ſit ſita propriè & ſimpliciter dicta excommunicatio, de cuius horrore agendum eſt.* 275

3. *Excommunicationem propoſitam locum aliquatenus erga defunctos quoque habere poſſe.* 336

4. *Quomodo mulcta in bonis propoſitis præſertim ſpiritualibus & quoad vita functos, cum ſpiritu lenitatis & manſuetudine Eccleſiæ erga peccatores cohæreat.* 356

5. *Quàm formidanda ſit excommunicatio, eruitur ex tam multis priuationibus quas infert viuis.* 375

6. *Virulentia excommunicationis ex damnis quæ mortui fideles ob eam in vita contractam, nec ablatam, ſubeunt, aperitur.* 445

7. *Horror excommunicationis ex damnis eius per* ritum

ritum accidentarium quo ſolemniter intorquetur, expreſsis. 454

8. *Quomodò excommunicationis pernicies in Scripturis noui Teſtamenti exprimatur.* 472

9. *Adumbrationes Chriſtianæ excommunicationis in veteri Teſtamento, ad cladis per eam illatæ intelligentiam clariorem.* 520

10. *Summa excommunicationis calamitas per analogiam ad extremam impiorum à bonis ſegregationem cuius eſt typus, iuxta ſupremæ illius ſegregationis expreſsionem in vtriuſque Teſtamenti Scripturis.* 542

11. *Diuinum pro extimeſcenda excommunicatione ſuffragium factis exhibitum, ſiue exempla diuinæ vindictæ in quoſdam excommunicatione perculſos.* 552

12. *Alterum diuinum ſuffragium pro excommunicationis malignitate ex variis effectibus ſimilitudinariæ excommunicationis in res irrationales intortæ.* 574

13. *Senſus Eccleſiæ de excommunicationis malignitate.* 588

14. *SS. Patrum de extimeſcenda excommunicatione teſtimonia.* 594

15. *De excommunicationis virulentia, Iuriſperitorum & Theologorum iudicium.* 607

16. *Exempla Summatum, quibus excommunicatio*

horribilis

horribilis & valdè extimeſcenda viſa eſt. 614

17. *Iudæis quoque excommunicationem horrori fuiſſe. Obiter item quantoperè Ethnici ſuam qualemcumque Chriſtianæ excommunicationis adumbrationem refugerint.* 628

18. *Quare excommunicationis horror inter Chriſtianos obſoleuerit, cauſa ex parte plebis fidelium.* 641

19. *Cauſæ neglectæ excommunicationis, tenentes ſe ex parte Præſulum per quos vibratur.* 658

20. *Quid agendum ei, in quem poteſtas ſacra, iuſtè, vel iniuſtè excommunicationem intorſerit.* 695

PARS

PARS PRIMA.

De Monitorij Eccleſiaſtici natura, viribus, & exſolutione.

PROLOQVIVM.

Operis vtilitas, & aliqua etiam neceſſitas, indicata.

DE Eccleſiaſticis monitoriis ad quorum conſiderationem aggredimur, dupliciter poteſt inſtitui tractatio. Nempe primò in ordine ad forum contentioſum. Secundò in ordine ad forum internum. Priore modo de monitoriis egerunt nonnulli Iuriſperiti, quos inter Ioannes Neuizanus libro 3. Syluæ Nuptialis, Iudicibus ſuperioris ſeculi veluti cortyna

fuit, è qua poſcerent oracula ad diſſolutionem ambiguitatum,quę plurimæ ac frequentes circa monitoria exiſtunt.Minùs tamen ſibi ab eo ſatisfactũ profeſſus eſt Ludouicus Vitalis, qui vergẽte ad finem eodem ſuperiore ſeculo,eandem molam verſauit,Tractatu *de reis & teſtibus monendis,ac per cenſuram Eccleſiaſticam cogendis.*Eius enim lucubrationis propè initio, de Neuizano pronunciat, regnaſſe illum quidem in ſacris tribunalibus ac foro;hallucinatum tamen ac lapſum non ſemel eſſe , pleraque digniſſima quæ peruaderet , ſicco pede tranſiiſſe,plurima ne attigiſſe quidem:in ſumma, imperfectam admodùm & inaccuratam huius negotij diſquiſitionem dediſſe. De hac laborum Neuizani cenſura, déque ipſius Vitalis ſcriptione,quæ æquè in fori tricis & ſubtilibus iuris circa monitoria ſpinoſitatibus, vniuerſa ferè conſumitur, ſtatuere non eſt meum. Viderint qui monitoria vix alio fine conſiderant, quàm vt demonſtrent quatenus locum in iudiciis habere, quatenus in illo forenſi ſtrepitu declinari aut eneruari poſſit eorum vis;quod eſt (vt dixi) Iuriſperitorum proprium munus. Nos poſteriorem monitorij conſiderationem inibimus , ea in vnum faſcem adunantes, & certa methodo comprehen

hendentes, quæ ſparſim Theologi ac Summiſtæ de hoc argumento prodiderunt, vt ſoli conſcientiæ foro ſeruirent. Quanquam non deſunt apud nonnullos Iuriſperitos, Panormitanum præſertim, Gutierrē, Barboſam, atque Lazarium, quę ad hunc ſcopum faciant, & deflorari cum fructu poſſint, iis reciſis quæ alterius ſunt inſtituti, pertinentque ad illas quas dixi ſpinoſitates, à quibus nos & vitæ ratio auocat, & vicinia ad illas pedicas de quibus ſunt admodum ſeuera SS. Patrū iudicia; Nyſſeni præſertim hom. 5. in Eccleſiáſten, ac Bernardi 1. de cōſid. c. 10. & eruditi æquè ac amœni ſcriptoris, Petri Bleſenſis epiſt. 26. & 139. Vt autem ad ſcopum propoſitum faciliùs pertingamus, non erimus generalibus reſolutionibus contenti. Sed quia vt Ariſtoteles 1. Ethicorum ſapienter admonuit, ſermones morales quo magis ad particularia deſcendunt, eo ſunt fructuoſiores, & formandis moribus opportuniores, ad varias quæſtiones ſigillatim deſcendemus, quibus ea proponemus enodanda, quorum crebrior eſt vſus, & vnde conſcientiarum illaqueatio frequentiùs exiſtit. Neminem quippe latet, quàm ſit res hæc vt quotidiana, ita anceps & lubrica; in qua multi per ignorantiam irretiantur ac pereant,

multi fruſtra angantur animis. Nam fidelium plerique, audita monitorij promulgatione, iuſto meticuloſiores, tranſgrediuntur limites obligationis quã monitorium iniicit; & quædam bona fide & ſimplici animo velut ex neceſſitate præſtant, quæ reuera prætermitti vel licuerat vel oportuerat; ea eſt vis excruciationis, quam ab his (vt ita dicã) Eccleſiaſticis tormentis, inferri piis mentibus vſu aſſiduo docemur. Alij è contrario, per cõſcientiam erroneam exitium ſibi æternum creant, omittẽtes cum culpa graui (quia ſe verè aſtringi putant) quæ depulſo errore prætermittere abſque cõſciẽtiæ ſauciatione & numinis offenſa potuiſſent. Quare vt debitus excommunicationis metus retineatur, neque tamen qui ab excommunicatione intentata intacti eſſe debent, vanis terroribus vel angantur fruſtra, vel impellantur ad peccandũ, rem animarum bono accommodatã præſtabimus, incũbentes in hanc curã, vt breuiter ac perſpicuè exponatur, quis monitorio ad reſtitutionis vel reuelationis finẽ lato obſtringi cẽſendus meritò ſit; quis itẽ iuſtã habeat causã quominus ſe eo vinciri putet. Qua in re, declinationis culparum in hoc negotio, & pacationis animorũ cardo vertitur.

CAPVT

CAPVT I.

De natura & cauſis Monitorij, nonnulliſque eius adiunctis generatim.

PRÆMITTEMVS breuiter, cauſas Monitorij internas & externas. Internæ ſunt, formalis quæ ratione quidditatiua ſeu definitione continetur; ac materialis, quæ ſita eſt partim in re ob quam fertur Monitorium, partim in eo qui vrgendus eſt ad aliquid præſtandum interuentu monitorij. Externæ verò cauſæ ſunt, effectiua & finalis. Prior eſt perſona habens ius præcipiendi, intentata in contumacem excommunicatione. Eius autem velut appendix, eſt pars, qua inſtante & vrgente conceditur monitorium. Poſterior in præſenti negotiò duplex eſt; nempe recuperatio rei ſubtractæ, & reuelatio arcanorum. Dicendum de ſingulis eodem ordine.

QVÆSITVM I.

Quid ſit Monitorium, de quo in hac tractatione agendum eſt.

RESpondeo eſſe præceptum ſub excommunicatione generaliter intentata, præmiſſis monitionibus, ad compellendos rei alienæ detentores vt reſtituant, vel conſcios rei arcanæ vt eam detegant. Hæc definitio colligitur ex Conc. Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. Eius plena notitia habebitur ex dicendis tota hac tractatione, nunc generatim & breuiter eſt attingenda.

Generis locum tenet *præceptum*. Vocant enim Iuriſperiti *monitorium*, præceptũ iudicis, citationi æquipollens, quo mandat vt quis compareat, vt habetur cap. *conſuluit*. de offic. deleg. & ex cap. 2. de teſtibus. Mandatum ergo quo Iudex Eccleſiaſticus generaliter præcipit, vt qui talem rem alienam detinet, eam reſtituat, vel quiſquis talę arcanum nouit, illud aperiat, vel certè ſiſtat ſe rationem redditurus cur tali præcepto parere non debeat; huiuſmodi inquam mandatum, dicitur monitorium. Quia verò tali pręcepto Iudicis Eccleſiaſtici, adiungi ſolet pœna excommunicationis aduerſus eos qui intra terminum exequendo præcepto præfixum non fuerint dicto audientes; propterea inualuit vſus, vt ipſa quoque excommunicatio adiuncta, donetur monitorij nomine. Frequens enim eſt, vt acceſſorium ſortiatur nomen principalis. Potuit etiam fortaſſis attendi ad pręuias huic excommunicationi

municationi monitiones. Inde enim hauſtum eſſe monitorij nomen, haud obſcurè inſinuatur in Concilio Tridentino ſeſſ.illa 25.cap.3.de reform. Quamuis autem præmiſſio monitionum, communis ſit cuiuis excommunicationi ab homine; tamen non eſt nouum, vt nomen commune fiat proprium alicui particulari, præſertim ſi illud particulare quoad participationem formæ à qua nomen petitum eſt, vulgatius ſit, vt contingit in re præſenti. Pro nulla enim excommunicatione tam notæ ſunt plebi monitiones præuiæ, quàm pro ea de qua agimus. Alterutram ergo ob cauſam, hæc excommunicatio, nominata eſt *monitorium.*

Cur hanc excommunicationem dixerim eſſe generalem, apertius infra fiet. Videbimus enim eam nunquam concedi, quandiu alia iuris ſubſidia ſuppetunt. At ſemper ſuppetunt, quando non latet perſona quæ per monitorium vrgenda eſſet, ſed eſt ſpecialiter nota. Itaque hæc excommunicatio ob perſonæ incertitudinem, fertur generaliter tantùm, ſaltem vt plurimum vt infra dicam, & idcirco vocatur excommunicatio generalis. Addebam autem eam intentari, quia non eſt niſi comminatoria, vt notat Nauarrus conſil.3. de ſent.excommun. & Graff.conſil.2. num. 29. vterque poſt Gloſſam in c. 1. de ſagittar. Vnde hæc intentatio per ſe nihil operatur, iuxta generalem doctrinam de comminationibus, traditam lib.7.Cod. toto titulo *comminat. epiſt.* &c. quam ratam habent DD.Canonum cap. *is qui.* de ſent.excom.in 6.& cap. *relatum.* de iure patron. Itaque hæc comminatio, tantùm æquipollet citationi. Poſita autem inobedientia contumaci, aut eo ipſo parit effectum ſuum ſi ſit latæ

ſententiæ;aut ſi (quod regulariter contingit) ſit tantùm ſententiæ ferendæ, ſuccedit contumaciæ vibratio excommunicationis, quæ tunc habet effectum ſuum. Quamuis enim non ſit niſi generalis, tamen æquè afficit reos,ac ſi propriis nominibus fuiſſent expreſſi, iuxta gloſſam cap. *à nobis*. 1. de ſent. excom. conſentaneè ad l.*nominatim*.ff.de lib.& poſthum.

Quod ſubiungebam hanc excommunicationem intentari præmiſſis monitionibus, comprehendit quod alij monitorio ſubſtantiale eſſe volunt, nempe vt feratur adhibita clauſula iuſtificatiua, (vt vocant) *ſi te grauatum ſenſeris, intra talem terminum compareas*. Vel *ſi habueris iuſtam aliquam non parendi cauſam, eámque allegare volueris*, (quod barbarè dicitur, *ſe iuſtificare*) *fas tibi erit id præſtare intra talem terminum præfixum*. Hanc clauſulam eſſe ad monitorium planè neceſſariam, affirmant Philippus Probus ad cap. .. de conſtitut. in 6. Gutierres l. 1.qq. Canon.c.4 num. 18. Sayrus l. 1.de cenſur.c. 12.num.28.& frequenter Nauarrus.Vt conſil.35.de ſent.excom.num.2. & in cap. *cùm contingat*.de reſcript. in octaua cauſa nullitatis,& conſil. 13.de cler. excom. miniſtr. ac in Manuali cap. 27.num. 11. Et ratio ſuffragatur. Nam proceſſus Iudicis ab executione incipientis,non permiſſa ei qui grauatur,allegatione iurium ſuorum,nullus eſt ipſo iure, ex l. 1. C.*de execut. rei iudic*. ad quam legem Bartolus egregiè obſeruat, præceptum Iudicis quo aliquid fieri imperat abſque ea temperatione & audientiæ conceſſione,iniuſtum planè eſſe,& ipſo iure irritum. Id quod etiam habent Baldus l.1. C.*quomodo & quando Iudex*. Innoc.cap.*propoſuit*.de conceſſ.præbend.& Oldrad.conſil. 81. num. 7. Nimirum fundamentum

totius

totius iudicij eſt citatio, vt iura diſertè ferunt, probátque Ioan. Monachus in Extrau. *rem non nouam*, de dolo & contum. Quia ergo præceptum Iudicis abſque appoſitione huiuſmodi clauſulæ, quæ à conceſſa purgandi ſe, vel ſuum grauamen proponendi, atque adeò ſe iuſtificandi facultate, dicitur *iuſtificans*, ferretur abſque partis citatione & cauſæ cognitione, meritò dicitur, tale præceptum fore inualidum & nullum. Hanc enim clauſulam habere vim citationis docet Gloſſa ad cap. *ex parte*. de verb. ſignif. & l. *de pupil.* §. *meminiſſe*. ff. de noui oper. nunc. Vides ergo, cur dixerim, hanc clauſulam comprehendi per ea verba definitionis propoſitæ, quibus monitiones ad excommunicationem iſtam prærequirebantur, vt planè neceſſariæ. Monitiones enim ita iubent intra certum terminum aliquid fieri, vel omitti, vt ſimul præſtent inducias ad ſui iuſtificationem (vt loquuntur) ſi ita videatur ei in quem intentatur excommunicatio. Quare prærequirere monitiones ad hanc excommunicationem, perinde eſt ac eam clauſulam adhibere, ſi modò monitiones debitè concipiantur, & ſeruata hac forma iuris, cuius neglectu, præceptum (vt vidiſti) fieret irritum; & conſequenter excommunicatio quæ ſe habet vt acceſſoria huius præcepti, eo ſuo principali deficiente, corrueret, & nulla eſſet, vt diſertè dixit Baldus in l. 1. C. *quomodo & quando iudex*. Non ſum nunc ſollicitus, an omnis excommunicatio cui monitio non adiungitur, nulla ſit ipſo iure, qua de re breuiter dicam p. 2. c. vltimo. Id enim negat Nauar. ad cap. *cùm contingat*. de reſcrip. *in quinta cauſa nullitatis*, & alij nonnulli, quorum ſententiam nunc non vacat excutere. Tantùm igitur cum eodem Nauarro ibid.

in octaua cauſa nullitatis, contendo ſpeciale eſſe excommunicationi quæ fertur in monitorio executorio, vt nulla ſit abſque monitione prædicta: quia alioqui iudicium inchoaretur ab executione, & excluderet citationem, quæ eſt totius iudicij fundamentum. §. fin. inſtit. *de pœna temerè litig.* Manifeſtum itaque eſt, ad excommunicationem de qua agimus, præexigi monitiones quæ eam clauſulam iuſtificantem comprehendant, & reo ſui purgandi, vel iurium ſuorum allegandorum, liberam faciant poteſtatem.

Ex huius excommunicationis ſubiunctione ad præceptum, addito ordine ad fines monitorij quos poſtremo loco proponebam, ducitur eius differentia, conſummatúrque definitio. Aiebam porrò fines illos eſſe, aut reſtitutionem rei alienæ, aut arcani retectionem, iuxta locum Tridentini de his monitoriis aliquoties iam allegatum. Non inficior, quin poſſint ferri à Præſulibus ad alios fines præcepta, intentato excommunicationis generalis fulmine in tranſgreſſores. Id enim eſt perſpicuè extra dubium. Sed neque diffiteor, talia præcepta excommunicationis intentatione munita, dici poſſe monitoria, in ea vniuerſali notione vocabuli quæ initio facta eſt. Hæc igitur non nego: ſed tantùm dico, monitoria quæ vulgo & paſſim hoc nomine in Eccleſia donantur, & de quibus hîc agendum ſuſcepimus, alios fines non ſpectare quàm duos prædictos. Nec eſt difficile, ad eos reducere alios quoſdam fines proximos monitoriorũ vulgo dictorum, quos aſſignat Lazarius ſect. 1. q. 10. num. 1. & 2. poſt Riminaldum iuniorem conſilio 357. v. g. contra teſtes recuſantes dicere veritatem coram quocunque Iudice, & contra impedientes teſtes produci

in

in cauſa, & contra conſcios ſimulati contractus, vel pacti nudi in graue tertij præiudicium, aut contra nõ ſoluentes decimas. Per ſe enim patet, non alium eſſe horũ monitoriorum finem, quàm alterum è propoſitis, nimirum debitam veritatis patefactionem, aut reſtitutionem alienorum, ſiue indemnitatem iuris alieni quam quærit reſtitutio. Ex his definitio monitorij de quo acturi ſumus, manet ſufficienter expoſita. Fiet tamen dilucidior in ſequentibus.

QVÆSITVM II.

Quotuplex ſit Monitorium.

RESpondeo, monitorium vulgo dictum de quo agimus, multiplex aſſignari poſſe, vt tradit Nauar. conſilio 10. de offic. iud. ordin. num. 1. & relect. ad cap. *inter verba.* coroll. 66. num. 331. Et vniuersè quidem dicere licet, Iudicem per monitorium ſubditos monere vt reſtituant, aut vt reuelent aliquid. Quoad monitoria reſtitutionem ſpectantia non occurrit neceſſaria vlla ſubdiuiſio. At quoad reuelationem, poteſt monitorium multipliciter ſubdiuidi, quia reuelatio poteſt multipliciter mandari. Interdum quippe præcipitur iis ad quos monitorium dirigitur, vt denuncient. Aliàs verò vt teſtificentur. Quandoque, vt dicant Iudici non prout Iudici, ſed prout Patri, aut prout perſonæ quæ poteſt prodeſſe & non obeſſe: quia ſcilicet proſpiciet, vt delictum vel damnum alicui imminens arceatur, nec tamen progredietur ad punitionem, aut nocumentum eius qui detegitur.

Et quidem cum verba præcepti diſertè ferunt aliquid prædictorum, v. g. vt ſubditi denuncient, (niſi ſubiecta materia aliud ferat, vt ſtatim dicam) vel certè vt teſtificentur, tollitur omnis ambiguitas, ſimpliciterque exequendum eſt quod mandatur. Quod item præſtandum eſt, cùm mens Iudicis ſe perſpicuam exhibet ex modo proponendi, aliiſve edicti adiunctis accuratè perpenſis. Cum autem verba præcepti non ſunt formalia & expreſſa, poteſt ambiguitas ſuboriri, quale ſit monitorium, ſiue quid ferat. Qua in parte, rectè Nauarrus relect. ad cap. *inter verba.* coroll. 66. num. 780. & ſeqq. Henriq. l. 13. c. 18. num. 5. Sanchez lib. 6. opuſc. c. 2. dub. 27. ac Sayrus in Claui l. 12. c. 14. num. 32. obſeruant, attendendum valdè eſſe ad ſubiectam materiam; nam plerunque admetiendus ad eam eſt cortex verborum. V. g. ſæpè edictum monitorium vocat ad denunciandum, cùm tamen ex ſubiecta materia liqueat, non indici denunciationem ſtrictè ſumptam, ſed teſtificationem. Et ita contingit in cauſa criminali quæ iam cœpta ſit agitari. Neque enim ad eam neceſſarij ſunt denunciatores, ſed teſtes. Quare ſi edictum in tali cauſa iubeat *denunciare*, vox illa impropriè accipienda erit, nempe pro teſtificatione. Se haberet autem res è contrario, ſi cauſa necdum agitari cœpta eſſet; quia tunc ſæpè ſunt neceſſarij qui denuncient, & per monitorium quæri poſſunt, ſuppoſita probatione ſemiplena. In dubio autem, ad quid vocetur quis per monitorium, cenſendum eſt vocari ad teſtificandum duntaxat. Hæc dilucidiora fient ex dicendis circa neceſſitatem reuelandi, iniectam per monitorium. Nunc ſatis eſt eam diuerſitatem monitoriorum annotaſſe.

QVÆSITVM III.

Pro cuius generis materia concedi queat monitorium.

RESpondeo, non niſi pro materia ſaltem indirectè ſpirituali. Neque tamen nego quin pro rebus temporalibus poſſint concedi monitoria, vt fert praxis ordinaria in Eccleſia. Quantumcunque enim aduerſus eam praxim ringantur hæretici, & improbare quoque eam viſi ſint quidam Catholici, non licet dubitare quin ſit legitima & ſancta, ſi cæteræ conditiones non deſint. Allatrauit iam olim hunc Eccleſiæ vſum, ſpurcus hæreticus Marſilius Patauinus in defenſorio pacis *ſub finem.* Carolus item Molinæus, diu ſectarius, ſed tandem ſub mortem Catholicus, in Tridentinæ Synodi vellicatione, cui Petrus Gregorius, & quoad hoc punctum Petrus Leloyer l. 4. de ſpectris, c. 10. reſponderunt; ſanctæ Synodo hac ex cauſa obſtrepuit. Laurentius item Bouchel, in Bibliotheca iuris Gallicani v. *Monitio*, aduerſus monitoria de rebus temporalibus lata, fuſiſſimè concitatur. Obiter quoque ea perſtringunt & mordent, Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 2. & Gerſo lect. 4. de vita ſpirit. coroll. 14. propoſ. 5. tametſi conteſtans ſe nihil definire. Sufficiens tamen probatio vſus in Eccleſia recepti, homini Catholico haberi debet, quòd Synodus Tridentina Oecumenica, honeſtatem talium monitoriorum agnoſcat, ſeſſ. 23. cap. 3. de reform. Iampridem quoque ea vſurparat, atque adeò approbarat, Innoc. III.

cap. *ad noſtram*.de iureiur. itémque Ioan.XXII. extr. vnica de furtis. Vt videas quod hæc monitoria, aliquando dicta inueniantur *excommunicationes Paulinæ*,quia vſus eorum maximè increbuit tempore Pauli III. vt notat Henriq.l.13.c.18. *litera* A. non excludere, quin Pontifices Paulo III. anteriores, hoc remedio ſint vſi. Quinetiam ſeculũ D.Auguſtini, hunc vſum agnouit. Nam epiſt. 54.agens cum Macedonio, & oſtendens qua ratione Epiſcopi,iniuſtos rei alienę detentores adigant ad reſtitutionem,ait Epiſcopos illis humanum nonnunquam, ſed maximè ac ſemper, diuinum iudicium comminari.[Nolentes autem reddere(inquit)quos nouimus & malè abſtuliſſe, & vnde reddant habere,arguimus,increpamus, & deteſtamur; quoſdam clam,quoſdam palam,ſicut diuerſitas perſonarum diuerſam videtur poſſe recipere medicinam,nec in aliorum perniciem ad maiorem inſaniam concitari. Aliquando etiam,ſi res magis curanda non impedit, ſancti altaris communione priuamus.] En excommunicationem pro re temporali.

Cæterum res illa ita eſt materialiter temporalis,vt tamen formaliter & indirectè ſit ſpiritualis,quatenus Iudex Eccleſiaſticus ferens monitorium, ſpectat bonum animæ in eo quem per monitorium adigit circa rem temporalem. Peccabit enim,niſi exequatur quod iubetur exequi;v.g.niſi rem ablatam reſtituat, aut arcanum detegat. Atque ita res temporalis reſpectu monitorij habet ſe duntaxat vt obiectum materiale,ſubſtratum formali quod ſpirituale eſt, & dignum cura ac ſtudio poteſtatis Eccleſiaſticæ monitorium ferentis. Non enim prætergreditur fines ſuos, cum ita excurrit in temporalia ſtudio ſpiritualium, hoc eſt cum

ſatagit

ſatagit vt auferatur peccatum contractum,vel obſtat ne vlteriùs prorogetur,aut præcludit contrahendum. Ita Victoria in ſumma tit. de excommun. num. 339. & Aufrerius tract.de poteſt. Eccleſ.in ſecul. num.53.

Hinc euaneſcunt omnia quæ aduerſus honeſtatem huiuſcemodi monitoriorum opponuntur. Molinæus cum Sectariis, cauſatur inuadi alienam iuriſdictionem,eo quod res temporales ſpectent ad forum ſeculare. Hoc ex proximè dictis dilutum manet. Monſtratum quippe eſt,Eccleſiam in hoc negotio non attingere temporalia quatenus talia ſunt, ſed prout conueſtiuntur ſpiritualitate;quatenus ſcilicet ſpectatur circa ea bonum animæ, & excluſio vel præuentio peccati. Bouchel non alio argumento monitoria pro rebus temporalibus conceſſa oppugnat, quàm quod Ethnici infrequentiſſimè adhiberent ſuas illas proportionales & ſimilitudinarias excommunicationes, & quod præſtet remediis ordinariis vti, ſatiúſque ſit cauſa cadere, quàm ad hoc medium deuenire. Cuius argumentationis infirmitas, non eget ariete vt quatiatur.Nam hoc remedium non eſſe vſurpandum niſi in defectum aliorum iuris remediorum, omnes conſentiunt;ideóque conſtat vſum eius debere eſſe perrarum. Sed inde nihil infertur contrà illius honeſtatem. Quod autem potiùs ſit cauſa cadendum quàm hoc remedio vtendum, autor cum quo agimus, non cenſeret verum,ſi graui damno temporali afficiendus eſſet, ob neglectum huius remedij. Soto, queritur hunc eſſe auaritiæ fœtum, & inuentum humanæ cupiditatis, iniquo Mammonæ ſacrificantis. Verùm quicquid ſit de mente poſcentium monitoria, monſtrauimus,Eccleſiam ſanctum & optimum finem ſibi præfigere,

præfigere, cum videtur cupiditati petentium monitoria velificari. Non enim quærit eorum cupiditati ſatisfacere,ſed impedire malum ſtatum aliorum quos vrget per monitòria. Gerſo, argumentatur primùm ex periculo vſurpandi iuriſdictionem alienam, immittendo falcem in temporalia. Deinde ex eo quod excommunicatio ſit baculus ſpiritualis,qui non videtur adhibendus ad conſeruandas aut repoſcendas res profanas,cum maiori detrimento eorum à quibus repetuntur, quàm ſit vtilitas repetenti proueniens. At detrimentum quod ſuſtinent qui petunt monitoria, ſupponitur eſſe temporale;damnum autem quod infligitur ei aduerſus quem monitorium vibratur, non eſt temporale,ſed ſpirituale;ac proinde ſupra omnem menſuram pretioſius.Quid quod adhibito hoc remedio ad temporalium indemnitatem,fatendum eſt,Eccleſiam ſic ligando & ſpiritualiter occidẽdo animas, (in iure enim excommunicatio & vinculum & mors appellatur) grauius omnino punire eos qui ciuiliter delinquunt,quàm faceret ſecularis poteſtas, quæ pro huiuſmodi materiis in ſola corporum detentione ſiſteret, nec ad aliquid acerbius progrederetur? Hæc Gerſonis argumenta, nullo negotio diſſoluuntur. Quomodo enim Eccleſia in negotio de quo agimus contineatur ambitu ſuæ poteſtatis,nec vltra eum excurrat, apertè monſtratum eſt. Quod verò baculus ſpiritualis adhibeatur ad tutamen temporalium, nihil eſt quod impediat,præſertim quia læſio temporalium infert grauem culpam lædentis,quam præcludere vel curare, ſpectat ad poteſtatem ſpiritualem. Et inde quoque ducenda eſt ratio, cur damnum eius qui excommunicatione percellitur, & cui auertendo conſulitur,

ſulitur, ſit reuera longè maius damno illius qui rem temporalem repoſcit per monitorium. Attendendum enim eſt damnum ſpirituale eius in quem monitorium vibratur: quod damnum, Iudex Eccleſiaſticus tanquam bonus medicus ſtudet ſanare vel auertere, éſtque reuera longè maius, quàm damnum temporale partis monitorium petentis ad temporalem ſuam indemnitatem. Neque tamen pars, quæ plerunque aliud non habet propoſitum quàm ſe indemnem temporaliter præſtare, peccat poſcendo ab Eccleſia remedium, quod vitio & malignitate noxij in eius exitium vertitur. Sicut non peccat, qui pro minori damno ſuo temporali eripit vitam latroni, quem aliter arcere res ſuas inuadentem non poteſt. Denique quod Eccleſia grauiùs plectat eos qui in his materiis delinquunt, quàm faciat poteſtas temporalis, mirum videri non debet. Sola quippe Eccleſia, poteſt punire in eo bonorum genere, in quo minimum damnum ſecundùm rectam æſtimationem præferendum eſt cuiuis damno temporali. Iuſtè autem Eccleſia punit noxios in eo bonorum genere, quia non tam attendit reparare nocumentum temporale illatum tertio, (quod vnum ſpectat in ſimili cauſa poteſtas ciuilis) quàm ſanare animam filij dyſcoli & contumacis, ea nocumenti in res alterius illatione ſauciatam. Ei porrò curationi accommodatiſſimam eſſe eam punitionem in bonis ſpiritualibus, dicam vlteriùs p. 2. c. 4.

Quare ratum eſto, vſum ferendi monitoria pro materia reipſa quidem temporali, ſed tamen indirectè ſpirituali honeſtum eſſe, dummodò non deſint cæteræ conditiones ad idoneam monitorij materiam requiſitæ, de quibus agendum ſequitur.

QVÆSITVM IV.

Cuiuſmodi eſſe oporteat materiam ſaltem indirectè ſpiritualem, pro qua monitorium conceditur.

RESpondeo, oportere eſſe non vulgarem. Ita Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. Et Pius V. conſtitutione de mandatis in forma *ſignificauit*, edita anno 1570. cuius initium eſt, *Sanctiſſimus in Chriſto*, &c. Subſcribunt Theologi in 4. d. 18. & Summiſtæ v. *excommunicatio*, ac Iuriſperiti quos latè refert Neuizanus l. 3. ſyluæ nuptial. num. 49. & ratio manifeſta ſuffragatur. Ridiculum quippe eſſet, imo valdè deplorandum, prodigere in minutias excommunicationem, qua nullum eſt grauius in Eccleſia ſupplicium. Quódque experiẽtia docet, ex vſurpatione huius medij ad res parui momenti, oritur rubigo gladij huius Eccleſiaſtici, vt cum Petro Bleſenſi dicã p. 2. c. 19. vbi etiã cũ Banne, Salonio, & aliis docebo, ob cauſas proximè tactas, peccare mortaliter Eccleſiaſticũ Iudicẽ, ita prodigũ monitoriorũ, vt pro rebus exigui momẽti ea concedere non ambigat; cum mẽs Chriſti & Eccleſię planè ferat, quod etiã huius medij acerbitas ſatis docet, vt vſurpetur tantùm pro rebus minimè vulgaribus; atque adeò grauibus, & non exigui momenti.

Difficultas verò eſſe poteſt, quæ cenſeri debeat res non vulgaris, quando monitorium fertur pro re temporali. Certum quidem eſt, materiam vt minimum debere eſſe talem, vt ad fundandum mortale peccatum, ſit ſatis: quod communiter ſtatuunt DD. apud

Couar

Couarruuiam in c.*alma mater*.p.1.§.9.& patet ex grauitate excommunicationis,quæ eſſet pœna tranſcendens culpam,ſi pro peccato veniali infligeretur.Non tamen quæcunque materia circa quam aliquis mortaliter deliquerit , idonea eſt vt monitorium pro ea feratur:v.g.quarta pars aurei, vt plurimum ſufficit ad mortale peccatum furti ; nemo tamen dixerit , eam ſummam , eſſe accommodatam decernendo monitorio materiam. Quare neceſſe eſt,rem eſſe non vulgarem, reſpectu habito ad excommunicationem. Hæc autem,iuxta prudentum omnium ſenſum, ſi prudenter & licitè feratur,grauiorem poſcit materiam quàm quæ ſit ſatis ad peccandum mortaliter quomodocunque. Dixi,*ſi prudenter & licitè*,quia nolo aſſerere,excommunicationem latam contra contumacem circa quamcunque materiam etiamſi vulgarem , & quæ ſublata contumacia ad mortale peccatum non ſufficeret, eſſe inualidam. Id enim rectè negat Sayrus in Claui l.9.c.15. num.20.& 21. & Soto in 4.d.22. q.1. artic. 2. Palac. Rub. repet. ad cap.*per veſtras*. §. 18. num. 22. & Lazarius ſect. 1. q. 12. num.6. Nec ſanè Concilium Tridentinũ præſcribens vt monitoriũ detur pro re non vulgari,irritauit monitoriũ aliter conceſſum. Tantum itaque contendo,excommunicationem decretam pro re vulgari,circa quam tamen peccetur mortaliter ſaltem ob contumaciam , quamuis valida ſit,tamen imprudenter ferè ſemper ferri,& vix abſque graui peccato Iudicis monitorium concedentis.Ratum igitur eſto,materiam pro qua monitorium conceditur,vt prudenter & licitè concedatur,debere eſſe non vulgarem.

Quamuis autem Concilium Tridentinum ſeſſ. illa

23. cap. 3. de reform relinquit Epiſcopi arbitrio, v ſtatuat quæ in hoc negotio cenſenda ſit materia non vulgaris, tamen quia in arbitrariis quoque, Iudex quantum fieri poteſt, debet regulis iuris inſiſtere, vt benè obſeruat Crauetta conſil. 99. num. 5. vnde ipſi Præſules ambigunt plerunque quam debeant arbitrari dignam monitorij conceſſione materiam, addendum eſt, res temporales deperditas, aut ſubtractas, in quibus ferè hæc dubitatio locum habet, penes varios, conditionem non vulgarium variè habere. Nam vt optimè notauit Gloſſa ad l. *ſed & ſi ſuſceperit*, ff. de iudic modicum & magnum, dicuntur reſpectiuè; vnde quod vni magnum meritò cenſebitur, habebitur modicum reſpectu alterius. Illuſtrat id Gloſſa, exemplo Reginæ Mathildis, quæ donans Eccleſiæ terram ad triginta milliaria protenſam, ait ſe *aliquantulum terræ dediſſe*. Annuunt communiter Iuriſperiti, Gloſſæ illi ſubſcribentes, vt Bartolus, Palat. Rub. Curtius vterque, quos adducit & ſequitur Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. num. 64. Ex quo fundamento ſequitur, pro minori ſumma concedi poſſe monitorium pauperi in rebus temporalibus læſo, quàm ſit ſumma, pro qua ſubtracta vel retenta conceditur monitorium diuiti. Et in hoc puncto ſic generaliter expreſſo, omnes conſentiunt.

In particulari autem expreſſione ſeu determinatione materiæ quæ pro paupere debeat cenſeri non vulgaris, itémque pro diuite, eſt nonnulla varietas. Alicubi, pro incolis vrbium qui ferè ſolent eſſe minus egentes, quantitas ad monitorium requiſita, eſt aureorum quinquaginta: quæ dicitur eſſe Romana praxis, & Neapolitana, eámque ſubalpinis Præſulibus in hoc

hoc negotio præfixit Hieronymus Federicus, Nuncius Apoſtolicus in decretis viſitationis parte 4. tit. de excommun. addens, pro pauperibus de quorum paupertate conſtet, ſufficere ſi materia ſubtracta pertingat ad ſummam centum florenorum, id eſt quadraginta francorum vel aureorum tredecim, & aſſium viginti. Minori ſumma quoad oppidanos, atque adeò quoad quoſuis pauperes, contentus eſt Lælius Zecchius in Repub. Eccleſ. tit. de Prælatis cap. 1. num. 6. nam ſummam decem aureorum in qua pauper paſſus ſit damnum, cenſet eſſe accommodatam monitorio concedendo materiam. Gutierres autem l. 1. qq. Canon. cap. 11. num. 59. & 60. quamuis fatetur ſe cum Proepiſcopum ageret, minori quantitate quoad pauperes in monitorio concedendo fuiſſe contentum quàm quoad diuites, tamen negat ſe vnquam conceſſiſſe monitorium pro minori materia quàm viginti aureorum, nec ſe aliquando interpellatum fuiſſe, vt monitorium concederet pro materia leuiori.

Res hæc magnam omnino Præſulum attentionem & accurationem depoſcit, ne in eam reprehenſionem incurrant qua graues DD. referendi p. 2. c. 19. & nominatim Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 2. caſtigant corruptelam mortaliter grauem concedentium monitoria pro furto vnius gallinę vel paucarum herbarum, aliiſve huiuſmodi nugis, vnde permulta mala & nominatim monitorij depreciatio exiſtit. Quare cum nihil occurrat omnino fixum ac planè ſtabile, quod ſiue circa pauperes, ſiue circa alios ſtatui poſſit tanquam terminus intrinſecus paruitatis; ſufficit dicere, attendendum eſſe ad ſtatum perſonæ monitorium petentis: & penſatis adiunctis omnibus, ad prudentiam

Præſulis ſpectare, vt definiat quæ materia leuis & vulgaris, quæ notabilis & digna pro qua monitorium concedatur, haberi debeat. Non dubito autem quin reiicienda ſit regula quam tradit Zerola in Praxi Epiſcopali, v. *excommunicationis cauſa materialis*, num. 1. nimirum quod non ſit decernenda excommunicatio pro re furto ſurrepta, pro qua Iudex ſecularis non irrogaret mortem corporis. At non dubito quin multo minor quantitas ſufficiat ad conceſſionem monitorij, & infligendam pro re ſubtracta excommunicationem: quia quamuis excommunicatio ſit aliquid corporea morte funeſtius ac terrius, tamen à corporea morte non eſt regreſſus. Vnde ſecluſo modo furandi quem valdè interſit præcludi, mors corporalis nunquam iure communi pro furto infligitur, niſi fuerit plus quàm vnum ſimplex furtum, cuiuſcunque ſit quantitatis. Imo Scotus & Alenſis negarunt pro furto quantocunque fas eſſe vnquàm poſſe, furem morte punire: quod licet refellant Couarr. 2. var. c. 9. num. 7. & Mol. tract. 2. de Iuſt. diſp. 695. num. 1. & 48. (& meritò, cum certum ſit poſſe legem ferri, qua furtum etiam vnicum, ſi vel materia ſit notabilis, vel præceſſerit grauis prohibitio ob iuſtam & grauem cauſam, morte plectatur;) Tamen inde ſatis conſtat, ex ſenſu prudentum, quantitatem, ob quam ſimplex furtum à ſeculari Iudice poteſt morte mulctari, longè auctiorem eſſe oportere, quàm ſit ea quantitas ſubtracta pro qua decerni poteſt monitorium, & infligi excommunicatio.

QVÆ

QVÆSITVM V.

Num quoties materia eſt non vulgaris, locus ſit monitorio.

REſpondeo, requiri præterea ex Tridentino ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. & ex cap. *clericos*. de vita & honeſt. cleric. vt non deueniatur ad hoc remedium, niſi fruſtra tentatis aliis, quod paſſim admonent DD. nominatímque Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 28. Nauar. in ſumma cap. 27. num. 10. & cum permultis Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 14. Nimirum excommunicatio eſt pœna adeò grauis, vt nihil ſit in Eccleſia horribilius: & tamen plerunque fideles euigeſcente vel frigeſcente charitate, tantam pœnam parui pendunt, quia eam iuſto frequentiùs nec deficientibus aliis iuris remediis decerni vident. Meritò ergo prouiſum eſt, vt non liceat hoc perfugium captare, niſi cæteris omnibus præcluſis: ita vt alia omnia remedia, vel deficiant, vel ſint inutiliter adhibenda. Accedit quod quantum ſpectat ad monitorium pro temporali cauſa conceſſum, conſtat, ſi veniretur ad hoc remedium aliter quàm in defectum cæterorum, conſecuturam perturbationem & confuſionem iuriſdictionum. Nam v. g. ſi priuſquàm perſona laica pro reſtitutione rei ſubtractæ conueniatur coram ſuo Iudice laico, poteſtas Eccleſiaſtica ſtringat excommunicationem aduerſus obæratam illam perſonam, confundetur gubernatio, & legitimus politiæ concentus

centus euertetur. Ordo quippe debitus fert, vt qui ſe in laicum ius habere, & ab eo iniuriam paſſum exiſtimat, priùs proſequatur ius ſuum coram Iudice laico illius à quo ſe violatum putat, iuxta cap. *cauſam*. qui filij ſint legit. Si igitur Eccleſiaſtica poteſtas, aliter quàm in ſubſidium aliorum remediorum deficientium, concedat monitorium parti quæ neglecta Iudicis laici interpellatione confugit ad Eccleſiaſticum, euertetur ordo debitus, nec ſatisfiet illi Apoſtolico præcepto quo iubemur omnia decenter & ſecundùm ordinem facere. Et hanc ob cauſam Naldus v. *Cenſura*, num. 3. prolato ſacræ Congregationis decreto tradit, ſi duo in ſolidum obligentur ex contractu; & contra vnum procedi poſſit realiter aut perſonaliter, non autem contra alium, aduerſus eum duntaxat procedi poſſe per excommunicationem, contra quem agi aliter nequeat: aduerſus alium verò non item; ſed vſurpatis aliis remediis ſuppetentibus, abſtinendum eſſe excommunicatione.

Non aſſero, eam ordinis peruerſionem quam aiebam conſecuturam neglecto hoc agendi modo, pugnaturam cum valore actus. Id enim meritò negant Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 48. & Suarez t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 1. num. 17. habetúrque ex Innocentio III. c. *nouit*. de iudic. & ſuffragatur ratio, quia adeſſe ſupponitur idonea excommunicationis materia, nempe graue peccatum, & poteſtas ad illius correctionem ſufficiens. Dubitare tamen non licet, quin ſit illicitum peruertere eo modo ordinem debitum. Quare vt à negotio de quo agimus exulent incommoda propoſita, non debet monitorium concedi niſi in ſubſidium aliorum iuris remediorum, quia vel deficiunt, vel non

ſuppetunt

ſuppetunt plena. Ideo conſultiſſimè faciunt Præſules, qui partem monitorium poſtulantem non priùs faciunt voti compotem, quàm iuramento confirmet ſe deſtitui ordinariis præſidiis tuendi ius ſuum. Quem vſum commendant Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. n. 59. Roder. 1. p. ſummæ c. 79. num. 1. & Auila 2. p. c. 1. diſput. 2. dub. 1.

QVÆSITVM VI.

Num in ciuili duntaxat cauſa, an etiam in criminali concedi queat monitorium.

Reſpondeo, ſpectata ſola rei natura non fore illicitum, concedere monitorium, etiam in criminali cauſa: Attendendo tamen ad ius poſitiuum variis locis variè vigens, vſum vbique eundem non eſſe.

Quod attendendo duntaxat naturam rei, poſſet monitorium abſque culpa concedi in quacunque cauſa, perſpicuum eſt. Nam cooperatio ad rectum iudicium, etiam in criminalibus, ex ſola natura rei loquendo, recta & ſancta eſſe poteſt. Nemo autem non videt, monitorium plerunque poſſe admodum conducere ad rectum iudicium in criminalibus, vt veritas plenè pateſiat, ſeruetúrque vnicuique ius ſuum, nec crimina quibus Reſpublica & priuati turbantur & violantur, maneant impunita, quod quanti interſit, dubitare non licet. Nec duo argumenta quibus Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 36. ex natura rei conatur euincere, neganda eſſe monitoria in cri-

 minalibus,

minalibus,id reuera euincunt.Primum eſt,quod monitoria in illis materiis,infamiæ notam inurant. Alterum eſt, quod abhorreat à lenitate Eccleſiaſtica, cooperari ad ſanguinis effuſionem,ſitque proinde Præſuli monitorium concedenti in huiuſmodi negotio, timendus incurſus irregularitatis. Sed neutra ratio videtur ſatis valida. Non prima. Niſi enim qui detegitur ſit noxius,non infamabitur per monitorium. Si autem per monitorium comperiatur patraſſe aliquid vnde fama inquinetur, ſibi imputet quod culpa ſua patitur. Quid quod plerunque, etiamſi monitorium concedatur tantum ad agendum ciuiliter, æquè tamen aſpergitur infamia is qui per monitorium comperitur admiſiſſe peccatum, ac ſi criminaliter eſſet agendum? Sicut ergo ea ratio non impugnat conceſſionem monitoriorũ ad agendum ciuiliter in materia cæteroqui infamatiua,ita neque impugnat conceſſionem monitorij ad agendum quomodocumque. Alteram rationem infringi video non vno modo. Zerola in praxi Epiſcop.v.*excommunicatio*, tit.de cauſa materiali excommun. ad 4.ſatis conſultum cenſuit Eccleſiaſticæ lenitati,& declinationi irregularitatis,per adhibitas conteſtationes, quod tantùm intendatur innocentis defenſio, non autem noxij nocumentum. Item quod mens Præſulis non ſit vt agatur niſi ciuiliter,& quoad intereſſe,nec intendat vt reuelatio per monitorium obtenta, fidem aliter faciat. His enim obteſtationibus declinari irregularitatem, & lenitati Eccleſiaſticos decenti abundè proſpici, affirmat Zerola adductis Gomeſio, Couarruuia, Soto, & aliis. Quanquam verò hic modus irregularitatem declinandi,non ſit fortaſſis adeo aptus;quia proteſtatio de

qua

qua c. 2. de homicid.in 6.non iuuat ad declinandam irregularitatem niſi in cauſa propria, vt paſſim ad illud caput notant DD. & ad cap. *poſtulaſti*.de homicid. Tamen aliter facilè expeditur nodus ille;dicendo modum illum remotum cooperandi ad effuſionem humani ſanguinis,non eſſe ſufficientem ad irregularitatem inducendam,nec crudelitatem Eccleſiaſtico homine indignam redolere.Sicut cum quis non peccat grauiter,præbendo alicui arma,non fit irregularis,ſi is qui arma accepit,iiſdem abutatur ad cædem tertij. Optimum quoque exemplum eſt Iudicis Eccleſiaſtici, qui cum declarat delictum alicuius noxij, propter quod illum tradit brachio ſeculari,non fit irregularis,quia valdè per accidens,nec niſi remotè cooperatur ad conſequentem rei mortem.At ad contrahendam irregularitatem,neceſſe eſt cauſam eſſe propinquam, vt habet Gloſſa ad cap. *de cætero*.de homicid. quam eſſe ab omnibus receptam,teſtatur Nauar. in ſumma c.27.num.219. Quare de monitorij in criminalibus conceſſione pronunciando ex ſola rei natura, nihil occurrit quod euincat illud concedi non poſſe,etiam ad agendum criminaliter.

Addebam verò,ſpectato iure poſitiuo, varium variis locis, hac in parte vſum vigere. Alicubi enim, & pars & Iudex feriuntur excommunicatione latæ ſententiæ, ſi reuelatione per monitorium obtenta, vtantur in cauſa criminali. Et cauſam quoque criminalem eſſe cenſent,eam in qua tantùm infligitur mulcta pecuniaria ſi ſit fiſco applicanda,vt tradit Philipp. Maſſin.ad l.1.C.de eden.num.91.Conſtat Pij V.conſtitutione,cuius initium eſt *ſanctiſſimus*,vetari ne monitoria concedantur niſi ad inſtantiam eorum quorum

rum ciuiliter intereſt. Cuius decreti autoritate Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſuram cogendis, cum à num. 31. rem hanc fusè agitaſſet, & admodum anceps hæſiſſet, concludit num. 40. omne diſſidium ea Pij conſtitutione ſublatum eſſe, cum diſertè neget concedendum eſſe monitorium niſi ad eius duntaxat inſtantiam cuius ciuiliter intereſt. Paſſim quoque in Monitoriis Pōtificiis Roma tranſmiſſis, apponitur illa clauſula. *Nolumus autem quod ex reuelatione huiuſmodi ſi eam fieri contingat, niſi pro ciuili intereſſe, & ciuiliter tantùm agi poſsit. Aliàs reuelatio ipſa, neque in iudicio, neque extra iudicium fidem faciat.* Accedit celeberrimus textus in cap. *dilectorum*. de teſt. cogend. vbi Pontifex generaliter quidem ſtatuit teſtes qui ſe odio, timore, vel gratia ſubtraxerint, cogendos eſſe per cenſuram Eccleſiaſticam ad perhibendum veritati teſtimonium, *præterquam* tamen, *ſuper criminibus*. Ex cuius decretalis auctoritate, plerique Iuriſperiti manus dederunt vt Neuiz. l. 3. ſyluæ, num. 47. & Capella Toloſan. deciſ. 112. ac Felinus ad dictum caput *dilectorum*. num. 3. Fusè diſputat pro nēgandis in criminali cauſa monitoriis Lazarius ſect. 1. q. 10. à num. 9. Nec dubitare licet quin ſit admodùm pium, & lenitati ac manſuetudini Eccleſiaſticæ conſentaneum, negare mōnitoria in tali cauſa. Nihil enim Sacerdoti magis neceſſarium quàm lenitas, & abalienatio à ſæuitia, vt docet S. Chryſoſt. homil. 5. de verb. Eſaiæ. At præfert nonnullam lenitatis oblæſionem filios pacis dedecentem, ea monitorij conceſſio in criminali cauſa. Quare negandum eſſe à Iudice Eccleſiaſtico monitorium in tali cauſa, fidelis ſermo eſt & omni acceptione dignus.

Multi

Multi tamen Iuriſperiti pro contrario vſu pugnant, cúmque multæ ſupremæ Curiæ pro viribus promouent & fouent. Nituntur in primis autoritate veterum Canonum, quibus ſæpè edicitur, vt teſtes veritatem promere compellantur, vtique ſi opus ſit, interpoſita quoque excommunicatione, etiam ſuper criminibus vt in crimine falſi cap. *cum contra*. de teſt. cog. & cap. *ſuper his*. eod. Item in crimine ſimoniæ & adulterij, cap. *peruenit*. 1. eod. Præterea ad probandum coniurationem aduerſus Epiſcopum initam c. vlt. eod. Inſuper ad probandam enormem vel intolerabilem iniuriam clerico irrogatam c. *peruenit*. 2. eod. Adhæc in furto, cap. *qui cum fure*. de furt. Item in crimine vſurarum cap. *ad noſtram*. 2. de iur. iur. Inſuper in cauſa inquiſitionis eius qui dignitatem Eccleſiaſticam captat. cap. *ſuper his*. de teſt. cogend. Idem eſt de cauſa incendij ex cap. *peſsimam*. 23. q. 8. Hos canones proferunt Iuriſperiti illi quos dicebam adſtipulari conceſſioni monitorij in cauſa criminali; Id quod etiam aduertunt expreſsè tradi in Tridentino ſeſſ. 25. c. 3. de reform. Verba Concilij ſunt. *In cauſis quoque criminalibus, vbi executio realis vel perſonalis vt ſupra, fieri poterit, erit à cenſuris abſtinendum. Sed ſi dictæ executioni facilè locus eſſe non poſsit, licebit Iudici hoc ſpirituali gladio in delinquentes vti, ſi tamen delicti qualitas præcedente bina ſaltem monitione, etiam per edictum, id poſtulet*. Faciunt pro hoc vſu Nauar. in cap. *inter verba*. concluſ. 6. coroll. 66. num. 382. Franc. Marcus parte 2. deciſ. 855. Lælius Zecchius de Repub. Eccleſ. tit. de Prælatis in genere c. 1. §. quinto. Petrus Leloyer l. 4. de ſpectr. c. 10. Zerola in Praxi tit. de cauſa materiali excommun. ad 4. (ſuum quoque in hac parte vſum,

ſacræ

ſacræ Congregationis reſponſo munitum adducens) Petrus Folerius in pract. crimin. Can. parte 2. c. 8. à n.16. Optimè Abbas in c. *ad noſtram*.3. de iureiur.in 3.notab.& Hoſtienſ in ſumma l.2.tit. de teſt.cogendis,§.*in quibus*.& §.*& qualiter*. denique paſſim in his oris, non Iuriſperiti tantùm, ſed & Antiſtites,ac Generales Antiſtitum Vicarij, qui cum obiicitur Pij V. conſtitutio, negant legem eſſe pro vniuerſa Eccleſia inductam. Quamuis enim Pontifex renuat cōcedere monitoria in cauſa criminali,ſuiſque Officialibus aut Vicariis ea conceſſione interdicat;aiunt tamen cæteris Præſulibus liberam reliquiſſe facultatem concedendi monitorium in quacunque iuſta materia. Ad caput verò *dilectorum*, quod videtur ius vniuerſale continere,varias reſponſiones adducunt,quas recitat & expendit Folerius cap. illo 8 à num.20. *& tandem* (inquit Ludouic. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſur.cog. num.40.) *quo ſe vertant neſciunt*. Minus autem incommodè philoſophati videntur qui dixerunt, Pontificem eo loco non intendiſſe condere ius vniuerſale. Sed cum agitaretur ciuilis cauſa inter capitulum & Epiſcopum Vulteranenſem, eáque fuiſſet vni Abbati & cuidam Canonico delegata; accepiſſetque Pontifex, & Capitulum Epiſcopo, & Epiſcopum Capitulo, crimina quædam obiicere extra cauſam principalem; noluiſſe Pontificem vt delegati compellerent teſtes per cenſuram ad deponendum de criminibus vtrinque obiectis,quorum diſcuſſio & punitio ad eos non attinebat, cum eſſet cauſa omnino diuerſa, & planè diſcreta. Itaque in eo euentu compulſio teſtium per cenſuras, ad nihil fuiſſet vtilis niſi ad creandam infamiam iis quorum crimina fuiſ-
ſent

ſent à teſtibus patefacta:ac proinde meritò Pontifex facultatem delegatis Iudicibus factam teſtes compellendi per cenſuras ad deponendum, noluit extendi ad crimina incidenter obiecta, circa quæ procedere non erat his iudicibus commiſſum. Non cogitabat autem Pontifex, vniuerſaliter vetare, ne ſuper criminibus poſſent teſtes compelli per cenſuras ad deponendum, quando aliter detegi veritas non poteſt. Ex contraria ſententia, iuxta Hoſtienſem cui Folerius loco annotato num. 24. ſubſcribit, *Deus offenditur, Reſpublica læditur, proximus corrumpitur, materia delinquendi & teſtes corrumpendi miniſtratur, vtriuſque iuris mens peruertitur, obediens qui remunerandus eſſet opprimitur, inobediens qui per pœnam affici deberet gloriatur.* Sic diſputant qui tuentur vſum concedendi monitoria in cauſa criminali, cum neceſſitas ad extremum hoc remedium adigit. Et ſunt in hoc numero in his oris Antiſtites quoque, & capita populorum; quorum ego iudiciis debeo reuerentiam non cenſuram; tametſi placere potiùs vſum contrarium iam præmiſi.

QVÆSITVM VII.

Concedendúmne ſit monitorium, ſi materia ſit eiuſmodi, vt ipſam monitorij conceſſionem vel promulgationem ſecutura ſit infamia.

Reſpondeo, abſtinendum tunc eſſe monitorio, vt affirmat Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 50. & cum

cum multis Iuriſperitis Lazarius ſ. 1. q. 10. num. 7. Exemplum ponit Neuizanus,ſi concederetur monitorium,vt quiſquis nouerit aliquem cum tali muliere turpiter verſatum,manifeſtet illum. Ratio autem cur huiuſmodi monitoriis ſit abſtinendum,perſpicua eſt. Nimirum quia iuſtum non eſt, vt fons ipſe iuris, fiat fons iniuriæ,vt habetur ex cap. *qualiter & quando*,de accuſat. & l.*meminerint*.C. vnde vi.Fateor in cap. *ad noſtram*.2. de iureiuran. Innocentium III. mandare Piſano Archiepiſcopo vt ſtringat monitorium aduerſus omnes conſcios vſurarum à quodam defuncto acceptarum,qui videtur euentus par illi quem ex Neuizano propoſuimus. Reuera tamen eſt manifeſta diſparitas. Nam defunctum illum fuiſſe vſurarium, erat res omnibus nota,ipſeque teſtamento ſuo iuſſerat, vt hæredes reſtituerent vſuras omnibus qui probarent ſe ei vſuras dediſſe. Itaque monitorium in eo euentu, nullam creabat infamiam defuncto, contra quàm contingebat in altero exemplo.Ex quo intelligitur, infamationem quam in monitorij conceſſione declinatam volumus, non eſſe infamiam reo ex conſciorum reuelatione obuenturam,ſed eam quam ipſa monitorij conceſſio ante cuiuſquam conſcij reuelationem inureret.

Interdum tamen ſola publicatio monitorij negatur, non item eius conceſſio vel intimatio priuata, quia ſola publicatio infamiam crearet.Sic in Cod.Fabriano l.4. tit.14. definit.49. refertur negata publicatio monitorij, quod quidam popoſcerat ad probandam veritatem probri,communi(vt aiebat)fama perſpecti,quo alium onerauerat.Negatæ autem publicationis ratio fuiſſe proditur, quod ea publicatio ceſ-

ſura

ſura fuiſſet in irreparabilem infamiam eius qui fuerat conuicio appetitus: cum etſi tandem eueniret vt vinceret, fieri tamen poſſet vt non iis omnibus victoria innoteſceret, quibus monitorij publicatio innotuiſſet. Neque publicatio decretorum, apud tam multos innoteſcit, quàm publicatio monitorij. Prœterquam quod infamatio illa etiamſi per calumniam facta, onerat exiſtimationem, vt habetur ex l. 1. C. de famoſ. libel. & ex illo Auſoniano, *hæc caſta eſt, de qua mentiri fama veretur*. Ibidem definit. 50. cum cauſa recuſandi Iudicis ſi vera eſſet, dehoneſtaret & infamaret Iudicem, refertur ſancitum fuiſſe non eſſe locum publicationi monitorij, quam Iudicis infamia conſequeretur. Itaque ſi ad eam cauſam probandam litigator qui eam propoſuit, monitoriũ popoſcerit, ſtatutũ eſt, negata monitorij publicatione, permittendam duntaxat ſignificationem, iis faciendam quos in teſtes producere ſe velle impetrans dixerit. Aliquando porrò monitorij publicationem impediri à poteſtate laica abſque peccato, obſeruatum eſt à Nauarro l. 5. conſil tit. de excom. conſ. 1. & à Reginaldo l. 9. prax. fori pœn. n. 132. in alio quidem euentu, ſed pro quo non plus iuris ſuppetat, quàm pro eo de quo agimus.

QVÆSITVM VIII.

An perſona in quam monitorium decernitur, debeat eſſe incerta & occulta.

RESpondeo diſtinguendo de materia ſpirituali & temporali, rurſúſque quoad materiam tempora-

lem, ſubdiſtinguendo de perſonis Eccleſiaſticis & laicis. Neque enim probandi ſunt, qui vniuerſaliter & indiſtinctè pronunciant, monitoria non eſſe concedenda quando perſonæ ſunt certæ, eo quod tunc ſit vtendum ordinariis remediis. Sic Gemin. & Anchar.ad cap.fin. de elect.in 6. Felinus in c.2. de conſtitut.§.*circa tertium*.Sola ad antiqua Sabaud.decreta tit. *vt nemo inuitus*, Gloſſa vnica num. 7. & ad noua decreta titul. de tribunali compet. Gloſſa 5.num.10. Neuiz. l.3.ſyluæ num. 47. Gutier.l.1. Can. qq.c.11. num.59. & multis allegatis Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat.96. num.25. Hoc ita vniuerſaliter & indiſtinctè pronunciari minimè debuiſſe, patebit explicando quid circa membra diſtinctionis & ſubdiſtinctionis propoſitæ ſit affirmandum.

In materia ergo ſpirituali, cum Antiſtes opportunum id eſſe cenſuerit, præſertim ſi alia media perueniendi ad iuſtum finem intentum non ſuppetant, fas eſt vrgere per monitorium perſonã certã ad præſtandum quod debet. Nam hæc materia per ſe & directè pertinet ad Iudicem Eccleſiaſticum, qui proinde medio efficaci cuiuſmodi eſt monitorium, vti conuenienter poteſt, vt adigat ad præſtandum circa eam quod ratio poſtulat: præſertim ſi alia media, vel non ſint ad manum, vel difficiliora aut operoſiora appareant. Si verò materia de qua agitur, ſit temporalis, & perſona ſit Eccleſiaſtica, fas quoque erit Iudici Eccleſiaſtico eam ad officium vrgere per monitorium, quia talis perſona ſubeſt directè foro Eccleſiaſtico. Nihil itaque vetabit adigere illam ad præſtandum quod debet, adhibito valdè efficaci medio, hoc eſt intentata per monitorium excommunicatione. Ita Suares

res t.5.3.p. d.20.ſ.1. num.13. & Auila 2.p.c.5. diſp.2. dub. 1. concluſ. 2. At ſi agatur de perſona laica circa huiuſmodi materiam, tunc per ſe loquendo, illicitum eſt ferre aduerſus eam monitorium ſi ſit determinata & nota, quod multis confirmat Guido Papæ ſingul. 707. Breuiter autem ratio eſt, quia perſona laica habet Iudicem proprium apud quem conuenienda eſt via ordinaria, iuxta reſponſum Alexandri II. cap. *cauſam.* qui filij ſint legit. Vbi Pontifex interpellatus de negotio ſeculari inter perſonas notas & certas, negauit id ſuum eſſe; cum ſpectet ad Regem de huiuſmodi cauſa cognoſcere. Huc faciunt quæ dixi ad quæſitum 5. demonſtrans ſecuturam in Republica peruerſionem ordinis debiti, ſi monitorium in temporali cauſa concedatur quandiu ſuppetunt ordinaria iuris remedia. At cum perſona quæ læſit, occulta eſt & incerta, tunc Iudex ſecularis cogitur feriari, quia non habet vim vrgendi conſcientiam aliter quàm per præceptum, carétque vi coactiua interiùs. Vnde recurrendum eſt ad Iudicem Eccleſiaſticum, qui per cenſuram generalem, etiam perſonas indeterminatas poteſt ad officium compellere. Igitur perſona laica in quam monitorium pro temporali cauſa decernitur, debet per ſe loquendo incerta eſſe. Nec aduerſantur huic doctrinæ textus & DD. quibus Sayrus l. 1. de cenſur.c.8. num.26. & 27. probat excommunicationem poſſe duntaxat ferri in perſonam certam. Ea quippe doctrina, veriſſima eſt de certitudine perſonæ quoad naturam ſuam. Neque enim excommunicatio intorqueri poteſt ita in incertum, vt quaſi vagè feratur in hunc aut illum; ſed neceſſarium eſt vt intorqueatur determinatè in aliquem, etiamſi incognitum

& eatenus incertùm. Sicut enim qui vellet vagè conſecrare hunc aut illum panem, nihil faceret, & qui intenderet hunc aut illum ſacramentaliter abſoluere, nihil efficeret; ſed neceſſarium omnino eſt, vt intentio agentis & materia circa quam operatur ſit determinata, ita res habet in excommunicante. Hæc tamen determinatio, non deeſt circa perſonam ſingularem quæ monitorio feritur; quia licet ſit ignota, & eatenus dicatur incerta, tamen ſuapte natura ac ſecundùm ſe eſt certa, atque adeò capax in quam cenſura monitorij intorqueatur. Rectè igitur cum ea communi doctrina cohæret quod dixi, perſonam laicam ſi pro cauſa temporali vrgeatur per monitorium, debere incertam, id eſt occultam eſſe.

Addebam tamen, hæc valere per ſe loquendo: quia in raro aliquo euentu poſſet per accidens licitè ferri monitorium contra perſonam laicam determinatam in materia temporali. V. g. ſi ſecularis poteſtas ad quam directè ſpectat cauſam illam decidere, vel nolit, vel nequeat fungi officio ſuo, & parti læſæ ſuffragari. Nam aliquando reus vel ob diſtantiam, vel quia eſt in loco tuto, ſubducitur poteſtati Iudicis ſecularis: aliàs verò poteſt contingere, vt Iudex ſecularis obfirmatè negligat præſtare quod eſt ſui muneris: ſiue argentáginam paſſus, ſiue metu noxij ferocientis, vel præ potentia indomabilis à Iudice. Et ſuppono, non eſſe ſperandum auxilium à ſublimiore eiuſdem fori iudice; ſiue ad vrgendum Iudicem inferiorem vt munus ſuum obeat, ſiue ad obtinendum à noxio quod fert iuſtitia. Nam ſi talis ſublimioris Iudicis copia eſſet, adeundus haud dubiè foret, priuſquam monitorium aduerſus noxium quæreretur vel decer

decerneretur. Quinetiam ſi contingeret Iudicem inferiorem prætermittere quod eſt ſui muneris, non per impotentiam, ſed ex malitia, vel quia daret gratiæ impunitatem noxij, vrgendus ipſe priùs eſſet per monitorium ad præſtandum quod debet, & ſeruiendum iuri per ordinaria media, priuſquàm ad eam de qua agimus peruerſionem ordinis veniretur. At cum nihil horum feliciter cederet, (quod rarum & infrequens eſt) nihil eſſet quod obſtaret, quominus poteſtas Eccleſiaſtica paci fidelium conſulens, & peccata auertere ex munere ſuo ſtudens, intorqueret monitorium etiam pro cauſa temporali in perſonam laicam determinatam & notam. Quod ſi poteſtas Eccleſiaſtica, extra neceſſitatem prædictam vibraret huiuſmodi monitorium in perſonam certam, tunc Naldus v. *excommunicatio.* num. 8. negat talem excommunicationem fore validam. Sed verius eſt validam fore, tametſi cum peccato Antiſtitis eam ferentis. Ita Auila 2. p. c. 5. diſp. 2. dub. 1. concluſ. 4. cum Gloſſa, Neuizano, Gutierre atque Nauarro. Quo faciunt quæ præmiſi quæſito 5.

QVÆSITVM IX.

Debeátne qui monitorio feritur, ſubditus eſſe Præſulis monitorium ferentis.

RESpondeo debere eſſe ſubditum, vt diſertè ſtatuitur cap. *Romana.* & cap. *à nobis.* de ſent. excom. vbi Gloſſa & DD. communiter. Ratio autem eſt

 manifeſta.

manifeſta. Deeſt enim iuriſdictio in eum qui non eſt ſubditus. Excommunicationem autem non poſſe ferri niſi cum iuriſdictione, & in ſubditum, eſt quaſi primum principium apud Iuriſperitos: apud quos idcirco fixum eſt, excommunicationem abſque iuriſdictione, ſiue in non ſubditum, intortam, adeo nullam eſſe, vt quamuis poſtea à Iudice cui quis ſubiacet, rata habeatur, nequaquam conualeſcat, quia quod nullum ab initio eſt, ratum haberi non poteſt, vt habet regula iuris. Et ita paſſim DD. in cap. *prudentiam*. de offic. & pot. iud. deleg. Quare extra dubium eſto, excommunicationem ferre, eius tantùm eſſe qui ſuperior ſit, habeátque iuriſdictionem in eum qui excommunicatione impetitur. Proindéque monitorium cui excommunicatio conſcritur, non poteſt ferri niſi in ſubditum.

Sed vt hæc reſolutio plenè & ſolidè ſtabiliatur, obſeruandum eſt, ſubditum Præſulis monitorium ferentis, vel eſſe indigenam qui ſimpliciter ei ſubditus eſt ratione perſonæ, vel eſſe alienigenam qui in alieno Epiſcopatu reperitur non tranſlato illuc domicilio: quod feciſſe cenſetur, qui illic habitare ſtatuit ſaltem maiore anni parte, (quo pacto eadem eſſet eius ratio quæ indigenarum,) ſed ad breuem moram, vel in tranſitu. Et indigena quidem poteſt multipliciter ſe habere. Aut enim hæret ſemper in proprio Epiſcopatu, & de eo nulla tunc eſt difficultas: ligabitur enim monitorio proprij Epiſcopi, vbi tempus in monitorio præſtitutum fuerit elapſum, niſi ſtet monitorio & abiiciat contumaciam. Aut egreſſus è proprio Epiſcopatu, regreditur ad illum priuſquam conſummetur monitorium; nempe quia reuenit

priuſ

priuſquam tempus in monitorio præfixum elabatur. Et de hoc quoque non eſt difficultas. Ligabitur enim ni pareat intra tempus præfixum, ſaltem terminum ſtatuendo, & tempus conceſſum ſubducendo, ab eo puncto quo audiuit monitorium eſſe latum. Tota ergo difficultas quoad indigenam eſt. 1. ſi is tempore conceſſi & conſummati, monitorij fuerit extra propriam Diœceſim abſque mutatione domicilij, & interim proprius ipſius Antiſtes ferat monitorium, propter cauſam alibi datam, v. g. ob furtum factum extra Diœceſim. 2. quoad eundem indigenam difficultas eſt, ſi is initio quidem fuerit in Diœceſi cum monitorium eſt latum; vel ei ſaltem cauſam dederit exiſtens in Diœceſi, quia ſcilicet ibi deliquit: ante elapſum verò terminum, in monitorio conſtitutum, vel etiam ante monitorium latum, ſed poſt culpam admiſſam excedat è Diœceſi cuius eſt indigena, quod duobus modis poteſt accidere. Nam vel excedit è Diœceſi ſua, animo mutandi domicilium, vel abſque eo animo. Omnibus his modis difficultas eſſe poteſt, an indigena ſit ſubditus proprij Epiſcopi, & eius monitorio ligetur. Quoad alienigenam verò difficultas eſſe poteſt, an ſit habendus ſubditus Epiſcopi in cuius territorio reperitur, poſſitque proinde eius monitorio feriri. Item an qui in alia Diœceſi exiſtens prauo aliquo actu violauit alterius quàm ſuæ Diœceſis Epiſcopum, v. g. qui exiſtens in Diœceſi Gratianopolitana, violauit iura Antiſtitis contermini, puta Gebennenſis aut Tarentaſienſis, poſſit eius Epiſcopi quem violarit, ſubditus haberi quoad hoc, & ratione talis delicti in eum alibi admiſſi, percelli eius monitorio.

Quod attinet ad ſubditum proprium qui in aliena Diœceſi extitit tempore conceſſi & conſummati monitorij, eique intra propriam Diœceſim cauſam non dedit,negandum eſt eum illigari monitorio. Ita Henriq.l.13.c.26.num.1. Auila 2.p.c.3.diſp.2.dub.2. concluſ.1. Hurtado de cenſur.in comm. d.34.& omnes, ſi Couarruuiæ credimus in c.*alma mater*. p. 1. §. 10.num 3.ſed refragati poſt eum ſunt Vgolinus,Suares,& Sayrus quos adducit & ſequitur Bonac. diſp.1. de Cenſur.in commun.q.1.p.11.num.14. qui cenſent Epiſcopum per modum ſententiæ poſſe ſuos etiam in alieno territorio exiſtentes ligare. Id quod aliqui Iuriſperiti,tum demum verum fore cenſent,ſi Præſul intendat omnes ſuos ſubditos vbicunque fuerint, ligare cenſura quam decernit. Contrarium affirmo, & quidem neglecta ea Iuriſperitorum diſtinctione, quam meritò explodit Nauar. in Manuali cap.27.miſcell. 2. ſubiuncto num. 273. Ratio vniuerſaliter eſt, quia excommunicatio pertinet ad forum contentioſum,quod arctatur limitibus proprij territorij. Igitur monitorium ab alterius territorij Epiſcopo latum, non ligat eum qui in territorio alieno interim fuit. Huc facit decretum Bonifacij VIII. cap.*animarum*. de conſtitut.in 6. agens enim de ſtatutis Epiſcoporũ, docénſque ea non ligare ſubditos extra proprij Epiſcopi territorium, rationem hanc reddit, quæ æquè valet pro excommunicatione per ſententiam generalem aut ſpecialem;nimirum, quòd *ius extra territorium dicenti,non pareatur impune*.Non eſt ſenſus, eſſe dignum pœna qui paret Iudici ius dicenti extra proprium territorium, vt expoſuit Tabienna v. *excommunicatio*. 4. numer. 4. hic inquam non eſt ſen-

ſus

ſus oraculi illius Pontificij, tametſi perinde nobis id eſſet ad rem præſentem: ſed ſenſus eſt, impunitum eſſe, atque adeò culpa vacantem, neglectum eius qui ius dicit extra territorium. Itaque monitorium latum contra perſonam alioqui ſubditam, quæ abeſt à proprij Epiſcopi territorio, nec dum in eo eſſet, dedit cauſam monitorio, non ligat talem perſonam.

Quia verò locus extra Diœceſim, & locus intra Diœceſim quidem materialitér conſtitutus, ſed tamen exemptus, æquiparantur, vt benè notauit Franc. Zabar. repetit. in cap. *vt animarum.* de conſtitut. num. 35. & ibidem Gomeſius §. *ſtatuto.* num. 85. idcirco DD. benè multi, affirmant ſubditum Epiſcopi non poſſe eius monitorio feriri ob violationem legis vel ſententiæ factam in loco exempto. V. g. ſi quis alioqui ſubditus Epiſcopi Viennenſis, admittat furtum in monaſterio exempto, intra Viennenſem Diœceſim ſito, & Epiſcopus Viennenſis vibret monitorium ob huiuſmodi furtum; negant talem furem ligari eo ſui Epiſcopi monitorio. Et ratio eſt, quia monaſterium exemptum, & eius totus ambitus, non eſt formaliter in Diœceſi Viennenſi, ſed materialiter tantùm; quod non attenditur, vbi habetur ratio loci in quo Iudex ſortitur iuriſdictionem. Ita Syluester v. *excommunicatio.* 2. n. 22. Tabienna v. *excommunicatio.* 4. quæſito 3. Philiarcus 1. p. de offic. ſacerd. l. 3. c. 5. concluſ. 4. Henriq. l. 13. c. 26. §. 2. Auila citans pleroſque 2. p. c. 3. diſp. 2. dub. 5. Sayrus l. 1. de Cenſur. c. 6. num. 40. Graffis l. 4. deciſ. c. 8. num. 37. Naldus v. *exemptio.* num. 5. Zerola v. *excommunicationis cauſa materialis.* dub. 2. Hoc apud eum nonnulli Iuriſperiti, itémque Suares t. 5. 3. p. d. 5. ſ. 4. num. 6. Ægid. Coninck diſp. 13. de ſacram.

dub. 7. Hurtado de cenſuris in communi diffic. 8. num. 33. reſtringunt ad locum plenè exemptum: qualia aiunt eſſe, non monaſteria & Eccleſias Regularium exemptorum, ſed oppida exempta, aut parœcias quaſdam à iuriſdictione Epiſcoporum ſubductas. Non video tamen, quam diſparitatem afferre poſſint quæ ad rem faciat; aut cur domos exemptas, potiùs quàm oppida aut parœcias, velint eſſe diuerſæ & deterioris conditionis hac in parte. Similitérque non video, cur Ancharanus in cap. *vt animarum.* de conſtit. in 6. ſubſcribente vt videtur S. Antonino 3. p. ſummæ tit. 24. c. 75. §. 1. id quod diximus, reſtringi voluerit ad locum exemptum cuius Prælatus ex forma priuilegij habeat in eo loco Epiſcopalem iuriſdictionem. Hoc inquam non video quanto iure dicatur. Nam quomodolibet ſe habeat Prælatus loci exempti, (quod ad rem præſentem non videtur pertinere) dummodò locus ipſe planè exemptus ſit à iuriſdictione illius Epiſcopi intra cuius Diœceſim materialiter clauditur, militat ſemper eadem ratio, vt qui in eo deliquit, non ligetur talis Epiſcopi monitorio. Quare eodem planè modo philoſophandum videtur, de monitorio lato ob culpam in loco exempto admiſſam, quicunque demum is locus ſit, & quomodocunque ſe habeat eius Prælatus; ac de monitorio lato ob culpam admiſſam extra Diœceſim materialiter ſumptam.

Quod ſi ſubditus Epiſcopi, cum latum eſt monitorium, eíve cauſam dedit, intra Diœceſim quidem fuerit, ſed ante elapſum tempus in monitorio præfixum mutarit domicilium, quæ erat altera dubitatio, mota circa Epiſcopi ſubditum indigenam, diſtinguendum

guendum eſt. Vel enim mutauit domicilium iuſſus à ſuperiore propter bonum commune,aliámve ſimilem cauſam, vel certè domicilium mutauit ſuopte motu, aut denique in fraudem. In primo euentu deſinit eſſe ſubditus prioris Epiſcopi, etiam in cauſis iam coram illo inchoatis,vt habetur ex doctrina Bartoli ad l. 1. ff. de pœnis. Sublata autem ſubiectione, tollitur obligatio parendi tali Antiſtiti, atque adeò etiam deerit contumacia aduerſus præceptum eius, ſine qua non eſt locus excommunicationi, etiamſi terminus in monitorio præfixus elabatur. In aliis autem duobus euentibus propoſitis, hoc eſt cum quis indigena ſuopte nutu, vel in fraudem mutat domicilium poſt latum monitorium, atque adeò poſt inchoatam cauſam circa rem ante admiſſam, dicendum eſt quoad hoc perſtare in ea perſona ſubiectionem ad Epiſcopum proprium:ac proinde quantumuis ante elapſum tempus in monitorio conſtitutum ſedem mutet, illigari cenſura monitorij, cum tempus illud fuerit præterlapſum. Ita Suares t. 5. 3. p. d. 3. ſ. 5. num. 5. & 6. Et ratio eſt manifeſta, quia quotieſcunque cauſa eſt inchoata in vno tribunali,ibidem eſt finienda,licet perſona mutet domicilium, l. *ſi quis*. ff. de iudic. & cap. *propoſuiſti*.de foro compet. Quare in re præſenti,perſona de qua agimus,ratione inchoatæ iam cauſæ,manet ſubdita eius qui tulit monitorium;ſin minus ſimpliciter ſubdita, at ſaltem ſecundùm quid, & quoad hanc cauſam.

Tandem ſi cauſa nullo modo ſit inchoata, vel per conditionalem lationem cenſuræ ob peccatum iam admiſſum quæ eſt virtualis citatio, vel per citationem formalem, & quomodolibet factum cauſæ initium,

ſed

ſed tantùm præceſſerit culpa, poſt quam admiſſam reus ante omnem iudicij inchoationem, egrediatur diœceſim, immunis erit à monitorio poſtea lato, ſi egrediendo mutet domicilium: Niſi ſi Præſul ad cuius territorium confugit, rogatus eum reuocet ad locum delicti, ſicut facere tenetur, vt notant DD. cap. finali de foro compet. & Henriq. l. 13. c. 26. num. 2. ac Sayrus l. 1. de cenſur. c. 6. num. 43. Quod ſi egrediendo non mutet domicilium, ſed tantùm diuertat aliò, ad breuiorem moram quàm exigatur ad domicilij mutationem, tunc Soto in 4. d. 22. q. 2. artic. 1. Sylueſter & Fumus quos ſequitur Auila 2. p. cap. 3. diſp. 2. dub. 2. concluſ. 2. cenſent ligari monitorio, & incurrere cenſuram, ni pareat ante præſtitutum tempus elapſum, eo quod crimen ſupponatur admiſſum in Diœceſi proprij Epiſcopi: & alioqui futurum ſit, vt facinoroſi gladium Eccleſiaſticum omnino declinent; quia neque poſſent excommunicari in propria diœceſi à qua abſunt, neque in aliena in qua ſubiectionem non contraxerunt non admiſſo ibi delicto, nec comparato ibi domicilio.

Iam ſubditus alterius Epiſcopi, ſi tantùm in tranſitu reperiatur in eius territorio, nec decreuerit maiore anni parte ibi hærere, & ibi nihil peccet, non ligatur eius monitorio, quia caret ſubiectione. Nam quicquid ſit de cenſura per ſtatutum, quam aliqui cenſent incurri ab extraneo, tamen de cenſura per ſententiam omnes æquè conſentiunt, extraneum, qui duntaxat tranſit per alienam diœceſim nec in ea domicilium comparauit, nequaquam eſſe ei obnoxium, niſi (vt aiebam) delinquat ibi; nam tunc ratione delicti fit ſubditus, vt habetur cap. fin. de foro compet.

vnde

vnde ſic contracta ſubiectione ratione delicti, ſortitur forum Epiſcopi extranei in cuius Diœceſi reperitur, & in eo foro iudicari debet, quandiu in ea Diœceſi eſt. Nam ſi exeat inde, lite nullo modo inchoata, non ſubiacebit cenſuræ talis Epiſcopi, etiam quoad culpam ibi admiſſam: In quo differt à ſubdito indigena alibi peregrinante, qui remanet ſubiectus ſuo Epiſcopo, ac proinde ob culpam iam admiſſam poteſt ab eo plecti abſens, ſi tantùm peregrinetur. Si tamen ille aduena exeat iam præuentus citatione, & lite quomodolibet inchoata quando erat in aliena Diœceſi; atque adeò quando erat ſubditus, tunc ſubiacebit iudicio Præſulis in cuius Diœceſi deliquit. Quoad alias cauſas; alienigena ſicut non ſubeſt Epiſcopo extraneo, ita neque eius ſententiæ vel iudicio eſt obnoxius. Imo quamuis poſtea ratione domicilij aut delicti ſubdatur illi Epiſcopo, ſi tamen pro tempore quo ſententia aliqua ab eo emanauit non erat ſubditus, nequaquam ligabitur tali ſententia; quia hæc vires habuit cum primùm pronunciata fuit, & ad illud duntaxat tempus eſt referenda.

Quod circa alienigenam propoſitum eſt poſtremo loco, an ſcilicet ſubiaceat Epiſcopo extraneo quoad delictum quo iura eius violauit, etiamſi patrauerit delictum illud extra Diœceſim illius, reſpondendum eſt negatiuè. Qui enim dicitur ſubdi extraneo ratione delicti, non eſt intelligendus ſubdi, niſi ratione delicti admiſſi in territorio illius extranei Præſulis; vel quod ibi admiſſum cenſeatur, vt cum quis ita abeſt, vt omittat aliquid præſtare in alterius territorio quod præſtare debuerat. Peccatum namque omiſſionis, ibi cenſetur admitti vbi rem omiſſam, mandare

executioni oportuiſſet. Vnde Angelus v. *excommunicatio*, num. 10. & Syluester v. *excommunicatio*, 2. num. 8. notant, Parochum degentem extra territorium in quo eſt parœcia ipſi concredita, percelli excommunicatione in non reſidentes decreta ab illius territorij Epiſcopo; quia delictum quod non reſidendo admiſit, cenſetur hîc conſummari. Aliud verò eſſet de delicto quo aliquis extra territorium talis Epiſcopi in iura eius peccaret. Ago de Epiſcopo; nam Prælatus regularis, quod Syluester ibid. num. 15. admonuit, quia habet mundum vniuerſum pro territorio, ſubditum ſuum vbilibet exiſtentem ligare & ferire poteſt. Et ratio diſcriminis eſt, quia Epiſcopus immediatè habet iuriſdictionem in territorium, in perſona autem non niſi mediante territorio: Vnde perſonæ variato territorio ſubducuntur eius iuriſdictioni, nec ſententiis eius vltra ligantur. At Prælatus regularis, habet immediatè iuriſdictionem in perſonas, vnde eas quocunque pergant aſſequitur, potéſtque percellere. Tradiderunt hoc ipſum ante Sylueſtrum Ioan. Andr. in cap. *cum contingat*. de foro compet. & Geminian. in c. *vt animarum*. de conſtitut. in 6. ac S. Antoninus 3. p. tit. 24. cap. 75. §. 1. *ſub finem*.

QVÆSITVM X.

Qui poſsit monitorium concedere.

RESpondeo, monitorium ad finem reſtitutionis aut reuelationis, concedere poteſt ſolus Epiſcopus. Ita decernit Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 3. de reform. Vt enim corrigeretur corruptela nimiæ facilitatis in

his

his monitoriis concedendis ob res nihili, conſultiſſimè S. Synodus hanc facultatem ad Epiſcopum reſtrinxit. Quanquam certum eſſe debet, non excludi Prælatos Epiſcopo ſuperiores, in locis in quibus iuriſdictione potiuntur. V.g. legatus à latere in ſua prouincia poteſt hæc monitoria concedere, vt rectè aſſerit Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. à num. 5. & Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 12. qui idem teſtantur de Nuncio Apoſtolico, eo quod & ipſe ſit ſummi Pontificis Vicarius, ampláque iuriſdictione intra ſuæ prouinciȩ ambitum potiatur. Archiepiſcopum, ſi Epiſcopus qui ei ſubeſt, renuat iniuſtè huiuſmodi monitoria concedere, poſſe ad hoc adiri, notat Proſper de Auguſtino in additionibus ad ſummam Bullarij Quarantæ, v. *Archiepiſcopi autoritas*, autorit. 19. *in fine*, conſentítque Barboſa ſupra num. 4. qui etiam num. 21. poſt Nauarrum conſ. 11. de offic. ord. addit, interponi quoque poſſe appellationem ad Metropolitanũ, cùm terminus ad reſtituendũ vel reuelandũ præfixus eſt nimis anguſtus. Cuiuſmodi erat terminus bidui in eo monitorio quod Nauarrus prædicto loco excutit.

Hæc cum rata ſint apud DD. ſupereſt difficultas in re propoſita, quoad Prælatos Epiſcopo inferiores, & in primis quoad Vicarium Generalem. Quamuis enim ſit idem Vicarij Generalis & Epiſcopi tribunal, vt habetur c. 2. de conſuet. in 6. & c. *Romana*, de appell. itẽ in 6. tamen cum Concilium facultatem concedendi monitoria ad finem reſtitutionis aut reuelationis, ad ſolum Epiſcopum reſtrictam voluerit, videtur omnes alios, atque adeò etiam Generalem Vicarium excluſiſſe, ſi tantùm ſpectetur generalis commiſſio quam accipit ex munere Vicarij, nec interue-

niat ſpecialis ad id facultas, Vicario conceſſa ab Epiſcop. Ita Hugol.de poteſt. Epiſc.cap.45. Narbona de appellat. à Vicario parte 1. n.205. Barboſa allegat. illa 96.num.6. Sayrus in Claui Regia l.9. c.15. num. 21. Contraria tamen ſententia, quæ Generali Vicario vi commiſſionis generalis tribuit facultatem concedendi monitoria ad fines reſtitutionis & reuelationis, nec id à Concilio ademptum cenſet Generali Vicario, eſt valdè recepta. Sunt in ea ſententia, Gutierres l.1.qq. Canon. c.11.num.8. Henriq.l.13.c.17.num.4. Sbrozzius de Vicar.Epiſc. l.2.q.43. num.29. Garcias p.5.de benef.c.8.num.94. Auila 2.p.c.5.diſp.2.dub.2. Suares t.5.3.p.d.20.ſ.1.num.2. Sanchez l.3.de matr. diſp.29.num.16. Lazarius ſ.1.q.6.num.1. Sayrus ſibi contrarius l.1.de cenſur.cap.9.num.33. & alij quos hi proferunt. Fundamentum eſt, quia etiamſi Concilium edicit, vt monitoria ad fines prædictos à nemine præterquàm ab Epiſcopo concedantur, tamen eo ipſo quod Concilium non arctat Epiſcopum vt ferat hæc monitoria per ſe ſolum, relinquit Vicario antiquam facultatem, competentem eidem vi ſui muneris. Exemplum appoſitiſſimum eſt, cauſarum matrimonialium, quarum cognitio in eodem Concilio ſeſſ. 24.cap.20. ſoli Epiſcopo addicitur, & tamen certum eſt non excludi Generalem Vicarium. Neque verò vt Vicarius Generalis hac facultate vti poſſit, neceſſarium eſt abeſſe Epiſcopum. Nam etiam in eius præſentia poteſt munus ſuum exequi, & quoad conceſſionem horũ monitoriorum & quoad cæteras officij ſui partes, paucis exceptis, quæ nominatim excepta ſunt, aut quæ reuerentia Epiſcopo debita poſcit non fieri à Generali Vicario præſente Epiſcopo, vt eſt

apud

apud Rebuffum in praxi benefic.l.1.c.22.n.187. Hæc verò monitoriorum ad fines prædictos conceſſio, neque nominatim eſt excepta à numero earum functionū quas Vicario Generali in Epiſcopi præſentia obire licet; neque eſt eiuſmodi, vt Vicarius Generalis ob Epiſcopi reuerentiam debeat ea abſtinere præſenté Epiſcopo. Obſeruat porrò ibidem Rebuffus num. 217.poteſtatem Generalis Vicarij ſuſpendi,ſi autoritas Epiſcopi ſuſpendatur, quia incidit in excommunicationem,vel quia deuenit in hoſtium poteſtatem, aut quomōdolibet aliter contingat Epiſcopi autoritatem ſuſpendi. Tunc enim ſuſpendi quoque poteſtatem Vicarij Generalis,habetur ex cap.*ſi Epiſcopus*.de ſuppl.neglig.Prælat.in 6.& ex cap.1.de offic.Vicarij, eodem libro. Itaque in eo euentu,Vicarius Generalis non poſſet concedere monitorium: abſolutè autem cum liberum habet muneris ſui exercitium, potitur hac facultate.Et ratio eſt,quia idem eſt Vicarij Generalis & Epiſcopi tribunal. Igitur cum Epiſcopus quandiu eius autoritas non ſuſpenditur, poſſit hæc monitoria concedere, idem præſtare poterit Generalis Vicarius. Suſpenſa autem Epiſcopi poteſtate, eo ipſo continget ſuſpendi poteſtatem Generalis Vicarij, qui ſolius Epiſcopi radiis collucet. Ex contrario autem fundamento intulit Gutierres l. 1. qq. Can. c. 1. num. 83. aliter ſtatuendum eſſe de delegato. Nam delegati & delegantis non eſt vnum tribunal. Itaque ſuſpenſa per excommunicationem poteſtate delegantis, non ſuſpenditur eo ipſo poteſtas delegati, vt Gloſſa,Innoc. & Abbas, aliique à Gutierre num illo 83.& 84.adducti,tradunt.

Quod diximus Generalem Vicarium ab Epiſcopo

conſtitutum poſſe monitoria ad finem reſtitutionis ac reuelationis concedere, æquè affirmandum eſt de Vicario Generali per Capitulum conſtituto ſede vacante;quod rectè aſſeruerunt Gutierres l.1. qq. Can. c.11.à n.9. Bonac. diſp.2. de excom.in particul.q.1. p. vnic. num. 4. & multi apud Barboſam de poteſt. Epiſc.allegat.96.num.10. & ratio eſt,quia vt latè tradit Franc. Pauin. tract. de poteſt.Capit. ſede vacante parte 1.princip.q.1. & 2. & Tuſcus *litera* C. concluſ. 56. mortuo Epiſcopo, omnia quæ ſunt neceſſariæ iuriſdictionis, inter quæ eſt facultas excommunicandi, tranſeunt ad Capitulum,ex cap.*cum olim*,de maiorit. & obed. atque adeò Vicarius Generalis conſtitutus à Capitulo, ea autoritate potitur. Quia verò ſi Epiſcopus quidem ſit ſuperſtes,abſit autem à Diœceſi, nullo ante egreſſum conſtituto Generali Vicario,Archidiaconus ipſo iure in tali euentu eſt Generalis Vicarius Epiſcopi, iuxta cap. 1. & cap.*adhæc* de offic.Archid. idcirco affirmandum eſt, in eo euentu facultatem Archidiaconi porrigi quoque ad conceſſionem monitoriorum ad finem reſtitutionis ac reuelationis, vt bénè docet Lazarius ſect.1.q.6.num.11.

Omnia quæ hactenus ſunt conſtituta, quoad Generalis Vicarij ab Epiſcopo,aut Capitulo,vel iure ipſo conſtituti poteſtatem, ad concedenda vi proprij muneris monitoria ad fines reſtitutionis aut reuelationis,æquè valent pro Generali Vicario conſtituto per ſummum Pontificem. Imo iſti, vt benè aduertit Decius cap.*quoniam*.de Offic.deleg. peculiare eſt,vt poſſit exequi monitoria à Pontifice conceſſa,& pro more directa Epiſcopo, vt tanquam delegatus Sedis Apoſtolicæ ea recognoſcat, iubeátque eſſe rata, ſi

preces

preces Pontifici propoſitas niti veritate compererit, vt ſanxit Pius V. & habet vſus. Huiuſmodi namque literas, niſi Pontifex expreſsè aut Epiſcopo aut eius Vicario executionem illarum demandet, ſolus Epiſcopus tanquam delegatus Pontificis exequitur, non item Vicarius, niſi ſubdelegante eum Epiſcopo; quod poteſt, quia delegati à ſummo Pontifice poſſunt ſubdelegare, vt tradunt DD. ad tit. de offic. deleg. & Iaſon l. *à iudice*, C. de iudic. Sed neque viceuerſa, Epiſcopus cauſam ad Vicarium Generalem directam, poteſt excutere, quandiu Vicarius perſtat in munere iuxta Panorm. cap. *quoniam*. de offic. deleg. num. 15. & ibid. Decium. At Vicarius Generalis à Pontifice conſtitutus, monitorium Pontificium, directum à Pontifice ad Epiſcopum, poteſt exequi abſque alia Epiſcopi delegatione, cum ipſe quoque ſit delegatus Pontificis.

Itaque reſtrictio poteſtatis concedendi monitorium ad finem reſtitutionis aut reuelationis facta à Concilio Tridentino, non excludit Generalem Epiſcopi Vicarium, ſiue ab ipſo Epiſcopo, ſiue à Capitulo, ſiue iure ipſo, ſiue à ſummo Pontifice conſtitutum. Controuerſia verò eſt an excludat quoſdam Abbates & alios Prælatos qui potiuntur iuriſdictione Epiſcopali. Aſſentior iis qui admittunt quemcunque potientem iuriſdictione quaſi Epiſcopali, non includi ea Concilij limitatione. Ita Tuſcus *litera* E, concluſ. 437. Suar. t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 1. num. 2. & vt videtur Sayrus l. 1. de cenſur. c. 9. num. 33. Illos igitur duntaxat arctat limitatio per Concilium adhibita, qui Epiſcopis ſubordinantur, nec potiuntur iuriſdictione Epiſcopali, vel quaſi Epiſcopali, vt Archipresbyteri,

& Archidiaconi, cum non deeſt Epiſcopus aut Vicarius Generalis. Item excluditur per eam limitationem Viſitator Generalis ab Epiſcopo conſtitutus, iuxta Henriquem l.13.cap.17. num.4. ac Vicarius foraneus, quia non habet idem tribunal cum Epiſcopo: vnde ab eo datur appellatio ad Vicarium Generalem, vel ad Epiſcopum, quæ non conceditur à Vicario Generali ad Epiſcopum. Prælatos item Regulares ea limitatione excludi, cenſet Roderic. t.2.qq. Regul.q.59. artic. 4. quod intelligo de illis Prælatis regularibus qui non potiuntur quaſi Epiſcopali autoritate, cuiuſmodi eſt Prior conuentus, quem non fuiſſe excluſum malè cenſuit Graff. conſil.6. de excommun. num.11. & Lazar. ſ.1. q.8. quamuis enim talis Prælatus poſſit ſuis ſubditis ſub pœna excommunicationis quippiam mandare, non tamen ad finem reſtitutionis aut reuelationis occultorum, quia Concilium arctauit hanc poteſtatem ad Epiſcopos; id eſt vel ad ſimpliciter dictos Epiſcopos, vel ad eos Prælatos qui iuriſdictionem habent quaſi Epiſcopalem, cuiuſmodi non eſt Prior, & ſimiles. Et ita ſoli Guardiani in ordine Minorum de Obſeruantia vetiti ſunt ad prædictos fines excommunicare, quia non potiuntur autoritate quaſi Epiſcopali. Ita refert Miranda t. 2. Manu. q.35. art.12.

QVÆ

QVÆSITVM XI.

Quomodo ſecularis poteſtas ad monitorij conceſsionem ſe habeat.

RESpondeo, Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. c. 3. de reform. non modò Epiſcopis ad ſenſum proximè expoſitum reſeruatam voluiſſe facultatem concedendi monitoria ad finem reſtitutionis ac reuelationis, ſed etiam addidiſſe, cauendum eſſe, ne Epiſcopus ad has literas monitorias concedendas, *cuiuſuis ſecularis, etiam Magiſtratus, autoritate adducatur.* Inferiùs verò generaliter addit, Nefas eſſe ſeculari cuilibet Magiſtratui, prohibere aut mandare Eccleſiaſtico Iudici, vſum Eccleſiaſtici gladij, aut eius remiſſionem in vaginam: cum non ad ſeculares, ſed ad Eccleſiaſticos, vniuerſum hoc negotium pertineat. Voluit nimirũ ſancta Synodus, cõprimere abuſionem vrgẽdi, vel compellendi Antiſtites ad conceſſionem monitorij, quam ſeculares Magiſtratus inuehebant. Pugnat latè pro ea licentia Laurentius Bouchel in Bibliotheca iuris Gallicani v. *monitorium*, ſed ita vt vſum duntaxat alleget, quem Concilium manifeſtè ſtatuit eſſe corruptelam extirpandam. Licentiùs etiam eo loco idem Autor, ſeculari poteſtati conceptis verbis tribuit poteſtatem ferendi cenſuram monitorio conſertam, & ab ea abſoluendi: eaque poteſtate non modò Iuſtinianum & Carolum Magnum vſos affirmat, ſed omnes ęquè Principes, & eorũ miniſtros vti ſimiliter poſſe contendit. Hic ne quis virus aliquod doctrinæ

pro bono ſucco hauriat, in tam frequenti libri illius verſatione per Iuriſperitos noſtrates, obſeruandum eſt, aſſertioné illã qua poteſtas laica dicitur poſſe per ſe ipſam intorquere excommunicationẽ,vel ab ea abſoluere,nõ poſſe à manifeſta hæreſi liberari. Nemini enim ius eſt in Eccleſiaſtici gladij exſertionem, præterquam Eccleſiaſticæ poteſtati. Idque contra Anglicanam hæreſim affirmant vno ore omnes Catholici. Vſus verò in contrarium prætenſus, nunquam viguit apud Catholicos Principes, bonóſve & Catholicos eorum Præfectos & adminiſtros. Nemini enim eorum in mentem vnquã venit,vt alienam ſibi poteſtatem arrogaret; & monſtroſè ſpiritualia iura cũ temporalibus,tiaram cum corona,cum ſceptro pedum,in perſona laica conſociaret. Nec vt id ipſi voluiſſent, aliquid reuera effeciſſent. Imo nulla quantumuis longa conſuetudine talem poteſtatem præſcribere potuiſſent, vt rectè ſtatuit Panorm. in c. fin. de conſuetud.num.15.& in c. *Maſſana*,de elect.num.4.Sed Principes aut Magiſtratus qui excommunicationem intorſiſſe aliquando,vel ab ea exſoluiſſe ſunt viſi,per Epiſcopos quorum id eſt proprium, obiri ea munera curauerunt. Et qui vt par erat reuerentes erga Eccleſiam fuerunt,& Antiſtitum ſe in Chriſto oues agnouerunt,non vi aut imperio Præſules ad talia præſtanda adegerunt vnquam, ſed interpoſitis ſupplicibus precibus, vel adhortationibus,& perſuaſionibus,non Theſſalicis vt Eunapius loquitur, id eſt ineluctabilibus & violenter adigentibus,ſed quæ eſſent quod dicũtur, exorarũt ab eis,vt hoc remediũ malè grauatis, vel bono publico non negarent. Certè Iuſtinianus qui ſupra cæteros minùs cauiſſe viſus eſt ſacræ & profanæ

profanæ politiæ mixturam, eóque nomine à Facundo Hermianenſi illius temporis ſcriptore, caſtigatus liberrimè eſt l. 12. pro tribus capitulis ferè toto, & nominatim c. 3. 4. & 5. aliud reuera noluit quàm quod diximus, vt notauit de ſacrorum immunitate tractans Ribadeneira lib. 1. de Principe cap. 22. & Anaſtaſ. Germonius l. 2. de ſacror. immunit. c. 1. & 11. Vel ſi plus voluit Iuſtinianus vt ſatis ſignificat Liberatus c. 23. Breuiarij & Innocentius Maronianus epiſtola ad Thematem Presbyterum, non eſt quod pij & Catholici rectores populorum, Iuſtinianum æmulentur, hominem morum contaminatiſſimorum, vt Procopius in hiſtoria arcana, Euagrius & alij prodiderunt; tandémque hæreſi miſerè immortuum.

QVÆSITVM XII.

An Iudex Eccleſiaſticus, poſsit monitoria ex officio & nemine petente concedere, vel tantùm ad inſtantiam partis, & cuius partis.

RESpondeo, vt plurimùm monitoria concedi tantùm petente parte, & iudicis auxilium implorante; aliquando tamen fas eſſe Iudici, nemine petente ferre monitorium. In cauſa enim rerum Eccleſiaſticarum malè vſurpatarum, poteſt Epiſcopus motu proprio monitorium ferre, vt reos adigat ad reſtituendum vel conſcios ad detegendũ, vt fecit Ioan. XXII. extrau. vnica de furtis. Item cum criminoſus quiſpiam petit monitorium ad damnorum ſibi illatorum

reparationem, obſeruat Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num.47. negandum eſſe monitorium petenti,tamen Iudicem ex officio agere debere,vt homo ille indemnis fiat. Quid quod Iuriſperiti paſſim, vt refert idem Neuiz. ibid.num.30.& 31. non modò agnoſcunt Iudicem Eccleſiaſticum poſſe ex officio concedere monitoria, vt purget prouinciam ſceleribus, ſed etiam multo plus efficaciæ tribuunt monitoriis ſolius Iudicis Eccleſiaſtici voluntate conceſſis,quàm iis quæ tulerit inſtante parte: quandoquidem iis quæ inſtante parte conceſſa fuerint, denegant vim adigendi conſcios, vt patratorem ſceleris v.g.furem manifeſtent. Quod veréne ab eis dicatur, & an conſentiat cum iure partis & Epiſcopi poteſtate, nunc non excutio, contentus inferre agnoſci à prædictis DD. poteſtatem in Eccleſiaſtico iudice, ad concedenda ex officio monitoria. Debere quoque Antiſtitem poſt latum monitorium,denunciare excommunicatum nominatim,eum qui compertus fuerit non paruiſſe monitorio; debere inquam id ex officio præſtare quamuis inſtante nemine, docet cum aliis Gutierres l. 1. Can. qq.c.11.num.92.

Quæ verò poſſit eſſe pars illa cui inſtanti conceditur monitorium, breuiter exponi poteſt, dicendo, eſſe quemcunque fidelem,non criminoſum,cuius interſit. Reſtringo hoc negotium ad fideles,quia ij qui neque actu neque obligatione fideles ſunt, non poſſunt in cauſis ſuis, hoc Eccleſiaſticum remedium ſibi depoſcere,quia cum legibus Canonicis non obſtringantur, fruſtra & indebitè canonicum pro ſe ſubſidium aduerſus fideles implorarent. Itaque Iudæis vt notat Lazarius ſ.1.q.9.num.2. eodémque iure Paganis

nis & Saracenis, non patet perfugium ad hoc remedium, cum fideles per monitoria vrgere vellent: ſed id fidelium qui obligatione parendi Eccleſiæ obſtringuntur, peculiare beneficium eſſe conuenit. Nec tamen omnium. Nam inſtante excommunicato, aut quouis manifeſtè & notoriè criminoſo, non eſt hic fauor concedendus, vt habet Gloſſa & Panorm. ad cap. *nouit*. de iudic. & cum aliis Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 47. *in fine*. addens tamen cum Imola, & Decio aliiſque nonnullis, criminoſo emendato negandum non eſſe hoc beneficium. Sed neque omnes fideles innoxij, poſſunt exorare monitoria. Non enim ij quorum non intereſt: ſed ij duntaxat qui damnum ſunt paſſi, aut paterentur. Hi namque ſunt *quorum intereſt*, ad quos hoc negotium reſtrinxit Pius V. ea de monitoriis conſtitutione cuius initium eſt, *ſanctiſſimus*. Læſorum tamen vel lædendorum nomine, intelliguntur ij quoque, qui læſorum nomine agunt, tanquam ipſorum procuratores, habentes ad id ſpeciale mandatum. Eſſe enim hoc neceſſarium, docet Specul. tit. de procurat. verſic. 18. Cæterum non eſt neceſſarium, vt intereſſe alicuius monitorium petentis ſit planè exploratum: ſed in dubio quoque poteſt ei concedi monitorium, ſi alioqui periclitaretur res pro qua monitorium petitur; ita vt niſi tunc obtineretur monitorium, eſſet poſtea futurum, vt comperto & declarato iuridicè petentis iure, dilapidata & auerſa fuiſſet.

QVÆSITVM XIII.

Vbi,& quando ferri queat monitorium.

RESpondeo, locum ferendi monitorij ſi requiratur cauſæ cognitio,non eſſe niſi proprium territorium;is enim eſt locus ferendæ excommunicationi addictus,ex cap.*Epiſcopi.9*.q.2.& ex cap.*nouit*.de offic.deleg.& ex cap.*vt animarum*.de conſtitut.in 6.Et ratio eſt perſpicua,quia iuriſdictio contentioſa,cuiuſmodi eſt ea qua fertur excommunicatio, non poteſt extra proprium territorium exerceri. Vnde extra territorium ius dicenti,non paretur impune. Poteſt quidem Prælatus, extra proprium territorium exercere iuriſdictionem voluntariam & gratioſam: ideóque poteſt ſacramentaliter abſoluere ſubditum ſuum extra propriam Diœceſim,vt docet Syluester v.*Confeſſor*.1.q.14.& Suarez t.4.3.p. diſp.25. ſect.1.num.17. adducens alios. Poteſt item ibidem conferre beneficium,vt latè tradit Selua de benefic.p.3. q.40. & 63. & alij quos profert & ſequitur Couar.3.var. cap.20. num. 8. At iuriſdictionem contentioſam, ne iuriſdictionum perturbatio conſequatur,non poteſt Prælatus exercere extra ſuum territorium niſi de conſenſu Ordinarij,præterquàm cum res eſt adeò manifeſta vt cauſæ cognitionem non requirat: ſic enim ceſſat obex exercendi iuriſdictionem hanc in alieno territorio. Vnde quia Prælatus in delictis notoriis poteſt procedere abſque cauſæ cognitione,fas illi eſt ſubditum ſuum excommunicare, ferendo ſententiam in

alieno

alieno territorio, vt habetur ex Nauarro in Man. cap. 27.num.6.& Sylueſtro v.*excommunicatio*,1.num.6.& Sayro plures adducente l.1.de Cenſur. c.6.num. 46. Illi verò circiter duodecim euentus quos idem Sayrus c.14.num.6.recenſet, in quibus Epiſcopus poteſt in alieno territorio excommunicare, non conuellunt quæ proximè ſunt conſtituta. Eò quippe vniuerſi reuoluuntur, vt tunc tantùm poſſit Epiſcopus excommunicare in alieno territorio, cum non eſt ibi neceſſaria cauſæ cognitio, aut cum ſuppetit ad id facultas ob conſenſum Ordinarij, vel ob præſcriptam conſuetudinem. Quare nihil inde aduerſus proximè conſtituta inferri poteſt; fixúmque manet, Antiſtitem non poſſe in alieno territorio ferre monitorium, ſi neceſſaria ad hoc ſit cauſæ cognitio. Quia verò locus exemptus intra territorium, perinde ſe habet ac ſi eſſet extra territorium; inde efficitur, Epiſcopum inuito Monaſterij alteriúſve loci exempti ſuperiore, non poſſe in eo ferre monitorium, vt habetur ex Henrique l.7.ſummæ c.26.num.5. qui alios profert: itémque ex Auila 2.p.c.5.diſp.2.dub.2. concluſ.1. ſuffragante cap.*cum Epiſcopus*.de offic.ordin.in 6.

Quod attinet ad tempus concedendi monitorij, dubitatio aliquando fuit poſſéntne monitoria peti ac concedi ante litem cœptam. Sed vſum illum negandi monitoria ante litem cœptam qui aliquando inualuerat, improbant Alba conſ. 15. Craueta conſ. 181. & Anton.Sola ad antiq.Sabaud.conſuet.tit. *vt nemo inuitus*, Gloſſa vnica num. 8. Is quippe agendi modus veritatis indagationi obſtat, & probationum facultatem coanguſtat, quod DD. in cap.2. de probat. communi conſenſu refugiendum monent. Optima ſanè

ratio

ratio qua quis poſſit perſpicere, an deſtituendus ſit firmamentis litis cum fructu mouendæ, & perſequendæ, nempe probationibus & teſtimoniis, eſt conceſſio monitorij. Quidni ergo peti & concedi poterit ante litem cœptam? Alij è contrario negarunt, lite iam mota & pendente coram iudice laico, concédi poſſe monitorium, vt lis finiatur vbi cœpta eſt, quę eſt ſententia Neuizani l. 3. ſyluæ num. 60. quam videri vſu receptam, ait Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſuram cogendis num. 28. meritò tamen contrarium ſtatuens, vt apertè habetur ex cap. 1. & 2. de teſt. cogend. Neque enim idcirco lis extrahitur à tribunali laico, ſed tantùm ſeruitur explorationi veritatis, & excluſioni peccati. Quare fixum eſto, generatim loquendo, nullum eſſe conſtitutum tempus concedendo monitorio: & ſiue non cœpta ſiue pendente lite, peti & concedi ritè poſſe; & quidem quacunque die. Nam concedi etiam poteſt die feriata, quia agitur de præcluſione peccati, ac proinde de negotio pietatis, cui qualibet die licitè vacatur, ex cap. *conqueſtus.* de feriis. Promulgatio tamen, dedeceret dies valdè ſolemnes, niſi Epiſcopus ex graui cauſa aliud cenſeret. Quanquam enim excommunicatio, vbi cauſæ cognitio non eſt neceſſaria, poteſt diebus feriatis & ferri & denunciari, vt notant Federicus de Senis conſil. 11. 12. & 13. Abbas in cap. vlt. de feriis num. 16. & duobus ſeqq. Suarez l. de feſtis c. 30. num. 9. & Sayrus l. 1. de cenſur. cap. 14. num. 8. & 10. imo etiamſi cauſæ cognitio eſſet neceſſaria, valituram tamen ſententiam die feſto latam fusè proſequitur Graffis 2. p. dec. l. 2. c. 13. num. 22. Tamen extra valdè grauem neceſſitatem, ſanctitas dierum in tota Eccle-

ſia ſolemniſſimorum non eſt hoc ſtrepitu temeranda, vt rectè cenſuit Lazar. ſ. 1. q. 19. num. 4. & Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 1. & 43. Interdiu, non autem noctu, ferendum eſſe monitorium, monere peculiariter, non eſt neceſſe: eſt quippe id commune cuiuis excommunicationi, ex cap. *conſuluit.* de offic. deleg. Vbi Gloſſa v. *tenebras*, & Panormit. num. 11.

QVÆSITVM XIV.

Quid conferat terminus temporis monitorio præfixus, & quomodo intelligatur.

RESpondeo, tempus in monitorio præfixum, vt intra illud, aliquid fiat, id efficere, vt ante illud tempus elapſum, non incurratur excommunicatio. V. g. ſi præfigatur monitorio terminus 12. dierum, quorum quatuor primi aſſignentur pro prima monitione canonica excitante ad exequendum mandatum, vel legitimas excuſationes proferendas; quatuor alij pro ſecunda monitione; totidem poſtremi pro tertia, clarum eſt quandiu peremptorius hic terminus non eſt elapſus, non incurri excommunicationem monitorio conſertam: quia ante illius termini effluxum, deeſt contumacia. Elapſo verò eo termino, ſi excommunicatio conditionalis erat latæ ſententiæ, incurritur excommunicatio abſque alio actu iudicis, dummodò non interuenerit impedimentum legitimum, quod comperendinationem aliquam

quam inueheret, quale eſſet, ſi intra tempus illud non potuiſſet præmitti fraterna correctio. Terminus enim monitoriis præfixus, quando res id patitur, non cenſetur incipere niſi poſt adhibitam correctionem, vt benè aſſerit Bonac. tract.6.ex variis p.1.§.8. num.4. multos ad id proferens. Legitimum quoque impedimentum cenſeretur, ſi vltimus dies eſſet feriatus, nec quod vi edicti eſt iuridicè faciendum, poſſet ea die iuridicè fieri; v. g. deponere apud Notarium quod reſciueris. In quo euentu, terminus ſtatuendus eſt in die conſequenti non feriato. Conuenit denique inter omnes, terminum aſſignatum non eſſe definiendum niſi poſt tempus notitiæ. V.g. ſi ſint præfixi tres dies, non ſunt dies illi numerandi à tempore lati edicti, ſed à tempore quo is quem edictum tangit, conſcius fuerit edictum eſſe latum. Nam priuſquam tali notitia colluſtretur, non poterit cenſeri contumax omittendo quod præcipitur. Itaque quia ob ignorantiam qua laborat, nō debet eſſe peioris conditionis; tantundem ſpatij concedendum ei eſt à puncto comparatæ notitiæ, quantum in monitorio conceſſum eſt iis qui ab initio promulgationis notitiam edicti ſunt conſecuti. Ita rectè Henriq.l.13.c.18. num.6. Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.3.*in fine*. Filliucius tract. 14.c.2. num. 42. ac Bonac.tract.6. ex variis p.1. §.7. num. 1. qui idem extendit ad illum qui poſt monitorium generaliter latum, incipit eſſe ſubditus Antiſtitis à quo monitorium eſt latum. Hæc clara & certa videntur.

At difficultas primò eſt, vnde ſint numerandi dies præfixi. Suarez loco proximè notato num.13.& ibid. Filliucius num. 41. volunt dies illos numerari ab eadem

dem hora qua edictum profertur. V.g. ſi edictum ſit latum die Dominica, hora nona matutina, & præſtitutus ſit terminus ſex dierum, aiunt hi autores, terminum præſtitutum fore conſummandum expletis ſex diebus naturalibus eadem hora. Ratio eſt, quia poteſtas plena, ſi velit, illico eſt efficax, & operatur quod poteſt. Atqui poteſtas Eccleſiaſtica eſt idonea ad excommunicationem infligendam, & quantum ex verbis edicti coniicere licet, omnino vult terminum deliberationi conſtitutum conſummari in puncto quem præfinit. Igitur vanum videtur, terminum illum vlteriùs prorogare, & procraſtinationes gratis fingere. Plerique tamen autores, negant diem quo promulgatur monitorium, comprehendi intra numerum dierum aſſignatum pro termino, niſi verba edicti aliud expreſsè ferant. Ita Henriquez l. 13. cap. 18. num. *6.* Lazarius ſect. 2. quæſt. 1. num. 4. Barboſa de poteſtate Epiſcopi, allegat. *96.* num. 75. Bonacina tractatu *6.* ex variis p. 1. §. 7. n. 2. & Diana parte 3. tract. 5. reſol. 95. Huic poſteriori ſententię, probabilitatem conciliat communis opinio Iuriſperitorum, apud quos dies quo aſſignatur certus terminus, non computatur in termino, vt habent Iaſon & Bartolus ad l. 1. ff. *ſi quis caut.* & Tiraquel. de vtroque retract. p. 1. §. 1. num. 41. Ferunt etiam, vſum qui eſt optimus legum interpres, paſſim adſtipulari huic poſteriori ſententiæ. Negari tamen non poteſt, quin prior planiùs inhæreat cortici literæ edicti, ſitque ſecurior.

Difficultas ſecundò eſt, an qui intra terminum præfixum neglexit operis indicti executionem, eo termino elapſo, teneatur adhuc edicto parere ſi poſſit, an

verò

verò parendi obligatio vnà cum effluxu termini euanuerit. Non perſeuerare exequendi obligationem, cenſet Tabienna v.*excommunicatio*,4.num.4. Fumus eodem verbo,§.34.Philiarcus de offic.Sacerd.p.1.lib. 3.cap.34. Hugol.de poteſt.Epiſc.cap.45.§.5. num.1. Naldus in ſumma v.*reuelare*.num.2.Contrarium rectè affirmant Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.3.num.14.Diana parte 3.tract.5.reſolut.95.Roder. in ſumma p.1.cap.79. num.18.Barboſ. de poteſt.Epiſc.alleg.96.num.75. qui alios præterea in hanc rem proferunt. Ratio eſt, quia terminus non præfigitur ad extinguendam pro conſciis obligationem,ſed ad eam vrgendam. Itaque quantumuis terminus ſit iam tranſactus, tamen obligatio exequendi quod indictum fuerat, perſeuerat per ſe loquendo. Quod addo, quia per accidens poſſet tunc euaneſcere obligatio.V.g.ſi Iudex qui monitorium tulit, moreretur aut munere abiret. Nam excommunicatio per ſententiam ab homine lata,extinguitur vnà cum eo, aut eius munere. At per ſe loquendo, & ſpectata forma præcepti, obligatio eius perſtat, etiam poſt elapſum terminum conſtitutum. Simile eſt,quod de præcepto annuæ Confeſſionis habet veriſſima ſententia,cui contra paucos aduerſantes ſubſcribit cum multis Valent.3.p. d.7. q.9. p.4. quantumuis enim annus effluxerit, currit adhuc confitendi obligatio,cui quàm primum eſt ſatisfaciendum, & niſi id faciant qui confeſſionem eo anno omiſerunt, mulctantur ab Eccleſia, & quidem alicubi per excommunicationem, à qua non priùs abſoluuntur quàm fuerint cōfeſſi;quod eſt manifeſtum indicium, obligationem talis præcepti continuè vrgere, donec præcepto factum ſit ſatis: alioqui ſi tantùm punirentur

tur ob culpam præcedentem,poſſent ac deberent exſolui vinculis iniectis, exhibito ſolo dolore prioris culpæ.Intelligunt ergo Præpoſiti,obligationem confitẽdi,quamdiu præceptum non impletur, perſeuerare. Simile præterea eſt, quod contingit in cenſus annui perſoluendi obligatione, quæ non ceſſat quouſque debitum ſit perſolutum, etiamſi terminus ſolutioni præfixus iam effluxerit. Sunt quidem nonnulla præcepta affirmatiua, in quibus deſignatio temporis fit,vt in illo extinguatur obligatio,nec currat vltra illud:quod perſpicuè cernitur in præcepto ſacri die feſto audiendi,aut ieiunandi certa die,vel horas Canonicas hodie recitandi.Longè verò aliter ſe habet deſignatio temporis in monitorio, vel in præcepto confitendi quotannis, aut cenſum perſoluendi. Ex fine namque & forma horum præceptorum, ſuffragante praxi recepta,conſtat mentem legiſlatoris fuiſſe præfigere terminum vt executio præcepti vltra eum terminum non differatur,non autem vt exequendi obligatio, elapſo eo termino euaneſcat, quoad conſcios præcepti intra tempus præfixum.

Ex hac reſolutione inſuper habetur, quid reſpondendum ſit ad difficultatem tertiam,quæ moueri poteſt circa eundem terminum:Nimirum vtrùm ſi quis non contempſerit quidem parere monitorio, tamen ob ignorantiam edicti per totum tempus præfixum aut aliam iuſtam ob cauſam quæ durante toto illo tempore excuſauerit ab executione, prætermiſerit parere; poſtea elapſo iam termino præfixo edoctus præceptum, vel liber ab impedimento priùs excuſante, teneatur exequi quod monitorium edicebat. Negat quoad ignorantiam Fumus v. *excommunicatio,*

E num.

num.34.& probabile cenſet Lazarius ſ.2.q.1.num.9. & rectè vt dicam quæſito 15. Tunc enim præceptum euiguit. Contrarium aſſeritur à Suare t.5. 3.p. d.20.ſ. 3.num.14.& à Bonacina tract.6.ex variis p.1.§.9. n.1. quorum placitum innititur principio poſito. Cũ enim conſtitutum ſit, terminum non præfigi ad elidendam obligationem, ſed ad eam duntaxat vrgendam, inferunt hi DD. obligationem quantumuis exacto termino durare in vtroque euentu propoſito: cum ea tamen differentia, quod qui diſtulit exequi præceptum ob ignorationem edicti, differre poteſt executionem præfigendo ſibi terminum in monitorio conceſſum, ducto initio ſpatij à puncto comparatæ ſcientiæ. At qui ob ſolam impotentiam aliámve iuſtam cauſam, fuit excuſatus ne exequeretur mandatum intra terminum conſtitutum, non poteſt alium ſibi terminum præfigere, ſed tenetur illico parere, quia monitorij conſcius tẽpeſtiuè fuit, ac proinde ſufficientẽ deliberandi & rem perpendendi moram obtinuit. Per accidens tamen, poſſet quoad vtroſque euaneſcere obligatio exequendi poſt elapſum terminum præfixum: ſi nimirum conſtaret actum monitorio indictum, fore modò inutilem; vel ſi ſatisfactum iam eſſet parti; aut ſi poteſtas Iudicis qui monitorium tulit, euanuiſſet per eius mortem, aut remotionem à munere. Ita quidem DD. prædicti, quorum ſententia quoad impotẽtiam eſt planè vera, vt dicam quæſito 15. Quoad ignorantiam tamen, non ſolutam niſi planè tranſacto termino, eſt reiicienda, quia tunc præceptum euiguit. Quod autem dicitur terminum poni, ne executio differatur, non item vt obligatio extinguatur, verum eſt quoad conſcios præcepti intra tempus præfixum

in

in monitorio, non autem quoad eos qui præceptum ignorarunt quandiu vim habuit.

Mouetur quartò difficultas, an qui terminum eſt prætergreſſus nec paruit, quamuis nullo modo excuſaretur, toties nouam excommunicationem contrahat, quoties elapſo iam termino ſciens & volens dimittit occaſionem exequendi mandatum. Affirmat Bonac.diſp.1.de cenſur.in communi q.1.p.5.à num.5. Subſcribo potiùs contrariæ ſententiæ, quam tradit Barboſa allegat.96.ſæpè citata num.75.& probabilem iudicat Diana parte 3. tract.5. reſolut.95. Ratio eſt, quia ea edicti prætergreſſio,non eſt nouum peccatum moraliter loquendo quoad forum humanum, ſed eſt continuatio eiuſdem culpæ. Qua ipſa ratione detentionem longam rei alienæ,occurrentibus reſtituendi occaſionibus,& nulla cauſa legitimè excuſante, eſſe tantùm eiuſdem peccati continuationem moraliter loquendo, cenſet Leſſius l.de iuſtit. cap.12.num.20. Accedit quod non videtur fuiſſe mens Eccleſiæ vt noua excommunicatio incurratur, quandiu non iterat excommunicationem, vt ſæpè facit, cum contumacia creſcit,nouáve iuſta cauſa geminandæ excommunicationis occurrit. Et fruſtra ſanè,vel etiam falsò diceretur, fieri ab Antiſtitibus in eo euentu iterationem & congeminationem excommunicationis.Tantùm quippe interuenire oporteret declarationem nòuam multiplicis excommunicationis ex natura rei contractæ.

Eſt quinta difficultas, an terminus in monitorio præfixus prorogari poſſit ex ſola voluntate partis ad cuius inſtantiam conceſſum eſt monitorium, iudice interim prorſus inſcio ac ne tacitè quidem conſen-

tiente in prorogationem poſt habitam eius notitiam. Affirmant Panorm. cap. *præterea*, 2. de appellat. num. 4. & ibi Decius & Anchar. ad cap. *quicunque*, de ſent. excommun. in 6. num. 3. Tolet. l. 1. inſtruct. cap. 9. num. 5. Hurtado diſp. de Cenſur. in commun. difficult. 26. num. 113. Suarez t. 5. 3. p. d. 3. ſ. 6. num. 9. & ſeptem Theologi Ordinis Minorum in Capitulo prouinciali, quos refert & ſequitur Neuizanus lib. 3. ſyluæ nupt. num. 55. Ratio horum autorum eſt, quia monitorium in gratiam partis eſt conceſſum, vt ab iniuria indemnis fiat. Si ergo pars vltrò cedat iuri ſuo, & ſicut poteſt obligationem prorſus remittere, ita eam proroget vltra terminum præfixum à Iudice, nihil obſtabit quominus liceat frui beneficio partis, cui Præſul monitorium concedens velificari voluit. Contrariam ſententiam tradit Syluest. v. *excommunicatio*, 2. notab. 1. caſu 13. Nauar. in ſumma c. 27. num. 15. Angelus v. *excommunicatio*, 1. num. 20. Naldus v. *excommunicatio*, num. 23. Sayrus multos Iuriſperitos adducens l. 1. de cenſur. c. 12. num. 20. Horum Doctorum ratio eſt, quia excommunicatio non poteſt ſuſpendi nec impediri quominus ſuo tempore effectum habeat, niſi ſit in ſuſpendente iuriſdictio. Hæc autem non eſt in parte ad cuius inſtantiam conceſſum eſt monitorium. Igitur non poteſt vim eius ſuſpendere, quod faceret, ſi elapſo termino à Iudice præfixo, poſſet inducias elargiri ei quem monitorium vrget ad nunc exequendum. Aliud autem eſſet de integra remiſſione obligationis. Ea quippe remiſſione facta, (vt ſanè eam poteſt pars facere) tollitur totum monitorij fundamentum; & omnis eius vis, per partem cuius intererat monitorio ſatisfieri, euertitur indirectè;

nempe

nempe per ſublationem cauſæ & fundamenti, ad quam ſublationem non eſt neceſſaria iuriſdictio, ſed ſufficit voluntas cedens iuri ſuo, & relaxans obligationem cui monitorium innitebatur. Vnde monitorium conceſſum aduerſus aliquem cum quo pars inſcio Iudice pepigiſſet de materia monitorij, eſſet prorſus vanum & inutile, quia deſtitueretur ſuo fundamento eſſentiali, vt benè vidit Gutièrres l. 1. qq. Canon. cap. 11. à num. 77. ſimiliter ergo facta per partem remiſſione debiti, euertitur fundamentum cenſuræ, nec incurritur excommunicatio, quamuis non pareatur edicto, vt benè ait Ripa ad l. 4. ff. *de re iudic.* §. *ſoluiſſe*. num. 4.

Inter has pugnantes ſententias placet iudicium Antonij de Butrio in cap. *præterea*, 2. de appell. & Maynerij ad l. *vbicunque cauſa*. ff. de regul. iuris, num. 2. qui aſſerunt, ante factum tenendam eſſe ſecundam ſententiam, quippe ſecuriorem: ſed poſt factum, primam ſententiam eſſe ſatis ſecuram, poſſeque approbari abſque ſcrupulo. Moueor, quia facta per partem prorogatione deeſt contumacia, ſine qua non incurritur excommunicatio. Neque hæc eſt ſuſpenſio ſententiæ, directa & pro poteſtate ſuſpendentis, ad quam verum eſt fore neceſſariam iuriſdictionem, qua pars caret. Eſt igitur duntaxat ſubductio materiæ per aliquod tēpus. Eo autem tempore elapſo, ad quod pars prorogauerat executionem, incurretur illico excommunicatio, niſi ſit ſatisfactum monitorio: quia quamuis ſupponamus Iudicem ſilere, nec vllam ſententiam de nouo ferre, tamen prior ſententia non euiguit, quamuis indirectè ad aliquod tempus ſuſpenſa fuerit & vltra terminum in ea conſtitutum dilata.

lata. Ille quippe terminus appoſitus eſt non ad elidendam obligationem, ſed ad eam illuc vſque differendam, & non vlteriùs inuito creditore in cuius gratiam lata eſt ſententia. Si igitur poſito termino, pars ſiue creditor annuat vt obligatio exequendi adhuc ad tempus aliquod ſuſpendatur, differetur obligatio, nec incurretur excommunicatio. Vrgebit autem obligatio edicti, & incurretur cenſura, ſi poſt illud tempus, inuito iam creditore, non ſatisfiat edicto. Quanquam Henriq.l.13.c.20.num.1. in contraria eſt ſententia, exiſtimans tunc tantùm poſt elapſum terminum à creditore præfixum vltra eum quem Iudex ſtatuerat, incurri à debitore cenſuram latam in monitorio, cum prorogatio facta eſt de conſenſu Iudicis expreſſo, quia tunc cenſetur ſub noua excommunicatione prorogaſſe, in quam rem citát permultos. Sed quod dixi, magis placet, & videtur ratione propoſita euinci.

Tandem ſextò eſt difficultas, an ſi Iudex per monitorium decernat aliquid fieri intra talem terminum, & ante eum prorſus elapſum, conſtet defore poteſtatem exequendi quod præceptum eſt; an inquam in eo euentu detur obligatio præueniendi, ſiue operandi, priuſquàm incidatur in impotentiam exequẽdi opus indictum, in quam impotentiam ſupponimus deueniẽdum eſſe ante elapſum totum tempus, intra quod exerceri operationem mandatum fuit. Dicendum eſt hanc difficultatem poſſe in duplici ſenſu agitari. Nimirum primò ita vt præceptum ſit latum adhibito termino ad finem certi temporis deſignati limitato, ita vt obligatio non vrgeat pro toto tempore, ſed tantùm in termino illius. Et in hoc ſen-

ſu valet quod ait Lazarius ſ.2.q.1.num.20. nunquam vi ſententiæ terminum ad aliquid agendum præfigentis, iniici obligationem eum terminum præueniendi. Ex quo Suarez t.5.3.p.d.5.ſ.1.num.13. infert, ſi cui præcipiatur vt reſtituat vel ſatisfaciat, conceſſo illi menſe integro tanquam termino ad differendam ſolutionem vſque ad illum, fore vt talis non incurrat cenſuram neglectui talis præcepti impoſitam, ſi ante expletum menſem moriatur: ideóque ſic vita functum non præueniendo executionem præcepti, neque egere abſolutione quoad ſe, neque quoad alios. Eſto enim, cõtingere poſſit vt quis omittendo actum præceptum, aliqua alia ratione peccet: v.g. ſi non reſtituat, peccabit contra Iuſtitiam: tamen aberit culpa contra præceptum Eccleſiaſticum ſic limitatum ad finem certi temporis; nec interueniet contumacia: ac proinde quamuis non præueniatur terminus, ſed homo ſciens & volens ſinat ſe cogi in arctum, nec operetur cum poteſt, non incurret excommunicationem.

Difficultas propoſita locum habere in alio ſenſu poteſt, nimirum ſi monitorium iubeat aliquid fieri intra totum tale tempus, atque adeò ante illud prorſus elapſum. In hoc ſenſu, non autem in priore, intelligo, & admitto quod Sanchez l.4.in Decalog.c.22.num.23.ex multis iuribus & Doctoribus latè confirmat, & ad excommunicationem quoque applicat num.24. nimirum quod excommunicatio ab homine, ab eo tempore contrahatur, à quo conſtat non poſſe vlteriùs perfici opus ſub ea indictum. Addit verò Sanchez, ſecus fore ſi agatur de excommunicatione indicta per ſtatutum & legem.

Nam talis excommunicatio iuxta eum non incurritur niſi tranſacto toto tempore:quia hæc eſt differentia inter pœnam ab homine, & pœnam legalem ſiue quæ lege debetur, quod quia pœna legis debet eſſe mitior,& magis reſtringi quàm pœna hominis,vt habetur ex l. *Celſus*, ff.de arbitris, non incurratur pœna legis niſi termino planè tranſacto, cum tamen pœna ab homine lata incurratur cum primùm reſiduo tempore opus perfici nequit. Quia igitur iuxta priorem huius doctrinæ partem, excommunicatio lata per monitorium eſt pœna à Iudice per ſententiam inflicta, fatendum eſt eam incurri cum primùm homo ſciens ac volens deuenit ad tempus quo opus indictum perfici vltra non poterit,ob nimiam eius breuitatem,vel præuiſum exequendi impedimentum tunc ſuperuenturum. An verò aliter dicendum ſit de excommunicatione impoſita per ſtatutum aut legem, vt Sanchez ait, nunc quidem noſtra non refert: Tamen ſi lex indicat opus pro toto aliquo tempore (qui eſt poſterior ſenſus propoſitus, in quo diximus accipiendum eſſe quod pœna neglectui operis intra aliquod tempus exequendi inflicta ab homine, incurratur cum primùm incurritur impoſſibilitas perficiendi ante totum tempus elapſum) non exiſtimo negandum quin idem dicendum ſit de pœna legis atque adeò de excommunicatione ſub qua aliquod opus intra totum aliquod tempus fuerit lege iniunctum. Sic quia lex de confeſſione peccatorum quotannis facienda,cadit in tempus totius anni;(tenetur enim homo intra totum quemque annum confiteri) is qui præuidet ante anni finem ſuperuenturum ſibi eſſe impedimentum, aut defuturam Confeſſarij copiam,

tenetur

tenetur præuenire, & implere præceptum eo anni tempore quo poteſt illud exequi. Quam eſſe communem omnium ſententiam, docet Couar. in c. *alma mater*. p. 1. §. 1. num. 7. concluſ. 5. Item qui habet caſum reſeruatum per ſtatutum, & præſcit fore vt in Paſchate deſit qui habeat iuriſdictionem, poſſitque ab eo abſoluere, tenetur vti occaſione dum ſuppetit & præuenire, vt benè docet Suarez t. 4. 3. p. d. 31. ſ. 5. & Naldus v. *caſus reſeruatus*, num. 5. Adhæc, qui præuidet ſe ab hora nona diei feſti fore impediendum à ſacri auditione, quantumuis manſurus ſit in loco in quo præceptum de auditione ſacri obligat, tenetur audire ſacrum tempore matutino antecedenti. Nimirum in his euentibus obligatio vrget pro toto tempore pro quo poteſt impleri. Vt quoad confeſſionem pro toto anno, quoad ſacrum pro toto tempore matutino. Vaſques 3. p. q. 90. artic. 3. dub. 2. num. 18. & Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 5. ſ. 2. p. 4. num. 21. idem extendunt ad Clericum infirmum veſperi, quem obſtringunt ad veſperas manè recitandas. Hoc non approbo, quia præceptũ recitandi veſperas, non obligat pro tota die, ſed tantùm pro toto tempore veſpertino. Quod enim recitare anteriùs veſperas liceat, non iniicit obligationem eas tunc recitandi; ſi pro tempore quo præceptum recitationis vrgebit, impoſſibile ſit futurum recitare, & parere præcepto, ſed ſufficit cuilibet tempori malitia ſua.

Modus quo ordinariè ſolet ferri monitorium, is eſt de quo agitari difficultatem in priori ſenſu diximus, vt conſtat ex vulgaribus formulis monitoriorum, & ex iis quæ initio præmiſimus, explicantes cum communi ſententia, quid ferat termini præfixio

in monitoriis. Itaque non eſt quod quis vi monitorij ordinario modo propoſiti, putet ſe angi ad præueniendum terminum præfixum, & anteoccupandam executionem actus præcepti, etiamſi præuideat conſecuturam operandi impoſſibilitatem cum terminus præſtitutus aduenict. Si tamen ex forma & modo præcepti conſtaret mentem Iudicis fuiſſe aſtringere ad operandum iniecta ad id obligatione pro toto tempore, iuxta ſenſum difficultatis poſteriore loco adductum, ſic qui præuideret conſecuturam agendi impoſſibilitatem, teneretur præuenire extrema temporis pro quo toto viget mandatum, nec poſſet ſinere ſe in eas redigi anguſtias quibus à parendo excludatur.

QVÆSITVM XV.

Quid ferant voces illæ in monitoriis interdum adhibitæ, ex nunc prout ex tunc; *vel* ex tunc prout ex nunc, *excommunicatione ſit perculſus qui non paruerit.*

RESpondeo, has voces cum adhiberi contingit, (raro quippe adhibentur, nec occurrunt in ordinariis monitoriorum formulis) non ferre præſentem cenſuræ vibrationem, ſi conditio à Deo præſciatur non implenda, ſiue ſi Deus præuidet, rem præceptam non eſſe executioni mandandam. Si enim is eſſet ſenſus harum vocum, excommunicatio eſſet nulla, quia nemo poteſt percelli excommunicatione niſi

propter

propter præſentem contumaciam. At conſtat,in tempore quo præceptum fertur, deeſſe contumaciam, cum nondum aduenerit terminus ad deliberandum præfixus. Quomodò verò is qui tempore conditionis pendentis admiſſus eſt ad communionem fidelium & participationem ſuffragiorum ac bonorum communium, priuari poterit ea communione quæ iam præceſſerit cum conditio deficiet? Hîc æquè militant omnia illa argumenta quibus Couar. in c. *alma mater*. 1.p.§.10.num.6. Gutier.l.1.qq. Canon.cap.4.num.23. Suarez l.de ſimonia cap. 56. num.35. & 37. Sayrus l. 1.de cenſur.c.11. num.18. & Leſſius l.de Iuſt. cap.35. num.155.cum aliis quos profert, affirmat excommunicationem in foro conſcientię non retrotrahi,quamuis in foro externo aliquando retrotrahatur. Vt patet de excommunicatione contracta per eum qui non ſoluit tempore conſtituto penſionem beneficiariam. Nam non cenſetur incurriſſe excommunicationem quouſque penſionarius declaret ſe velle vt debitor eam incurrerit:qua declaratione poſita,per fictionem iuris excommunicatio retrotrahitur, cenſetúrque contracta iam inde à temporis initio in quo debitor cœpit eſſe in mora; id eſt à tempore præfixo ad ſolutionem penſionis, vt tradit Nauar. in ſumma cap. 23. n. 104. & Gigas de penſion. q.77. Et idem eſt de excommunicatione contracta ob ſimoniam conuentionalem. Pendet enim poſt pactum initum & traditam rem ſpiritualem vſque ad euentum ſoluti ſaltem ex parte pretij:qua conditione poſita, excommunicatio retrotrahitur, ita vt cenſeatur contracta ex quo turpe illud pactum fuit initum. Ita enim ferre ſtylum Romanæ curiæ, teſtatur ſupra Nauarrus. Omnia ergo

quibus

quibus autores prædicti rectè demonſtrant, cenſuram ipſam excommunicationis non retrotrahi in foro interno, ſed tantùm quoad aliquos extrinſecos effectus ſuos temporales, qui poſſunt per legem induci & iuris fictione retrotrahi, æquè confirmant, in præſenti negotio excommunicationem non incurri ex quo latum eſt ſub ea præceptum, etiamſi Deus præſciat contumaciam ſuo tempore conſecuturam, & mandati neglectum in termino. Senſus ergo vocum propoſitarum, *ex nunc prout ex tunc*, &c. alius non eſt, quàm poſita conditione, confeſtim abſque alio Iudicis actu, incurrendam eſſe excommunicationem, vt notant DD. in Extrau. 1. de regul. & ſepult. & ex eis Naldus v. *excommunicatio*, n. 23. Sanè particulæ illæ, *ex nunc*, licet ſonēt tempus præſens, tamen non denotant niſi effectum futurum, vt cum Baldo & aliis obſeruat Gutierres l. 1. qq. Canon. cap. 4. num. 21. affirmans idipſum quod hîc aſſerimus. Similitérque cum agitur de promulgatione legis, particulas illas *ex tunc*, deſignare duntaxat quæ ex parte legiſlatoris exiguntur ad obligandum, non tamen ſonare illico exurgere obligationem, ſed alia inſuper exigi, monuit rectè Suarez l. 3. de legibus c. 17. num. 8.

Itaque ratum eſto, etiamſi monitorium feratur adhibitis illis vocibus, tamen excommunicationem non incurri ante poſitam reipſa contumaciam, quæ eſt conditio ſub qua excommunicatio fuerat intentata. Vnde ſi priuſquàm ea conditio ponatur, Antiſtes qui tulit monitorium moriatur, alitérve excidat poteſtate excommunicandi, cenſura monitorio conſerta euaneſcet, quantumuis adhibitæ fuerint voces de quibus agimus: quia cum ſit cenſura ab homine, ſupponit ſu-

perſtitem

perſtitem Iudicis poteſtatem quando reipſa eſt contrahenda cenſura, iuxta doctrinã Iuriſperitorum cum Gloſſa in cap. *à nobis*. 1. de ſent. excom. quam illuſtrat pluribus confirmátque Suarez t. 5. 3. p. d. 3. ſ. 4. à num. 12. & Sayrus l. 1. de Cenſur. cap. 8. num. 14. qui conſequenter addit, ſi ante conditionem poſitam, Iudicis poteſtas, non ſuſpendatur tantùm, ſed etiam extinguatur, rurſúmque ante tempus poſitæ conditionis reſtituatur eadem iuriſdictio, latam priùs excommunicationem ſic interciſa eius ferendæ poteſtate abruptam, prorſus euanuiſſe, & nullam factam eſſe, niſi repetatur. Viceuerſa autem non obſtantibus iiſdem particulis *ex nunc*, &c. ſi ante conditionem poſitam, is in quem monitorium fuit intortum abeat è vita, non ligabitur monitorio cùm tempus conditionis aduenerit, nec erunt ei idcirco neganda ſuffragia, vt iam ſuperiùs monui ad 6. difficultatem quæſiti præcedentis, tradítque etiam Sayrus c. illo 8. num. 11. Ex quibus manifeſtum eſt, quantumuis particula *ex nunc*, aut ſimilis fuiſſet monitorio adhibita (vt aliquando factum teſtati ſunt qui nos de hoc dubio conſuluerunt,) ſenſum eius non poſſe eſſe alium quàm diximus.

QVÆSITVM XVI.

Quamdiu vis monitorij obligans, durare ſit cenſenda.

RESpondeo, durare quantum fert terminus in monitorio conſtitutus, niſi ex parte cauſæ efficientis aut ſubiectiuæ, citiùs defluat. Ad huius doctrinæ perſpi

perſpicuitatem,ſtatuendum eſt,eſſe haud dubiè tempus aliquod quo elapſo vis monitorij euaneſcat.Cum enim nec eo animo latum ſit vt habeat vim perpetuæ conſtitutionis,nec plerunque ſit in poteſtate eius qui monitorium concedit , con dere ſtatutum perpetuum , fatendum eſt vim obligandi ad aliquid præſtandum qua monitorium pollet, perpetuam non eſſe, ſed poſt tempus aliquod euigeſcere, ídque ab intrinſeco, vt ita dicam:Nam ab extrinſeco,ſiue per accidens, ratione cauſæ vel ſubiecti, eius inquam qui fert, & eius in quem fertur monitorium, liquet ex proximè dictis ad finem quæſiti præcedentis, monitorium vim omnem ſuam poſſe amittere, priuſquàm terminus monitorio præfixus aduenerit;per mortem nimirum alterutrius, vel Antiſtite qui tulit monitorium amittente iuriſdictionem:quia cum excommunicatio ſub qua monitorij præceptum fertur, ſit ab homine, non plus durat, quàm duret poteſtas in eo qui illam decreuit, vt ſupra dixi. Videndum ergo eſt, quandonam extinguatur vis obligans monitorij, etiamſi ex parte cauſarum ſuarum ſiue ab extrinſeco non defluat: quandoquidem monitorium, cum non ſit lex vel ſtatutum perpetuum, debet poſt aliquod tempus ab intrinſeco euigeſcere.

Et quidem ſi is qui monitorium tulit, tempus aliquod exprimeret, vltra quod nollet vim monitorij obligantem prorogari,nulla eſſet difficultas.Sed quia vt plurimùm nihil tale exprimitur, nihil occurrit quo aptiùs definiri poſſit duratio obligationis monitorij, quàm tempus monitorio præfixum. Ita enim videtur ferre mens eius qui monitorium tulit. Cum enim haberet pro fine præcepti, executionem actus quem

præcipit,

præcipit, eámque executionem arctauerit ad tempus quod monitorio præfixit, non videtur intendiſſe, vt præceptum ſuum vim vltra illud tempus haberet. V. g. ſi monitorio ad reſtituendum lato præfigatur tempus octidui, monitorium non habebit vim obligandi poſt octiduum, numeratum à die quo quis intra illud octiduum reſciuerit monitorium latum eſſe; ita vt etiam ſi quis vltimo tantum die ex octo præfixis doceatur latum eſſe in eam rem monitorium, habeat à momento ſolutæ ignorantiæ, octiduum ad deliberandum & conſulendos peritos, vel ad iuſtas excuſationis cauſas proferendas; vlteriùs verò non ſit eo monitorio obligãdus, quia vis eius tranſacto eo tempore omnino euiguit. Non conuello quæ ſuprà alia occaſione dixi, cum admiſi poſſe aliquem irretiri cenſura monitorij longè poſt elapſum totum tempus in eo præfixum, etiamſi in termino illius temporis nõ fuerit irretitus ea cenſura ob impotentiam, aliámve iuſtam cauſam non parẽdi. Hoc inquam non euertitur per ea quæ nunc affirmo. Nam in eo euentu homo fuit conſcius monitorij quo tempore adhuc obligabat, tametſi executio dilata eſt abſque peccato, & obnoxietate cenſuræ. At nunc ago de eo qui fit tantùm conſcius monitorij, cum planè effluxit tempus in eo conſtitutum, ac proinde quando monitorium iam marcet, & vis eius euiguit. Ad nihil ergo tenetur vi monitorij, nec cenſuram eius incurret, etiamſi non præſtet quod indicitur per monitorium, quia vis eius ceſſauit. Tradunt hanc ſententiam Philiarcus 1. p. de offic. Sacerd. l. 3. c. 34. Armilla v. *excommunicatio.* §. 34. Tabienna v. *excommunicatio*, 4. §. 4. Auila 2. p. c. 5. diſp. 5. dub. 1. *ſub finem*, Sanchez lib. 6. opuſc. c. 2. dubio 25.

num.

num. 2. Qui addit, ſi contingeret nullum tempus monitorio ſiue præcepto præfigi, vim eius non eſſe duraturam vltra duos menſes, eo quod talis menſura duratiua virtutis obligatiuæ præcepti quoad tempus indefiniti, videatur rationabilis atque conueniens. Non me latet, Sayrum in Claui regia l. 12. c. 14. num. 34. exiſtimare monitorium mandans reuelationem delicti indefinito tempore latum (& idem eſt de monitoriis alia mandantibus) tandiu vim obligandi retinere, quandiu durat obligatio exercendi quod monitorio mandatur, v. g. reſtituendi aut reuelandi. Sed hoc approbare non poſſum. Aliud quippe eſt obligari ex natura rei ad aliquid præſtandum, aliud verò ad idipſum teneri vi præcepti poſitiui, & intentatæ excommunicationis. Quare duæ illæ obligationes cum ex diuerſiſſimis radicibus progerminent, non habent eandem (vt ita dicam) conſiſtentiam, nec ſe concomitantur duratione: alioqui ſicut ex natura rei obligatio ad reſtituendum ablatum per ſe loquendo, eſt perpetua; ita fatendum eſſet, monitorium habere vim perpetui ſtatuti: quod ſuppoſuimus & à mente, & plerunque à poteſtate Antiſtitis ferentis monitorium abhorrere.

CAPVT

CAPVT II.

Vires Monitorij ad extorquendam reſtitutionem.

DELABIMVR in particulari ad vtrumque caput monitoriorum de quibus agendum propoſuimus huius tractationis initio, vnáque exponemus proximos eorum fines: nempe reſtitutionem & reuelationem, quarum exequendarum neceſſitas, intentato fulmine excommunicationis iniicitur. Finis verò remotus, quem ex ſupradictis conſtat eſſe diuinæ offenſæ declinationem, vel indemnitatem iniurium partis cui monitorio conſulitur, non depoſcit peculiarem operam, cum per ſe pateat.

QVÆSITVM I.

Quis monitorio ad reſtituendum lato, ligetur generatim loquendo.

REſpondeo, omnem illum ligari tali monitorio qui culpabiliter omiſit reſtituere rem verè in

monitorio deſignatam; quam ſi monitorium decernatur in furem vel ob furtum, neceſſe eſt, eſſe ſuapte natura & ex obiecto mortalem. Si verò monitorium decernatur in non reſtituentes aliena, poterit ſufficere grauitas non niſi ob coniunctionem cum pluribus materiis, aut inde reſultantibus damnis quorum nullum ſeorſim eſſet mortale. Ratio huius pronunciati quoad primam partem, perſpicua eſt ex fine monitorij: quod cum inferat excommunicationem intentatam, ſpectare debet curationem à peccato, & ſalutem eius qui excommunicatione appetitur. Sibi ipſi namque creat exitium, vel creabit in poſterum, niſi pareat edicto poſtquam ſoluta fuerit bona fides depulſione ignorantiæ inuincibilis qua fortè hactenùs laborarit. Cum autem quis omittit reſtituere rem alienam non vulgarem, qualis eſſe debet ea pro qua fertur monitorium, ſauciat lethaliter conſcientiam ſuam, (niſi legitima quæpiam cauſa non reſtitutionem excuſet:) ac proinde meritò per Præſules tãquam præfectos curationis animorum, vrgetur ad reſtituendum lato monitorio, quod eum tunc ligat, cum adſit idoneum obiectum, nec deſit poteſtas in ferente monitorium.

Addebam tamen eum duntaxat ligari monitorio de quo agimus, qui omittit reſtituere rem verè deſignatam in monitorio. Nam ſi contingeret, partem ad cuius inſtantiam conceſſum eſt monitorium, falsò expoſuiſſe negotium in quo paſſa eſt iniuriá, monitorium vel nullo modo obligaret ad reſtituendum, vel ſaltem non ad omne illud reſtituendum adigeret quod in eo expreſſum eſt. Planè quippe rueret obligatio monitorij, ſi Prælatus non intenderet illud concedere niſi pro tanta ſumma, quantam pars falsò obtruſit

truſit ſibi fuiſſe ſubductam. Plerunque enim Antiſtites certas ſummas notabiles præfigunt, pro quibus tantùm, non autem pro minoribus intendunt monitorium concedere; qualis eſt variis in locis ſumma aureorum quinquaginta. Si igitur pars, aut fingat, aut per errorem exponat Præſuli ſe lęſam eſſe in ea quantitate, reuera autem non ſit læſa niſi in minori ſumma quantumuis ſufficiente ad mortale peccatum, tunc monitorij efficacitas planè ſucciditur, nec qui eo perculſi fuerint tenebuntur reſtituere vi monitorij, ſed tantùm vi legis diuinæ mandantis reſtitui aliena. Quod ſi pars ſit quidem damnum paſſa in ſumma quam Prælatus valori monitorij præfixit, non tamen in ea quã ipſa pars falsò expoſuit Prælato, tunc monitorium quamuis non valeat quoad exceſſum falſò expreſſum, valet tamen quoad ſummam minorem verè expoſitam & à Prælato intentam, quia quoad eam adeſt poteſtas efficax & obiectum idoneum. Qua ferè ratione philoſophantur Theologi de indulgentiis impetratis propoſito motiuo ex parte falſo. Valent enim pro rata motiui idonei, vt rectè ſtatuit Suarez t. 4. 3. p. d. 54. ſ. 3. num. 9. & Ægid. Coninck diſp. 12. num. 31. quamuis aliud ſit de indulgentia quę datur pro toto aliquo opere cuius tantùm pars ponitur.

Subtexui deinde duplicem modum quo quis ligari poteſt monitorio ob omiſſam culpabiliter reſtitutionem rei alienæ. Aliquando enim monitorium decernitur in fures, vel ob furtum, aut ob res direptas. Aliàs verò decernitur pro rebus iniuſtè retentis, vel pro damnis illatis. Cum monitorium fertur hoc ſecundo modo, perſpicuum eſt illud ligare etiamſi res

qua retenta vel ablata conſecutum eſt graue damnum, non eſſet ex ſe materia grauis peccati. Sufficit enim vt in effectu ſuo ſit materia grauis, & digna ob quam poſſit intorqueri excommunicatio. At cum monitorium fertur in furem vel ob furtum, neceſſe eſt vt res direpta habeat ex ſe & ſuapte natura rationem grauis materiæ, quam ſurripere mortale ſit ſpectata natura illius obiecti. Vnde ſi quis homini pauperrimo ſurriperet acum, poſſet quidem mortaliter peccare ob impedimentum quod afferret lucris ab eo homine per acum parandis: tamẽ ratione ipſius acus, leuiter tantùm peccaret, nec percelleretur excommunicatione lata in furem: quia etiamſi acus ſit materia furti, tamen eſt materia ex ſe leuis & inſufficiens ad fundandam excommunicationem. Damna verò ſubſecuta quæ verè ſupponuntur eſſe grauia, non mulctantur excommunicatione lata propter furtum, quia non ſunt furtum, neque enim ſunt acceptio rei alienę inuito domino. Atque ita ſecundùm communem vſum, qui damnum infert, non dicitur propriè fur: & in iure alij ſunt tituli de furtis; alij de iniuriis & damno dato: Eſto huiuſmodi damnum reductiuè dicatur furtum, at non formaliter & directè. Quod de furto acus dictum eſt, æquè aſſerendum eſt de calamo quẽ quis Notario ſurriperet, vnde iniiceretur illi impedimentum lucrandi cẽtum aut mille aureos. Nihilominus enim ille calami ſurreptor non eſſet infamis, aut dignus ſuſpendio, nec daretur contra eum actio furti: quæ tamen omnia eſſent admittẽda, ſi grauis damni illatio eſſet furtum, & plecteretur excommunicatione lata in fures, vel ob furtum. Sicut ergo ſi quis tantum abſtuliſſet calamum vel acum, nec inde aliud

damnum

damnum conſecutum eſſet, non ligaretur monitorio lato ob furtum, quia eſſet leuis materia & inidonea ad terminandam excommunicationem: ita quamuis eam ablationem ſupponantur ſequi grauia damna, tamen quia eorum damnorum irrogatio non eſt furtum, materia in ratione furti, eſt minuta: ac proinde qui eam abſtulit, non ligatur monitorio quod ſit intortum in fures, vel ob furtum. Et ita Aragon. 2.2.q. 66.artic.6.dub.4.Auila 2.p.c.5.diſp.2.dub.3.Leſſ.l.de Iuſtit.c.12.num.34.Sayrus in Claui l.9.c.15.num.18. & cum permultis Sanchez l. 7. in Decal. c.20. num. 5.ac Bonac.d.2.de reſtit.q.8.p.1.num.8.

Nec aliter philoſophandum eſt, de eo qui ſubduxiſſet domino rem ex ſe leuem, ei tamen admodùm gratam. Plerique enim ita afficiuntur ad res nullius ex ſe momenti, vt tamen ex eis mirè oblectentur. Vnde qui huiuſmodi res eis eripiunt, non ignari quo affectu ſint erga eas, grauiter peccant: quia afficiunt dominos magno damno, priuando eos oblectatione inſigni quam è reculis ſuis caperent ſi penes ipſos eſſent. Domini autem ius habent, non modò vt illas qualeſcunque res ſuas habeant, ſed etiam ne priuētur iure quod habent percipiendi ex eis ſummam illam oblectationem qua inde perfunduntur, eſto ſine iudicio & fundamento vllo ſic oblectentur. Admitto ergo perſonam talis affectus dominorum conſciam, ſi res illas modicas ſurripiat, peccare mortaliter, non tamen in ſpecie furti. Vnde non ligabitur monitorio lato contra furem, quo is tantùm percellitur qui in ſpecie furti mortaliter deliquit. Ita Rebellus 1.p.l.3.q.15.num. 13.poſt Lopeſium 1.p.c.93.

Similiter admittendum eſt, eum non ligari moni-

torio aduerſus fures decreto,qui paruam quantitatem ad peccatum mortale inſufficiẽtem adimeret, etiamſi longè maiorem & indubiè mortalis peccati materiã accipere intendiſſet, & mortaliter peccaſſet in ea acceptione,iuxta doctrinam D.Hieronymi in c. 2. epiſtolæ ad Titum, & S. Chryſoſtomi ſerm. 3. in 2. ad Timot. & ſerm. 10. in 1. ad Theſſal. & homil. 59. in Ioan. Ratio pronunciati propoſiti eſt, quia Iudex monitorium in furem decernens, non ſpectat quid fur intenderit,ſed quid reipſa fecerit exterius. Atqui furtum quod iſte exteriùs admiſit, non eſt notabile. Igitur ex mente Iudicis, non percellitur monitorio: quamuis (vt dixi), certum eſſe velim eum peccaſſe mortaliter inter accipiendum rem modicam, de quo non licet ambigere: quia ſi actus ille volendi furari hanc rem modicam, ſit vnus & idem cum actu quo fur vellet multo plus accipere ſi reperiret, nemo non videt actum illum eſſe mortalem, quia cadit in obiectum graue. Si autem vt volunt Salas 1.2. tract. 13. d. 16. num. 86. & Leſſius l. de Iuſt. c. 12. num. 34. diſtinguantur ibi duo actus; vnus abſolutus tendens in obiectum modicum quod de facto accipitur, & alter conditionatus,tendens in obiectum multo grandius, quod acciperetur ſi occurreret; adhuc verum eſt, vtrumque actum eſſe mortalem. Quod de actu conditionato ex parte obiecti, actuali autem & exercito ex parte ſubiecti,perſpicuum eſt. Et idem monſtratur de actu abſoluto: quia actus ille abſolutus, eſt mediũ ad executionem intentionis generalis mortalis quam actus ille conditionatus ſubindicat. Sicut enim qui furantur multa modica ex intentione generali perueniendi ad vnã ſummã notabilem, vt iis contingit qui

vtuntur ſtateris doloſis,& fallacibus ponderibus quæ Sap. 11. damnantur abominationis;peccāt mortaliter in ſingulis modicis furtis, quia omnes illæ acceptiones pendent ab vna generali intentione mortali, qua captatur ſumma notabilis, ſuntque media, & executiones illius intētionis lethiferæ, cuius proinde acore & virulentia perfunduntur:Ita qui rem paruam furatur,cum haberet animum furandi rem magnam, habet vnam generalem intentionem mortalem, pertingēdi ad grauem ſummam cuius hoc quod accipit, eſt portiuncula duntaxat. Illius autem generalis intentionis conditionatæ medium & executio,eſt intentio particularis abſoluta, cuius obiectum in manus furis deuenit. Medium autē cum ſit cauſa effectiua,redolet vitium ſui effectus. Et idem eſt de executione,ad intentionem cui ſubiungitur,comparata. Quare admitto furtum illud modicum quod eſt executio vel medium lethiferæ intentionis qua captatur ſumma grauis,eſſe peccatum mortale,nec aliam præterea venialem culpam in eo actu agnoſco, vt faciunt Leſſius l.de Iuſt.c.12.num.40. & Sanchez l. 7.in decal. c.21. num.13. Nego tamen eum actum tametſi mortaliter turpem, percelli excommunicatione lata contra furtum:quia mens Iudicis monitorium ferentis,non fuit ita plectere niſi furtum quod ex obiecto exteriùs accepto eſſet mortale, quale non fuit furtum de quo agimus.Et ita rectè Rebellus num.illo 13.

Quanquam ſi parua materia, (vt addidi in quæſiti reſolutione), non ſumatur ſeorſim, ſed vt nexa cum aliis, aut prout damnum eius ſubductione illatum, coniunctim cum aliis graue eſt, poterit ſanè materia illa ſic ſpectata ſatis eſſe,vt quis ad eius reſtitutionem

ſub excommunicatione obligetur, & feriatur monitorio, lato in non reſtituentes damnum graue illatum. Exemplum vulgare eſt, de vineæ vaſtatione ſublatis per multos omnibus racemis: quæ direptio poteſt duobus modis contingere. Nempe primò, ita vt multi illi direptores, ſimul conueniant ad hoc damnum domino vineæ inferendum, inuitantes ſe ac prouocantes inuicem ad maleficium illud, aut animo contutandi ſeſe, & ſecure vaſtandi vineam ob defenſionem quam ſibi inuicem omnes præſtabunt: qua ratione omnes ſunt concauſæ damni totius, totalitate effectus, quamuis partialitate cauſæ, & ſinguli peccant mortaliter, deficientibúſque aliis quilibet ſub mortali peccato tenetur reſtituere totum damnum, ſalua cæterorũ obligatione ad refundẽdum illi quod inſumpſerit vltra menſuram ad quam pro ſe adſtringebatur: quæ omnia rectè ſtatuit Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 689. num. 2. Hoc pacto, iuſtitia excommunicationis latæ in ſingulos niſi reſtituant, tametſi quiſque modicum duntaxat quid acceperit, eſt manifeſta. Sub hac tamen ratione, exemplum vineæ direptæ non ita aptè facit ad rem propoſitam. Poteſt ergo ſecundò ea direptio ita contingere, vt omnes quidem concomitanter concurrerint ad vineæ direptionem, nemo tamen fuerit concauſa damni vineæ per alios illati, ſed præciſè fuerit cauſa damni quod ipſemet intulit, conſcius de damno illato ab aliis, quod adunatis omnibus damnorum minutiis concomitanter illatis ſit notabile: Vel ſaltem poſteà conſcius damni, & à ſe & ab omnibus aliis illati, verè magni. In hoc euentu Couar. 1. var. c. 3. num. 12. Vaſq. 1. 2. d. 146. num. 5. & 6. & Molina loco notato, (malè refragantibus

Sanche

Sanche 7. in Decal. cap.21. num.21. Leſſio l.de iuſt. cap.12.num.52.Sala 1.2.tract.13. d.16.num.93.) recte affirmant ſingulos grauiter peccare, cum modicum quid auferunt conſcij de damno æquè per talia modica damna ab aliis inferendo, quod graue eſſe ignorare non poſſunt: Et ſingulos item teneri ſub mortali ad reſtituendum modicum quod ſumpſerunt, ita conſcij cum ſumerent, vel poſt factum agnito damno, & non ſublata prorſus ſpe vt alij quoque reſtituant. Si igitur qui ad eum modum vineam diripuerunt, omittant reſtituere, ligabuntur monitorio lato in non reſtituentes; quia eſt ibi nexus plurium minutorum ſufficiens ad ingenerandam grauem reſtituendi obligationem, quæ intentata excommunicatione vrgeri poſſit.

Video opponi poſſe,eos ſaltem direptores qui non fuerunt conſcij alienarum acceptionum,non peccaſſe mortaliter accipiendo quod acceperunt: Quomodo ergo poſſunt eam ob rem excommunicari?Hic nodus non vno modo expediri poteſt. Ac primùm graues plerique DD.ſpectari volunt, damnum quod ab omnibus datur non reſtituendo,eſſe notabile & mortale. Cum ergo vnuſquiſque non reſtituendo in tali euentu, damnum illud graue coefficiat, peccat mortaliter non reſtituendo; ac proinde poteſt monitorio ad reſtituendum lato ligari. Ita Angeſtus c.9.moral.textu 3.dub.2.Maior in 4.d.15.q.25. Rebellus 1.p.l.3.q.15. num.41.Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.2.num.3.Sayrus l.1.de cenſur.c.9.num.9.Bonacina tract.6. ex variis p.1. §.6. num. 9. & alij quos hi proferunt. Quanquam ſi tam multi iam reſtituerint,vt qui ſuperſunt non retineant quantum neceſſe eſt vt damnum domini iniuriam

paſſi ſit notabile; tunc ſicut non obligabuntur ſub mortali ad reſtituendum, ita ſi excommunicatio, reſtante ea puſilla materia feratur in non reſtituentes, non ligabit iſtos etiamſi non reſtituant, vt rectè ſenſerunt Maior in 4.d.15.q.26. & probabile cenſet Rebellus ſupra num. 42. Similiter qui multa minima ab aliquo ſine connexione accepiſſet, & prouectus ad ſummam notabilem, tactus dolore cordis intrinſecùs reſtitueret quantum neceſſe eſt vt ſumma reſidua ſit leuis; is etiamſi leuem ſummam reſiduam retineret, non peccaret mortaliter, vt rectè cenſent Petrus à Nauarra l.3 de reſtitut.cap.1. dub.9.num.60. Molina tract.2.d.688.num.3. Sayrus in Claui l.9. c.15. num. 25. Vnde ſi poſtquam reſtituiſſet ſummam grauem ablatam, decerneretur monitorium contra non reſtituentes aliena, non ligaretur monitorio ob retentam leuem ſummam reſiduam. Sepoſitis verò his euentibus,& agendo de eo qui modicum quid accepit, tunc ignarus damni per alios æquè illati eidem vineæ, rectè monſtratum eſt ex concauſatione damni notabilis quod poſtea reſcit, ingenerari grauem reſtituendi obligationem ad quam monitorio poſſit vrgeri, quæ erat prima diſſolutio nodi propoſiti.

Sunt verò qui aliter eum nodum extricant,dicendo quando diuerſi ab vno modica furantur, vt contingit in exemplo vineæ direptæ eo modo quem nunc excutimus, neminem eorum teneri reſtituere ſub mortali,eo quod nemo eorum ſit per ſe cauſa notabilis damni quod conſecutum eſt præter cuiuſque eorum intentionem. Si tamen monitorium in eam rem decernatur, tunc ſingulos teneri reſtituere ſub mortali;quia poteſt quis ex iuſta cauſa compelli etiam

intentata

intẽtata excommunicatione, vt illud efficiat ad quod ex natura rei & ſecluſo ſuperioris præcepto non teneretur: v.g. vt horas recitet, vel vt ſupplicationi interſit pro publica ſalute. Erítque ſemper cauſa iuſta ſic præcipiendi reſtitutionem cæteroqui non niſi leuiter obligantem, cum graue malum iniuſtè exceptum, non erit alia ratione reparabile. Itaque quia in euentu propoſito, ni ſinguli reſtituant ſummam leuem, dominus vineæ incurret graue damnum quod aliter ſarciri non poterit, interuenit iuſta cauſa mandandi ſingulis ſub graui culpa & excommunicatione, reſtitutionem ad quã alioqui nõ fuiſſent aſtricti niſi ſub veniali culpa, rem hanc conſiderando ex natura rei. Ita Rebellus 2. p.l.18. q.4. num.2. & Leſſius l.de iuſt. c.12. num.54. nec abhorrent ab ea doctrina Soto in 4. d.22. q.1.artic.1.ad caſum tertium, iuncto corollario 1.concluſionis primæ eiuſdem articuli, & Suarez t.5.3.p. d.20.ſ. 2. num. 6. Aliam cauſam iuſtam ferendi in eam rem monitorij, & vrgendi per excommunicationem ad reſtituendum id in quo non reſtituendo abſolutè loquendo & ſecluſo monitorio deeſſet lethalis culpa, petit Auila 2.p. c.5.diſp.2. dub.3. ex damno ſpirituali perſonæ iniuriam paſſæ, ſi periclitetur deſperare præ inopia, vel exponatur periculo furandi non leuia, aut admittendi grandia alia peccata.

Quare ſufficienter extricatus eſt nodus propoſitus; patétque, eum qui non peccauit mortaliter accipiendo, poſſe ſub mortali & ſub excommunicatione vrgeri ad reſtituendum rem exiguam, quam accepit non conſcius minutarum acceptionum per alios. Malè autem contrarium ſenſit Couar. in c. *alma mater*. p. 1. §.9. num. 2. illatione 4. (parum conſentaneè ad ea

quæ

quæ ab eo alibi tradita diximus:) ac Nauarrus in manuali cap.17.num.4.& 130.ac Petrus à Nauarra l.3. de reſtit.c.1. dub.8. num.61. qui tamen oppoſitum quoque cenſet probabile.

QVÆSITVM II.

Quis ſit intactus à monitorio ad finem reſtitutionis lato, generatim loquendo.

RESpondeo, ex duobus capitibus oriri poſſe, vt quis non ligetur monitorio lato ad finem reſtitutionis. Vnũ complectitur cauſas excuſationis huic monitorio peculiares: alterum verò continet generalia principia, quibus quis æquè liberaretur ab incurſu cuiuſuis excommunicationis. Primum caput generatim loquendo breuiter expediri poteſt, dicendo omnem illum immunem eſſe à monitorio lato ad finem reſtitutionis, qui non debet, aut non poteſt reſtituere. Quæ pauca verba continent ſementem plurimarum particularium dubitationum, mox ſigillatim excutiendarum. Itaque non eſt hîc vlteriùs inſiſtendum ei primo capiti.

Ad alterum caput excuſationum, pertinent omnia quibus ob directam Iudicis voluntatem aliquis à cenſura excluditur. Tota namque vis monitorij, à Iudicis animo & voluntate dimanat, quia voluntas applicat poteſtatem cuius partus eſt vibratio monitorij & inflictio cenſuræ. Si ergo Iudex aliquem ferire monitorio nolit, ſiue quia ita ipſi videtur, ſiue quia pars cui Iudex velificatur, renuit talem feriri; non eſt dubium quin

quin ſit futurus liber à monitorio, etiamſi omittat reſtituere quod monitorium reſtitui mandabat. Pertinẽt quoque ad hoc caput, omnes excuſationes à cenſura ob præcluſam grauem culpam vel contumaciam. Nam ſine contumacia & graui culpa, non poteſt quis excommunicationi ſubiacere. Itaque ſicut ignorãtia inuincibilis facti, aut iuris ſiue præcepti, tollit contumaciam circa rem præceptam: (non enim qui inuincibiliter ignorat id quod agit eſſe rem à ſuperiore prohibitam aut actum quem omittit eſſe præceptum, poteſt eſſe contumax aduerſus iuſſa ſuperioris) ita per eandem ignorãtiam, fit tutus ab excõmunicatione. Vnde etiãſi nõ reſtituat, quia ignorat ſe aliquid alienum habere, vel quia neſcit ſe ad reſtituendum obligari, non erit obnoxius pœnæ monitorij indicentis reſtitutionem. Nimirum nihil eſt ad depellendam culpam & pœnæ cuiuſuis obligationem accommodatius, quàm ignorantia inuincibilis, vt optimè tradit S. Chryſoſtomus hom. 26. in ad Rom. *initio partis moralis*, & S. Auguſt. l. 3. de libero arbitr. cap. 19. & 21. ac Saluianus l. 4. de prouid. *à medio*. Nec eſt excipienda ignorantia comitans; dummodò enim ſit inuincibilis, ſicut purgabit à peccato, ita & à cenſura liberabit: quod malè negat Couar. in cap. *alma mater*. p. 1. §. 10. num. 15. rectè autem aſſerunt Sanchez l. 2. de matr. d. 32. num. 26. & d. 34. num. 3. & l. 1. in decal. c. 16. num. 13. Suarez t. 5. 3. p. d. 4. ſ. 8. num. 9. Molina tract. 4. d. 53. num. 2. & tract. 5. d. 71. num. 9. Auila 2. p. cap. 5. diſp. 5. dub. 6. & Vaſq. tract. de excom. dub. 14. num. 4. Quinetiam tametſi ignorantia pœnæ peccato impoſitæ, generaliter loquendo non excuſat à debito pœnæ, vt eleganter probat D. Thomas in 4. d. 18. q. 2. artic. 5.

quæſtiunc.

quæſtiunc. 2. tamen ignoratio appoſitæ alicui peccato pœnæ excommunicationis, ſiue actus ſit iure tantum humano vetitus, ſiue etiam iure naturali aut diuino, liberat ab incurſu excommunicationis, quia excludit contumaciam, vt rectè probant Auila 2.p.c.5.diſp.5.dub.7. Suarez t.5.3.p.d.4.ſ.9. num.19. Azor t.1.l.1.cap.15.q.3.Sanchez l.9.de matr.diſp.32. num.13.Demum quia plerunque metus iuſtus & grauis ſecluſis extrinſecis incommodis quæ ex alterius præcepti concurſu interueniant, exoluit hominem à legis humanæ obligatione, eo quod legiſlator qui rationabiliter procedit,nolit aſtringere ſubditum interpoſito iuſto illo & graui metu; vt pluribus confirmant Sanchez l.1.in decalog.cap.18.& Suarez l.3.de legibus c. 30. idcirco qui per grauẽ & iuſtum metum abſterreretur à reſtituendo, non percelleretur excommunicatione lata in non reſtituentes.Hoc ſecundum caput excuſationum à cenſura monitorij lati ad finem reſtitutionis, non eſt quod hic diutiùs nos remoretur, cum ſit commune omnibus planè cenſuris. Præterquam quod excuſationes à cenſura monitorij inde petitæ,æquè locum habent circa monitorium ad finem reuelationis cuius eſt vſus crebertimus,vbi huiuſmodi excuſationes attingendæ erunt,quantum ſatis eſt ad præſens inſtitutum. Quare his dimiſſis,ſubſumamus quæ ſub primo excuſationum capite generaliter propoſito annotanda in particulari occurrunt, quorum eſt copia non modica.

QVÆSITVM III.

An impotens ad reſtituendum, ligetur monitorio reſtitutionem mandante.

RESpondeo, diſtinguendo de impotentia reſtituendi. Alia enim eſt inuoluntaria, alia in quam quis voluntariè, aut etiam malitioſè incidit. Prior, ſicut ſi plena ſit, liberat à culpa, ita etiám à pœna. Itaque is qui intentata excommunicatione iubetur aliena reſtituere intra talem terminum, non incurrit prædictam excommunicationem, etiamſi elapſo eo termino non reſtituerit præ vera impotentia; quia ad impoſſibile nemo tenetur. Imo quamuis haberet concomitanter peſſimam voluntatem qua ſibi placeret in ea non reſtitutione & impotentia, & quòd quamuis poſſet non reſtitueret; tamen non incurreret excommunicationem latam ad finem reſtitutionis, quæ ſolum cadit in eum qui non reſtituit cum poſſit. Prærerquam quòd in eo homine, detentio externa ob impotentiam vacat labe, & ad ſummum eſt mala obiectiuè, ratione malæ voluntatis concomitantis ad eam terminatæ. Vt autem poſſet per excommunicationem plecti, deberet eſſe exteriùs mala formaliter, & eſſe libera, quod conſtat verum non eſſe ob reſtituendi impotentiam. Itaque ne eo quidem malo actu interno adiuncto, qui non reſtituit ob impotentiam, irretitur cenſura monitorij lati ad finem reſtitutionis, quod benè notat Leſſius l. de iuſt. c. 12. num. 21. & Auila 2. p. c. 5. diſput. 5. dub. 1.

Neque

Neque verò nomine impotentiæ inuoluntariæ, quam dico indemnem reddere ab excommunicatione impotentem etiamſi non reſtituat, intelligitur tantùm impotentia abſoluta & phyſica, ſed etiam moralis, qua plerunque præpediuntur qui habent vnde reſtituant ſaltem ex parte; ſed vel metu grauiſſimi alicuius incommodi extrinſeci, vel ne ad extremam inopiam redigantur cum longè minore diſpendio eius quem læſerunt, excuſantur à reſtitutione: quod quando contingat, excutiunt qui de reſtitutione diſputant. Mihi nunc ſufficit aſſerere, talem impotentiam etiamſi non niſi moralem, quando excuſat impotentem vt poſſit abſque graui culpa reſtitutionem prætermittere, excuſare quoque à monitorio lato ad reſtitutionem extorquendám. Neque enim monitorij adiunctio aduehit vel auget reſtituendi obligationem per ſe loquendo, (quod addo propter extrinſecos quoſdam euentus ſupra quæſito 1. propoſitos) ſed eam aliunde enatam ſupponit, vt rectè contra Sotum diſſerit Auila 2.p.c.5.diſput.5.dub.1. Cum ergo impotentia etiam quæ moralis dicitur, exſcindat omnes radices obligationis reſtituendi, meritò aſſeritur, hominem impotentem liberari eius interuentu à cenſura monitorij. Suppone͂dum tamen eſt, debitorem impotentem premi hac impotentia inuoluntaria, pro tempore quo eſt incurrenda cenſura. Nam ſi tunc debitor eſſet potés, nec reſtitueret, ligaretur monitorio: & quamuis poſtea fieret impotens, retineret vincula ſemel contracta. Nos autem in præſentia agimus de eo debitore, qui pro tempore quo excommunicatio per monitorium intentata eſt incurrenda, laborat impotentia voluntaria: negamúſque talem debitorem etiamſi

etiamſi non reſtituat, ligari monitorio lato ad finem reſtitutionis: quod eſt per ſe euidens ex defectu peccati in ea reſtitutionis prætermiſſione.

Videtur obiici in contrarium poſſe, vſus Romanus quo aliquis ſe obſtringit ad perſoluendam certo tempore penſionem debitam in forma Cameræ Apoſtolicæ: alij vocant *obligationem ad niſi.* Qui enim ſic ſe obſtrinxit, cum primùm effluxit tempus ſolutioni deſtinatum, id eſt menſis poſt terminum conſtitutum, illico adigitur ſoluere, quamcumque impotentiam obtendat: alioqui poſt præmiſſam creditoris declarationem debitori intimatam per ſententiam Cameræ, (qua declaratione ſignificat creditor, ſe omnino velle, vt debitor; vel illico vt cum Caſſadoro ait Toletus l. 1. inſtruct. c. 9. n. 6. vel vt aiunt Gigas de penſion. q. 77. & Nauar. in ſumma c. 23. num. 104. ſi aliquandiu ſit in mora, incurrat excommunicationem:) debitor quantumuis impotens, incurrit excommunicationem, quæ etiam retrotrahitur ad tempus termini ſtatuti. Nec refert ſi Clerici ſint, quia non iuuantur per impotentiam moralem, eo quod ceſſerint iuri conceſſo Clericis cap. *Odoardus.* de ſolut. vt quantumuis ære alieno grauati, poſſint ſtatui ſuo conuenientia retinere. Videtur huic difficultati ſuccubuiſſe Robertus Arboricenſis Epiſcopus, tomo 2. de vtroque gladio, theorem. 7. Non obſcurè namque hæc omnia improbat & damnat. Multus eſt in eiuſdem difficultatis diſcuſſione Suarez t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 2. à num. 7. & Antonius Maſſa integro libro de hoc argumento. Sed breuiter dico, debitorem in eo euentu, ſi verè ſit impotens, non percelli excommunicatione ob non exhibitam creditori ſolutionem, quantumcunque ſe ob-

ſtrinxerit ad incurrendam tali tempore excõmunicationem, niſi reſtitueret. Ratio eſt, quia vbi non eſt voluntarium & liberum, deeſt contumacia ſine qua non eſt excommunicationi locus. Atqui in propoſito euentu, omiſſio reſtitutionis ob impotentiam non eſt voluntaria & libera, vt eſt perſpicuum de impotentia phyſica: Eſtque etiam clarum de impotẽtia morali, in eo qui ratione ſtatus aut gradus ſui renunciare non poteſt fauori iure conceſſo, vel etiam competenti ex natura rei in tali ſtatu poſitis, conſeruato autem per ius poſitiuũ; fauori inquam retinẽdi neceſſaria ad decentem ſuſtentationẽ ſaltẽ in imo gradu totius latitudinis qua cõſtat ea ſuſtentatio: cui fauori renunciare nequeunt Clerici, & quidã magnates. Igitur alterutro modo aliquis iſtorum ſit impotẽs, nimirum ſiue phyſicè, ſiue moraliter, non incurret excõmunicationem etiamſi non reſtituat tempore conſtituto: & multo minus retrotrahetur verè excommunicatio in foro interno. Ea quippe fictio iuris non tranſcendit forum externum, vt rectè tradit Leſſ. l. de iuſt. c. 35. dub. 27. nóſque iam ſupra attigimus. Dixi *aliquis iſtorum*, (vtique eorum qui fauori iuris renunciare nequeunt,) quia non videtur negandum quin moralis impotentia reſtituendi ne debitor ſtatu ſuo excidat, vel neceſſaria ſuſtentatione ex ſuis facultatibus priuetur, ſit inſufficiens ad tegendum ab excommunicatione debitorem qui poſſit iuri & fauori prædicto renunciare. Potuit enim huiuſmodi debitor velle ſe obſtringere ad mendicitatem. Ea autem voluntate vltrò præmiſſa, ſicut per impotentiam tantùm moralem non excuſatur à peccato niſi reſtituat, ita neque ab excommunicatione in non reſtituentem intorta immunis

munis erit. Sed hoc eſt per accidens, ob vltrò ſibi iniectam obligationem ad reſtituendum, etiam in anguſtiis ad quas moralis impotentia deducit. Præciſè autem ſpectando veram debitoris impotentiam ſiue phyſicam, ſiue moralem, ratum eſſe debet, eum per illam, aduerſus excommunicationem in non reſtituentes latam, ſecurum eſſe.

Sunt qui velint, huiuſmodi debitorem, vi monitorij ſaltem teneri obligare ſe creditori ad reſtituendum, cum ad meliorem ſtatum deuenerit: addúntque, ſi monitorium ſimul ſit ad finem reuelationis, teneri conſcios curare, vt debitor modo prædicto ſe obliget, dummodò abſque infamia poſſit id præſtare: alioqui obſtringunt conſcios ad detegendum, qua obligatione eos liberant ſi debitor non detrectet hoc ſe vinculo creditori obſtringere. Ita Nauar. repet. ad c. *inter verba.* coroll. 65. num. 797. Non eſt negandum, quin rectè facturus ſit debitor, ſi ita ſe geſſerit erga creditorem. Reuera tamen, nec ex natura rei, nec ex vi monitorij aſtringitur ad eam nouam obligationem ſupra eam quam ex natura rei habet ſibi iniiciendam, vt rectè notauit Auila 2. p. cap. 5. diſp. 5. dub. 1. & Sanchez l. 6. opuſc. c. 2. dub. 24. num. 5. Illud veriſſimum eſt, ſi poſtea impotentia recedat pendente adhuc & vigente præcepto monitorij, id eſt neque ſublato per Iudicem, neque ceſſione partis, neque expiratione iuriſdictionis in eo qui monitorium tulit, non denique alio vllo modo ex iis quibus monitorij vis poteſt euaneſcere, obligari tunc debitorem abſque alia comperendinatione quàm primum ſatisfacere creditori, alioqui incurſurum excommunicationem in monitorio latam, à qua in termino præfixo excuſauerat eum

impotentia. Ita optimè Molina tract. 5. de iuſt. diſp. 45.num.4.& Suar.t.5.3.p. d.20.ſ.2. num.14. Et ratio eſt,quia monitorium duo mandabat debitori ſub pœna excommunicationis. Vnum vt ſolueret,alterum vt intra tale tempus liberaret ſe ea ſoluendi obligatione. Ab hoc ſecundo excuſauit impotentia, non tamen à primo. Itaque ſi debitor,quàm primùm poſt exactum monitorio præfixum terminum negligat ſoluere, & reſtituere,incurret excommunicationem ſub qua iuſſus erat intra talem terminum reſtituere: quod conſonat ſententiæ Vlpiani & Celſi l. *Celſus*, ff. de recept. arbitr. & colligitur etiam ex cap. *Odoardus.* de ſolut. Nimirum vt ſupra aliquoties diximus, terminus in monitorio præfixus non ponitur ad finiendam tunc obligationem quoad eos ad quos tunc peruenerit ſcientia præcepti,ſed ponitur ad eam illuc vſque liberè differendam, & vrgendum ne executio operis indicti prorogetur vlteriùs. Quare ſi eo termino poſito ſuppetit iuſta excuſatio ne tunc fiat reſtitutio,facienda poſtea illico erit, cum primùm cauſa à reſtitutione excuſans,ſublata fuerit.

Venio ad impotentiam reſtituendi in quam quis voluntariè aut etiam malitioſè ſe coniecerit. Vtrouis autem modo contrahatur hæc impotentia, ratum eſſe debet, debitorem qui & præſcius ſit impediendæ eo modo reſtitutionis, & cenſuræ ob eius omiſſionem tali tempore conſtitutæ, peccatum contrahere & excommunicationem,ſed diuerſimodè. Nam peccatum quidem contrahit ante poſitionem termini præfixi, atque adeò cum ſe facit impotentem. Sicut qui omittit Breuiarij recitationem, quia Breuiarium in mare coniecit præſcius ſecuturæ omiſſionis, non tunc

tunc peccat cum omittit recitare, ſed cum volens ac ſciens coniecit Breuiarium, ſine quo videbat ſe omiſſurum recitationem ad quam adſtringebatur. Similiter ergo ſe habet in re noſtra debitor quoad peccatum. At excommunicationem contrahit tantùm, cum terminus ei pręfixus elabitur: quia cenſura non incurritur, donec violatio præcepti ſub ea lati conſummetur exteriùs. In noſtro autem negotio, violatio præcepti reſtitutionem mandantis, conſummatur tantùm cum terminus in monitorio præfixus elabitur, quia illuc vſque fas erat reſtitutionem differre cum immunitate à cenſura. Igitur eo tantùm termino poſito incurritur excommunicatio, vt rectè aſſerit Sayrus l. 1. de cenſur. c. 18. num. 40. cum Soto & Henrique quos profert. Nec impotentia tunc excuſat, quia eſt voluntaria, & reſpergitur malignitate contumaciæ inchoatæ, quæ tunc interuenit quando præceptum violatum eſt, præſciendo omiſſionem reſtitutionis mandatæ ſub excommunicatione. Non dico tunc omiſſionem reſtitutionis eſſe formaliter malam. Id enim non eſt neceſſarium. Itaque tantùm affirmo, eam omiſſionem in termino præfixo, ſordere obiectiuè labe violationis præcepti ſub cenſura propoſiti. Imo vt rectè addit Suarez ſ. illa 2. num. 16. quamuis tunc omiſſio diſpliceret, tamen ex vi prioris cauſæ incurreretur excommunicatio, niſi Iudex congruo tempore interpellatus, eam miſericorditer ſuſpenderet, iniuncta ob præuiam contumaciam ſalutari pœnitentia, quod Iudex in tali euentu præſtare & poteſt & debet.

QVÆSITVM IV.

Num qui ſe iuſtè compenſauit ligetur monitorio reſtitutionem mandante.

RESpondeo non teneri, dummodò ſe iuſtè compenſarit; id eſt dummodò debitum fuerit liquidum & certum, nec qui ſe compenſauit plus acceperit quàm liquidò deberetur, & rem acceperit quæ verè eſſet debitoris; nam ex re apud debitorem depoſita non licet ſe compenſare, vt benè monet Petrus à Nauarra l.3.de reſtit.c.1. dub.8. n.406. & Auila 2. p. cap. 5.diſp.5.dub.1.coroll.2. Addit Comitolus l.3.reſponſ.moral.q.39.idem eſſe dicendum,ſi compenſans habeat apud ſe rem debitoris, iure depoſiti. In hac enim fieri compenſatiònem, vetat lex vltima, Cod. de compenſ. Verùm hæc conditio non valet niſi pro foro externo:In conſcientia autem,creditor depoſitarius ad eam conditionem ſeruandam non obligatur, vt rectè ait Leſſius l.de iuſt.c.27.num.16. & Diana p. 3.tract.5. reſol. 10. Numeratur quoque inter conditiones iuſtæ compenſationis, vt is qui ſe compenſat, non aliam ob cauſam acceperit, quàm quia deſperabat ſe vel à debitore accepturum quod iuſtè ſibi debetur,vel facilè idem exoraturum à Iudice.Et certum eſt, vt compenſatio vndecunque ſit licita,id eſſe neceſſarium, quia nemo debet ſibi ius dicere, vel per vim eripere quod temperando à violentia habere poteſt. Quomodo tamen hæc licitæ compenſationis

conditio

conditio ſe habeat ad hoc negotium; id eſt an idcirco qui ita ſe compenſarit, per monitorium cogendus ſit rem ſic acceptam reſtituere, poſtea dicam. Nunc ſufficit affirmaſſe, dummodò illæ aliæ iuſtæ compenſationis conditiones ſint adhibitæ, de quibus plenè Theologi vel in 4.d.15. vel 2.2.q.66. artic.5. ac quoties de reſtitutione diſſerunt, certum eſſe eum qui ſe compenſauit non peccaſſe ſe compenſando, & quicquid in contrarium dicat Ioan. Medina q.11.de reſtitut. comparaſſe dominium rei quam abſtulit in compenſationem. Ac proinde cum monitorium duntaxat iubeat, vt fiat reſtitutio rei alienæ malè & cum peccato retentæ, perſpicuum eſt, eum qui ſe iuſtè compenſauit non ligari tali monitorio. Ita Soto in 4.d.22. q.1.artic.2. Toletus l.1.inſtruct.cap.8.num.5. Molina tract.2.de iuſt.d.692. Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.2. Comitolus 6.reſponſ.q.4. Leſſius l.de iuſt.cap.12.num. 61. Sayrus proferens benè multos & Scholaſticos & ſummiſtas in Claui lib.12.c.14.num.29. Conſentiunt Iuriſperiti quorum pleroſque adducit Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 51. Huc porrò reſpicere Cancellariam, cum monitoria ad finem reſtitutionis decernit tantùm aduerſus filios iniquitatis alienorum detentores, obſeruauit Naldus in ſumma v.*reuelare*, n.1.

Sunt qui referant, aliquando per monitorium præcipi vt omnes reſtituant, iis non excluſis qui in compenſationem acceperint. Hoc valere poteſt, quando qui retinet compenſaſſet ſe, non certus de alterius debito. Tunc enim quia nemo poteſt eſſe Iudex in propria cauſa, & poſſeſſio erat penes debitorem, malè facta fuiſſet compenſatio, & cum obligatione ad reſtitutionem, etiam de damnis in quæ incurrerit ob

eam rei ſubductionem poſſeſſor, cuius in dubio potior debuit eſſe conditio. Poteſt item vſus ille mandandi reſtitutionem acceptorum in compenſationem, valere quoad incrementum debiti certi quo is qui ſe compenſauit, ſpoliarit iniuſtè debitorem. Si enim illud incrementum ſit notabile & ſufficiens ad culpam mortalem, meritò quoad illud habebit locum excommunicatio niſi fiat reſtitutio partis acceptæ cum iure dubio, vt benè monuit Nauar. ad c. *inter verba*. concluſ. 6. coroll. 66. n. 396. & Leſſius l. 2. de virtut. c. 12. num. 61. Denique valere quoque poteſt vſus prædictus, quando creditor ſe compenſando intulit debitori damna quæ teneatur compenſare reſtituendo rem quam in compenſationem acceperat. Horum modorum aliquo, aliòve ſimili, intelligenda ſunt ea monitoria, quibus expreſſum eſt, vt ea quoque reſtituerentur quæ eſſent in compenſationem accepta. Et ita ea intellexerunt Angelus v. *Furtum*, num. 41. Tabienna v. *Inquiſitio*, num. 7. Nauar. ad c. *inter verba*. concluſ. 6. coroll. 66. num. 394. ac Philiarc. de offic. ſacerd. p. 1. l. 3. c. 34. Quod ſi Iudex monitorium concedens, ea quoque reſtitui vellet quæ per compenſationem vndecunque iuſtam fuiſſent accepta, monitorium eſſet nullum, quia contineret errorem intolerabilem. Et ita rectè Medina q. 11. de reſtit. Gutier. l. 1. qq. Can. cap. 11. num. 67. Molina tract. 2. de Iuſt. d. 692. Nauar. in ſumma, c. 17. num. 114. & cum multis Bonacina tract. 6. ex variis p. 1. §. 6. num. 1. Neque enim Iudex Eccleſiaſticus poteſt aliquem plectere pro actu in quo nihil peccauit; vel obligare hominem vt ſe ſpoliet re quam verè fecit ſuam, comparato legitimè eius dominio.

Quin

Quin etiam tametſi is qui ſe compenſauit, peccaſſet in eo actu, aliter quàm contra Iuſtitiam erga debitorem; v. g. quia ſibi ius dixit, & vſurpauit rem debitoris quam facile potuiſſet obtinere interuentu Iudicis; aut quia quomodolibet aliter tranſgreſſus eſſet ordinem ſtatutum: Tamen ſicut ob huiuſmodi defectus non violaſſet ius debitoris in re ſibi accipienda, ita non teneretur ad rei illius reſtitutionem, ac proinde non feriretur monitorio reſtitutionem indicente. Ac ne tunc quidem, excipio euentum in quo Iudex exprimeret vt qui ſe compenſarunt, teneantur monitorio ni reſtituant. Ioannes quidem Medina C. de reſtit. q. 11. exiſtimat, Iudicem in hoc euentu poſſe in pœnam peccati mandare, vt res accepta quæ alioqui retineri iuſtè potuiſſet, reſtituatur. Tamen cum compenſatio ſupponatur facta occultè, & peccatum quod in ea admiſſum eſt fuerit occultum, nec in futurum amplius pendeat, ſed ſit plenè conſummatum, rectè Molina d. illa 692. concluſ. 2. & Leſſius l. de Iuſt. c. 12. num. 61. affirmant Iudicem Eccleſiaſticum non poſſe plectere eo modo creditorem qui ſe compenſauit, obligando illum ad reſtitutionem rei quam iuſtè retinet; eúmque conſtituendo executorem pœnæ temporalis qua illum vult mulctare pro peccato occulto, de quo illum neque conuicit, neque indicauit, quandoquidem occultum fuiſſe ſupponitur, ac proinde non deductum in iudicium.

Cæterum ſi is qui ſe iuſtè compenſauit, & ſine debitoris iniuria rem retinet, compelleretur à Iudice, etiam intentata excommunicatione, vt proderet an rem accepiſſet, vel an ſe rei illius acceptione compenſaſſet, & fatendo quod factum eſt, obuenturum eſſet

inde damnum creditori; puta quia Iudex rem iuſtè acceptam auferet, vel quia creditor inſimulabitur furti aliquáve infamia inde aſpergetur; fas eſſet creditori reſpondere ſe rem non accepiſſe ſubintelligendo, ita vt teneatur reſpondere. Quia enim non interrogaretur iuridicè, non teneretur reſpondere ad mentem Iudicis: qui proinde excommunicationẽ intorquens non feriret ſic reſpondentem, cui ad declinandam omnem culpam, ſatis eſſet reſpondere in aliquo ſenſu vero, ſaltem ob adhibitam reſponſi ſui appendicem mente ſuppreſſam. Ita quoad præſens negotium Nauar. in ſumma c. 17. num. 117. & Mol. tract. 2. d. 692. num. 3. ſuffragantúrque innumeri quos protulimus in Opere de æquiuocatione contra pſeudomonachum Anglum. Si tamen creditor iuſtè quidem ſe compenſaſſet quoad ſubſtãtiam acceptionis, peccaſſet autem quoad modum, tũc ſi à Iudice interrogaretur an rem acceperit; interrogationem eſſe iuridicam, ac proinde creditorem teneri reſpondere nitidè & ad Iudicis mentem, affirmat Leſſius l. de Iuſt. c. 12. num. 62. tametſi ait contrarium non eſſe improbabile. Mihi autem videtur longè verius, quod etiam tunc ſi ipſi damnum immineat ex aperta confeſſione, poſſit vti artificio prædicto; quia reuera mens Iudicis non eſt, interrogare an malè quoad modum acceperit, ſed an iniuſtè quoad ſubſtantiam acceptionis: ſaltẽmque ſi Iudex aliud quærat, erimus extra controuerſiam præſentem, quæ eſt de monitorio ad finem reſtitutionis, cuius in euentu propoſito nulla iniicitur creditori obligatio.

QVÆ

QVÆSITVM V.

An monitorium liget donatarium non reſtituentem res ſibi donatas contra ſtatutum irritans, vel abſque inſinuatione, aut per diſpoſitionem minùs ſolemnem.

RESpondeo 1. ligare donatarium quoad accepta contra ſtatutum irritans donationem, eámque non modò reddens illicitam, ſed etiam nullam. V.g. in quibuſdam locis eſt ſtatutum, quod donationem à marito moribundo factam vxori, reddit nullam, ac ne mariti quidem morte confirmabilem: contra quàm accidit iure communi, quod tametſi coniugum inter ſe donationes non approbet, vt liquet ex toto titulo ff. & C. *de donat. inter virum & vxorem*, tamen diſſoluto per donantis obitum matrimonio, eas ratas habet. Vt habetur l. *cum hic ſtatus*. ff. de donat. inter virum & vxorem. Vnde non fuerunt planè nullæ. Quare ſi in loco vbi ſtatutum illud huiuſcemodi donationes planè irritans viget, maritus aliquid occultè vxori donet, móxque emoriatur, hæredes autem curent ferri monitorium quo non reſtituentes bona defuncti mariti, excommunicatione percellantur, non eſt dubitandum quin vxor bona illa clanculum donata retinens, irretiatur excommunicatione, quia verè ob interpoſitum ſtatutum à poteſtate idonea conditum, vxor non comparauit talium bonorum dominium. Ex quo fundamento præthereà ſequitur, ad hoc vt vxor teneatur talia bona reſtituere, non eſſe expectandam

expectandam vllam ſententiam, qualem expectare poteſt reus cuius bona ob crimen ſunt fiſco addicta. Non enim cum excidit dominio directo ſuorum bonorum, tenetur ea fiſco exhibere, ſed poteſt expectare ſententiam: quia priùs habuit dominium, quo excidit quidem per crimen, non tamen vſu eius, & rerum ſuarum adminiſtratione, donec interueniat ſententia, ſiue declarans, ſiue condemnans, pro varietate criminum: quæ eſt ſatis recepta ſententia quam Suarez d. 22. de fide, ſ. 3. tradit, & contra Alphonſum de Caſtro obligantem in conſcientia reos ad talia bona fiſco exhibenda, confirmant Simancas in inſtit. tit. 9. à num. 157. & Sanchez l. 2. in decal. c. 22. At in præſenti negotio nullum dominium præceſſit, quia ſtatutum acquiſitionem eius præcluſit. Itaque donatarij de quibus nunc agimus, non poſſunt ſibi retinere bona ſic accepta, etiamſi non interpellentur à legitimis talium bonorum dominis. Multo igitur minùs id poterunt, facta per monitorium interpellatione. Perinde porrò erit, ſiue donatio fiat immediatè, ei quem donator cupiat retinere donum abs ſe factum; ſiue in ſpeciem fiat tertio, ſed cum promiſſione refundendi donum vero illi donatario. Is enim huiuſce mangoniæ conſcius, non facit ſua quæ ad eum modum accipit. Quare tenetur illa reſtituere, & lato in eam rem monitorio ligabitur, niſi ad terminum conſtitutum reſtituat.

Rectè tamen & diligenter ſpectandum eſt, vt inhæreatur non verbis tantùm, ſed etiam menti ſtatuti, atque adeò vt donatio per quam bona de quibus agimus ſunt accepta, ſit mera donatio. Nam v. g. in exemplo propoſito, ſtatuti irritantis donationem à

viro

viro moribundo factum vxori, non eſt exiſtimandum irritari eo ſtatuto donationem remuneratoriam extraordinarij laboris quo vxor maritum diu languidum alitérve afflictum iuuerit: neque eam qua maritus ignobilis aut ſenex nobili & florenti puellę quam duxerit, elargitus ſit aliquid: quam donationem iure communi prorſus valere notat cum Gomeſio Leſſius l. de Iuſt. c. 18. num. 89. nimirum quia eſt potiùs remuneratio, quàm mera donatio: quæ ratio æquè probat eam donationem non irritari per ſtatutũ de quo agimus, quod cum ſit honeſtum & rationabile, intendit tantùm excludere acquiſitionem dominij rerum donatarum, quas fallax mollioris ſexus induſtria extorquet à maritis; non autem earum rerum quæ in mercedem officiorum donantur, quorum largitio nõ tam eſt donatio mera, quàm naturalis debiti reſtitutio. Similitérque ſi maritus aliquid occultè donaſſet vxori, vt eam indemnem redderet quoad dotem, vel arrhas, aut bona paraphernalia vſurpata à marito abſque ſcriptura publica qua vxor certa fiat ea bona ſibi obuentura, ſtatutum huiuſmodi donationem non attingeret; quia verè non eſt donatio, ſed expletio inæqualitatis inductæ in bona & iura vxoris. Ac proinde vxor in eo euentu non ligaretur monitorio lato ad inſtantiam hęredum vt reſtituantur bona donata contra ſtatutum. Et idem attentè conſiderandum eſſet, quoad quæuis alia ſtatuta irritantia donationes: ita vt ſtatuta illa non ſint cenſenda habere locum, niſi donatio fuerit mera donatio: proindéque non ſit habendus monitorio irretitus, quiſquis bona pro quibus reſtituendis monitorium fuerit latum, alio titulo quàm meræ donationis acceperit.

Reſpondeo

Reſpondeo 2. quod attinet ad donationem bonorum, quæ valida quidem fuit, ſed defectu inſinuationis periclitatur, monitorium planè ligare donatarium vt ea bona reſtituat. Hoc vt intelligatur ſupponendum eſt, iure poſitiuo vt donatio ſit valida, exigi donantis declarationem coram Iudice, tanquam teſte authentico (citra iudiciarium vllum ſtrepitum, & abſque neceſſitate aſſenſus à Iudice præſtiti;) quod hæc ſit mens donantis & voluntas libera, nullo metu adacta, aut dolo circumventa ad donandum, vt donatarius ex ipſius donantis bonis tantum accipiat. Ita enim cauere neceſſarium fuit, quoad ſummam magni momenti, hoc eſt excedentem ſolidos aureos quingentos, vt hominum depauperatio prohiberetur. Quoad ſummam ergo prædictam, id eſt quoad exceſſum ſolidorum quingentorum, quæuis donatio cui inſinuatio prædicta non acceſſerit, eſt nulla iure communi ex l. penult. §. vltimo, C. de donat. Exceptis tamen nonnullis donationibus, quas abſque inſinuatione validas eſſe, proſequitur fusè Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 279. qui ibidem diſp. 278. *in fine*, annuente Leſſio l. de Iuſt. c. 18. num. 99. affirmat, non obſtante defectu inſinuationis, donatarium poſſe retinere ſummam donatam, indigentem cęteroqui inſinuatione, quouſque repetatur à donante, vel ab eius hæredibus; eo quod lex citata qua tollebatur translatio dominij quando donatio non fuerit inſinuata, vſu & conſuetudine ita ſit emollita, vt non vigeat, niſi fiat ea repetitio rei abſque inſinuatione donatæ: & eo vſque res tuta conſcientia retineri poſſit à donatario, etiamſi conſcio infirmabilitatis & reuocabilitatis donationis, non item donante eiúſve hæredibus, quos donatarius

tarius cum ſuo incommodo docere non tenetur donationem factam repetitione adhibita poſſe reddi caſſam.

Ex hac doctrina ſequitur, ſi monitorium feratur ad inſtantiam hæredum, non modò vt bona occultè abſque inſinuatione data reſtituantur, ſed etiam nulla facta mentione talis defectus, vt bona quæcunque ad talem teſtatorem ſpectabant reſtituantur, donatarium cum inſinuatio alioqui neceſſaria defuit, teneri talia bona reddere; alioqui monitorio in non reſtituentes lato ligandum eſſe. Ratio eſt, quia hæc eſt ſufficiens repetitio bonorum donatorum abſque inſinuatione. Imo cum ſupponamus latere quid datum ſit contra formam iuris, hæredes non poſſunt alia ratione repetere bona, ſicque infirmare donationem. Quare cum in re abdita pro qua ad Iudicem laicum adire non poſſunt, interpellent poteſtatem ſacram, quæ etiam quoad res abditas poteſt vrgere, donatio planè corruit; deéſtque in retinente rem ſic donatam, idoneus retinendi titulus. Sanè ſi conſtaret palam, quæ ſumma fuiſſet donata abſque inſinuatione, ſuffeciſſet ad infirmationem donationis in conſcientia, repetitio donantis eiúſve hæredum, abſque interpellatione donatarij per Iudicem laicum. Lex enim eam donationem irritam eſſe iubebat. Vſus autem ita legis rigorem temperauit, vt repetitio donantis eiúſve ſucceſſorum, requireretur ad obligandum in conſcientia donatarium vt reſtituat: nec ea repetitio eſt arctata ad repetitionem iudiciariam, quę ſolet ſcatere incommodis, & protrahi in infinitum, ſed quæuis clara donantis repetitio debet ſufficere, vt donatarius donationem priùs caducam & infirmam eſſe omnino reſciſſam

ciſſam non dubitet, teneatúrque ad rem ſine inſinuatione acceptam, reſtituendam. Nemo autem non videt repetitionem interuentu monitorij factam, ſaltem æquiualere ſimplici repetitioni factæ extra iudicium à donante eiúſve hæredibus. Nam monitorium cum ad inſtantiam partis ſit latum, non modò præfert voluntatem ſuperioris Eccleſiaſtici mandantis reſtitutionem, ſed etiam voluntatem donantis de recuperanda re ſua, iuxta fauorem legis ſtatuentis rem ſic donatam eſſe repetibilem. Nec refert, quòd quia res occulta eſt, non poſſit eam ſignatim & nominatim repoſcere. Sufficit enim quod repetat eo modo quo poteſt. Quare non eſt par ratio iſtius donantis, & illius quem ſupra dicebamus ignoratione fauoris lege conceſſi ſilere, & rem abſque inſinuatione donatam non repetere, quam proinde tunc donatarius licitè retinet, quia non repetitur. At in euentu de quo agimus, non deeſt repetitio ſufficiens vt eſt monſtratum.

Reſpondeo 3. quoad ea quæ quis habuit ab alio per diſpoſitionem minùs ſolemnem, diſtinguendum eſſe de diſpoſitione per teſtamentũ, & de aliis diſpoſitionibus. Nam quamuis aliqui vniuersè pronũcient, diſpoſitiones quaſcũque abſque præſcriptis à iure ſolemnitatibus, inanes eſſe & dominium non transferre, quod ſentiunt Vaſquez Opuſc. de Teſtam. c. 3. dub. 1. Suarez 5. de legibus c. 24. num. 4. & ferè Valent. 2. 2. d. 5. q. 6. p. 5. §. 2. & Bonac. q. 1. de contract. p. 3. num. 2. Tamen verior ſententia, agnoſcit contractus quidem minùs ſolennes irritos eſſe, etiam in foro interno: at Teſtamenta quamuis minùs ſolemnia, valere in foro conſcientiæ, cum euidenter conſtat de verè expreſſa in eis voluntate teſtatoris, quamuis leges ciuiles

les quia non adhibitis ſolemnitatibus præſcriptis prę-ſumunt fraudem, non admittant teſtamenta minùs ſolemnia ad faciendam fidem de teſtatoris voluntate. Quod declarauit Innoc.II. cap. *quod ſicut*, & *quia propter*. de elect. Diſertéque idem habet Iuſtinian. l. *etſi inutiliter*. & l. vlt. C. de fideicomm. necnon Plinius l.2.epiſt.ad Annianum, & l.5.epiſt. ad Caluiſium. Ex recentioribus idem benè ſtatuunt Leſſ.l.de Iuſt.c.19. à num.12.Mol.tract.2.diſp.81.Comitolus 7. reſponſ. q.1. Reginald.l. 25. prax.num.105.Mald. tract. 1. de Iuſt.c.11.dub. 5. & alij. Quare ſi quis accepiſſet bona alicuius, per teſtamentum quidem minùs ſolemne, ſed tamen cum euidentia de voluntate teſtatoris, & fraudis cuiuſuis excluſione, feciſſet ea bona verè ſua, nec teneretur monitorio lato aduerſus eos qui bona teſtatoris prædicti accepiſſent. Secus verò eſſet de iis bonis quæ ad aliquem veniſſent per aliam diſpoſitionem minùs ſolemnem. Nam quia quoad eam, iura caſſum reddunt actum, nec ex verbis legis, vel aliunde, apparet mentem legiſlatoris fuiſſe, vt actus valeat ſi fraus defuerit, meritò exiſtimatur eam diſpoſitionem eſſe prorſus irritam, etiam in foro interno & dominium non transferre. Ac proinde ſi feratur monitorium vt bona quæ quis à tali habuerit reſtituantur, ligabit quoad bona ab eo per huiuſmodi diſpoſitionem iure legitimo caſſam accepta. Sunt tamen qui non modò teſtamenta, ſed etiam quoſuis contractus & diſpoſitiones, dummodò apertè conſtet de voluntate contrahentium & diſponentium, velint valere in foro interno, non obſtante ſolemnitatum iure indictarum prętermiſſione: eo quod leges ciuiles non abſtulerint eis vim quam natura ſua habent ad dominij

tranſlationem. Eſto dicantur interdum inualidæ per ius poſitiuum, quia ius concedit alteri contrahentium, facultatem petendi reſciſſionem contractus ſic initi; aut quia non dat vi eius, actionem in foro externo. Ita Sotus l.4.de Iuſt. q.5. artic.3. poſt Victoriam, Syluestrum, Adrianum, & Panormitanum. Iuxta quorum Doctorum ſententiam, qui haberet bona alterius interuentu diſpoſitionis minùs ſolennis, ſi euidenter ipſi conſtaret de voluntate diſponentis, poſſet ea retinere non obſtante monitorio reſtitutionem alienorum præcipiente. Quæ ſententia non eſt planè improbabilis, quamuis altera cui adhæſimus, nobis & longè probabilior, & ſola ſimpliciter vera ac ſequenda videatur.

QVÆSITVM VI.

An qui rem habet ſibi debitam, cum ſunt creditores ipſo anteriores, ligetur monitorio reſtitutionem indicente.

RESpondeo non ligari, quia Iudex Eccleſiaſticus intendit tantùm obligare ad reſtituendum id quod non poteſt retineri abſque peccato. Atqui ſententia quæ tradit talem poſſeſſorem in eo euẽtu, non teneri in diſpendium ſuum gratificari anterioribus debitoris ſuis creditoribus, ſed poſſe iuſtè retinere quod è debitoris ſui rebus habet, eſt valdè probabilis ac tuta. Docet eam Comitolus l.3.reſponſ.q.39. Fernand. p.4.exam.c.5.num.13. Diana p.3.tract.5. reſolut. 10.

Igitur,

Igitur,quod ſpecialiter expreſſit Comitolus, etiamſi interueniat monitorium mandans reſtitutionem bonorum debitoris,fas eſt creditori poſteriori, retinere bona ſibi alioqui debita quorum factus eſt compos. Suffragantur apertè,quotquot exiſtimant,creditorem non teneri reſtituere rem ſibi debitam quam ei in ſolutionem tradidit debitor non ſeruato ordine iuris, contra bonum anteriorum creditorum,qui pręferendi erant cum omnes ſunt creditores tantùm perſonales, abſque ſpeciali hypotheca aut pignore, quibus aliqui rem traditam ſibi deuinctam habeant. Negant quidem iſtud, Azorius t.3.lib.4.c.36.q.8.& Torres 2. 2. tomo 2. diſp. 19. *in fine.* Tamen meliùs affirmant Rebellus p.1.l.2.q.19.num.15.Leſſ.l.de Iuſtit.c.15.n. 41.ac Molina tract.2.de Iuſtit.diſp. 536. *ſub finem.* Et ratio eſt quia quamuis debitor proprio motu ſic ſoluens,violauerit ordinem iure ſtatutum;tamen creditor poſterior, neque titulo iniuſtæ acceptionis tenetur reſtituere, neque titulo rei acceptæ. Verè enim habet quod ſibi debetur; & rem ſic acceptam retinendo,cum nullius iure inæqualitatem inducit. Quæ ratio vniuerſaliter militat in hoc negotio,quomodocunque creditor rem debitoris habuerit. Ergo ſi per monitorium vrgeatur ad eam reddendam, ſiue eam debitor creditori poſteriori tradiderit,ſiue ipſe creditor aliunde eam habuerit, non ligabitur monitorio, quod tantùm poteſt obligare ad reſtituendum ea quę iniuſtè & cum peccato retinerentur.

QVÆSITVM VII.

Monitorium ad finem reſtitutionis, an vinciat eum qui ritè rem præſcripſit.

RESpondeo non vincire. Ita Nauarrus Conſil. 35. de ſent. excom. num. 8. & Auila 2. p. c. 5. diſp. 5. dub. 1. illatione 3. Et ratio eſt perſpicua, quia per vſucapionem & præſcriptionem, res fit propria vſucapientis & præſcribentis. Nec tātùm fit propria quoad dominium vtile, vt quidam Iuriſperiti ſenſerunt de rebus immobilibus, ſed etiam quoad directum, quomodocumque ſe habeat prior Dominus; id eſt ſiue ſit conſcius tranſlationis dominij rei ſuæ, ſiue neſcius: & ſiue neglexerit rem ſuam recuperare, ſiue nō neglexerit: & quod non benè aliqui ſpectari volunt, vt Comitolus 7. reſponſ. q. 17. ſiue prior dominus grauiter negligens fuerit, ſiue non fuerit: Quomodocunque inquam ſe habuerit prior dominus, ritè facta præſcriptio, transfert rei præſcriptæ dominium, etiam in foro conſcientiæ, quod malè negarunt nonnulli apud Argentinatem in 4. d. 15. artic. 4. quæſt. 7. rectè autem aſſerit idem Argentinas, & Scotus ead. diſt. q. 2. *litera G*. Caietanus v. *præſcriptio*. Mol. tract. 2. de Iuſt. diſp. 61. Leſſ. l. 2. de virtut. c. 6. num. 50. & paſſim cæteri. Nimirum ita valere neceſſarium fuit, ad Reip. tranquillitatem curandam, ac tollenda innumera iurgia & firmandam dominiorum certitudinē, vt Caius Iuriſc. notauit l. 1. ff. *de vſucap*. Nec hac in parte reclamârunt Pontifices. Nam cap. *vigilanti*. & cap. vltimum

mum de præſcript. ſolùm reprobant præſcriptiones malæ fidei,quas ius ciuile admittebat.Dummodò igitur bona fides præſcribentis interueniat,aliæque conditiones legitimæ præſcriptionis, quas plene perſequuntur Mol.tract.2. de Iuſt. diſp.65. & Anaſt. Germon.l.3,de ſacr. immunit.c.18. qui præſcripſit,fit dominus rei præſcriptæ,atque adeò eam ſine culpa retinet. Vnde ſequitur, eum non vrgeri monitorio lato ad finem reſtitutionis rerum alienarum, cum culpa retentarum, cuiuſmodi non ſunt res quæ retinentur titulo præſcriptionis vel vſucapionis. Loquor vt multi,quamuis non me lateat quàm alia ſit earum vocum legitima notio, vt videre eſt apud Couarruuiam reg. *poſſeſſor*,p.1.*initio*,& apud Alciatum ad l. *vt ſunt*. ff.de verb.ſignific.

Hæc cum rata ſint quoad præſcriptionem iure communi inductam,addendum ſigillatim eſt, id non valere quoad præſcriptiones quę in quibuſdam regionibus aut ciuitatibus inductæ ſunt per leges particulares regnorum, vel ſtatuta ciuitatum. V. g. in quibuſdam locis eſt ſtatutum, vt famulus qui intra decennium debitas mercedes non repetierit,careat iure illas repetendi,eo quod domino ſint præſcriptæ. Hoc autem ſtatutum eſſe iniuſtum, & non excuſare debitorem ſcientem ab initio ſe eas mercedes debere, affirmant Nauarrus in ſumma c.17. num.85. Ancharanus ad cap. *peccatum*. de reg. iur. in 6. Couarr. reg. *poſſeſſor*. p.2.§.11.num.3.& 4.Alfonſus de Caſtro l.2. de lege pœnali c. 10. Molina tract.2.de Iuſt.diſp. 67. concluſ.1.Nimirum deeſt in huiuſmodi præſcriptionibus bona fides, ſine qua non acquiri dominium, ſanxit ius Canonicum.Itaque eos qui ſic mercedes &

alia huiuſmodi præſcripſerunt, ligari monitorio mandante reſtitutionem alienorum, notauit Graffis p. 1. deciſ. l. 4. c. 8. num. 19.

QVÆSITVM VIII.

Num depoſitarius rectè negaturus rem ſuam domino, vrgeatur monitorio ad eam reddendam.

REſpondeo non vrgeri, & tametſi non reſtituat, immunem fore à cenſura lata contra non reſtituentes. Ratio eſt, quia Iudex ferens cenſuram, non aliud quærit quàm vrgere detentorem rei alienæ, vt non omittat eius reſtitutionem ex graui præcepto neceſſariam, cuiuſmodi non eſt in eo euentu reſtitutio depoſiti, vt ſupponimus. Neque enim depoſitarius, ſemper tenetur domino repoſcenti reſtituere quod apud ipſum fuit depoſitum, ſed aliquando poteſt negare illud cum laude, vt ſi repoſcatur enſis à furioſo ad patrandum homicidium: In quo euentu negãdum eſſe enſem depoſitum, etiamſi iuramentum de eo reddendo quoties repoſceretur fuiſſet à depoſita io præſtitum, habetur cap. *ne quis*. 22. q. 2. Nimirum quamuis liberum ſit deponenti, rem ſuam repoſcere quoties libuerit, etiam ante tempus quod fortè depoſitioni & cuſtodiæ fuiſſet conſtitutum, quia ea cuſtodia regulariter fit in gratiam deponentis, qui proinde poteſt pro libito mutare voluntatem: vt habetur l. 1. ff. *depoſiti*: Quamuis inquam hæc ita ſe habeant, tamen vt rectè proſequitur Molina tract. 2. de

Iuſt.

Iuſt. diſp. 526. fas eſt depoſitario negare depoſitum, quoties deponens in ſuum aut aliorum damnum rem ſuam repetit ; vel quoties deponens alienam rem depoſuit, & dominus verus comparet, repoſcens rem ſuam ; aut denique quoties deponens excidit bonis omnibus per confiſcationem. Et in hoc quidem tertio euentu, liberum eſt depoſitario reddere aut negare rem ei qui depoſuit, vt probat Leſſius l. de Iuſt. cap. 27. num. 14. In ſecundo autem euentu, & in primo cum damnum impendet tertio, obligatur per ſe loquendo depoſitarius rem negare repoſcenti, alioqui ſi præſcius damni iniuſtè tertio impendentis ex reſtitutione rei depoſitæ, eam nihilominus reddat, violabit Iuſtitiam, concauſando iniuſtum alterius damnum, quod negata ad tempus re ſua domino, vel negata furi re per eum depoſita, auerteretur. Et ita rectè Sotus 4. de Iuſt. q. 7. artic. 2. & Rodericus in Summa p. 1. c. 153. num. 8. Quare in omnibus huiuſmodi euentibus in quibus depoſitum ex quacũque tandem idonea cauſa negatur, monitorium non ligat depoſitarium, etiamſi non reſtituat, vt rectè ſtatuunt Nauar. cap. *inter verba*. coroll. 65. n. 797. Sanchez l. 6. Opuſc. c. 2. dub. 24 num. 2. & Sayrus in Claui l. 12, c. 14. n. 31. meritò tamen obſeruans, adhibendum eſſe remedium intra terminum in monitorio aſſignatum, vt ceſſante cauſa honeſtante depoſiti negationem, v. g. elapſo periculo iniuſti damni proximo inferendi, ſi tunc res depoſita reſtitueretur, res illa ſecurè regrediatur ad verum dominum.

QVÆSITVM IX.

An qui rem alicui ſolo promiſsionis à ſe factæ titulo debitam habet, monitorio de reſtituendis promiſſarij rebus lato, ligetur ad eam exhibendam.

RESpondeo, non ligari, etiamſi promiſſio fuerit acceptata. Ratio eſt, quia promiſſio vel obligat ex ſola fidelitate, vel ex iuſtitia. Priorem obligationem non conſequitur morale debitum aliquid reſtituendi; ſi is qui promiſit mutet ſententiam, & promiſſionem exequi renuat. Nec niſi hanc obligationem ex promiſſione creari, cenſent Richard. in 4. d. 38. art. 3. q. 3. Caiet. 2. 2. q. 113. *ad finem*, Mol. tract. 2. de Iuſtit. d. 262. Henriq. l. 13. c. 17. num. 5. & alij quos protuli l. 4. de virtut. num. 185. eorúmque ſententiæ ſubſcripſi num. 186. Si autem promiſſio obliget ex iuſtitia, non modò latè dicta, cuiuſmodi eſt fidelitas quæ non niſi decentiæ obligationem ingenerat ad exhibendam rem promiſſam, ſed etiam ex preſsè & propriè dicta Iuſtitia, vt affirmant varij DD. quando mens promittentis fuit eo ſe arcto modo aſtringere inter promittendum, ne ſic quidem exiſtimandum eſt, eum qui promiſit ligari monitorio de quo agimus. Eſto enim verum ſit iuxta eam ſententiam, illum qui promiſit teneri, ex iuſtitia, atque adeò ex genere ſuo ſub culpa graui, ſtare promiſſis, & tradere rem promiſſam, vt affirmat Molina tract. 2. diſp. 262. & Sotus l. 7. de Iuſt. q. 2. artic. 1. ad 1. tamen quia promiſſarius nondum habet

habet ius in re, ſed tantùm ius ad rem, is qui promiſit non vrgetur monitorio mandante reſtitui res alienas: neque enim res promiſſa, eſt verè res promiſſarij. Fateor dato quod promiſſio obliget ſub mortali; (id quod puto accidere poſſe, etiamſi eius obligatio non ſit iuſtitiæ preſsè & ſtrictè acceptæ,) Iudicem Eccleſiaſticum poſſe per excommunicationem vrgere eum qui promiſit vt ſtet promiſſis, caueàtque mortalem culpam. Tamen præceptum ſub ea excommunicatione latum, non eſſet monitorium ad finem reſtitutionis rerum alienarum de quo nunc agimus. Itaque quomodocunque de vi obligandi per promiſſionem ſtatuatur, rectè negatum eſt, eum qui rem habet ſolo promiſſionis titulo alteri addictam, teneri eam proferre ac reddere, vi monitorij mandantis reſtitutionem rerum alienarum.

QVÆSITVM X.

Qui rei alienæ pretium latroni numerauit, an monitorio ad eam reddendam ligetur, negata aut non ſperata refuſione pretij.

RESpōdeo, diſtinguēdo de emptore bonæ & malæ fidei. Is emptor mala fide emit à latrone, qui cōſcius vel dubius quod res eſſet aliena, numerauit pro ea pretium vt illā ſibi haberet. Bona autem fide emiſſe is dicitur, qui inuincibiliter ignorans rem fuiſſe furto ſubductam, aut eſſe alienam, appendit pro ea pretium: Vel qui cōſcius rem fuiſſe furto ſubductam,

tamen eam à latrone numerato pretio accipit, eo animo vt domino reſtituat, ſi contingat illum comparere, alioqui eam ſibi retenturus. Emptor ille malæ fidei, rem non facit ſuam, ſed eam vero domino tenetur reddere, etiam cum pretij iactura, ſi dominus nolit illud refundere: nec poteſt rem furi reddere, vt facta contractus reſciſſione pretium datum recuperet ab eo. Ita Rebellus 1.p.l.2.q.9.num.6. Sanchez l. 2. de Matr.diſp.41.à num.27.Sayrus in Claui lib.10. tract. 2.c.3.n.5.& alij quos iſti proferunt. Qui autem à latrone bona fide emit, quamuis iuxta Sotum l. 4. de iuſt.q.7.artic.2. Medinam q.10.de reſtitut. Couarruuiam reg.*peccatum*, 3. p. ad initium num. 3. & Molinam tract.2.de iuſt.diſp.722.teneatur rem à fure emptam, domino comperto reddere, etiam cum pretij diſpendio ſi dominus nolit illud refundere; nec poſſit reſcindendo contractum rem latroni reddere vt pretium à ſe datum recuperet: Tamen iuxta ſententiam valdè probabilem, poteſt contractum reſcindere, & pretium ſuum quod aliter perderet, recuperare. Ita Nauar. in ſumma cap. 17. num. 9. Toletus l. 5. inſtructionis, c.17.num.12. Philiarcus part.2. de offic. Sacerdot.l.6. cap. 18. Rebellus 1.p.l.2.quæſt.9.num. 3. Valentia 2. 2.d.5.quæſt.6.p.4. Leſſius l.de iuſtitia, cap. 14. num. 14. Bonacina d. 1. de reſtitut. q.4.p.2. Torres t. 2. diſp.13.dub. 2. qui proferunt pleroſque alios. Et ratio eſt, quia emptor bonæ fidei, nec ex charitate, nec ex iuſtitia tenetur cum rerum ſuarum diſpendio & pretij amiſſione, agere alterius procuratorem. Itaque ne pretium perdat, poteſt furi reddere quod ab eo acceperat, ſi exiſtimat negandam à domino pretij refuſionem: vt ſanè in foro externo eam refuſionem

fuſionem negare poteſt, & abſque ea vendicare ſibi rem ſuam, vt habetur l.*ſi in ciuilem*. C.de furtis.& l.*ſi mancipium*, ac l.*ſi mater*, C.de rei vendicat. Nominatim verò emptor ille bonæ fidei qui numerauit pro re aliena pretium furi vt domino gratificaretur, iuſtè repoſcit à domino pretium à ſe numeratum, quia negotium domini vtiliter geſſit; vt rectè affirmant Couarruuias ex multis reg.*peccatum*, p.3.ante §.1.num.5.& Leſſius lib. de iuſt. cap. 14. num. 20. & cap.21. num. 136. Idem docent Molin, tract. 2. d. 118. *ſub finem*, & Sanchez l. 2. de matrim. d.41.num.29.agentes de illis quæ hoſtes iniuſti diripuerunt, & ab aliis iniuſtitiæ conſciis, emuntur reddenda dominis ſi compareant.

Iuxta hæc principia, reſpondendum eſt ad quæſitum propoſitum. Qui igitur rem alienam emit mala fide, ligatur monitorio rerum alienarum reſtitutionem indicente, quantumuis deberet perdere pretium. Nec poteſt rem latroni reddere vt pretium recuperet, quia non poteſt ſine graui peccato rem alienam habere ſibi, vel latroni committere. At is qui rem furtiuam emit bona fide, non vrgetur monitorio ad eam reddendã cum pretij diſpendio ſi latro compareat, & reſciſſo contractu poſſit ab eo recuperari pretium quod dominus nolit refundere. Quamuis enim controuerti poſſit, an Iudex fori ſecularis poſſit edicere vt emptor bonæ fidei reddat domino rem furtiuam cum iactura pretij, & ſint qui admittant, emptorem poſt ſententiam teneri rem non ſoluto pretio reddere; tamen, quia Iudex Eccleſiaſticus ferens monitorium, intendit tantùm liberare à malo ſtatu perſonam cui excommunicationem intentat, nec niſi in eum finem

poteſt

poteſt præcipere rei temporalis reſtitutionem: propterea emptor bonæ fidei qui non eſt in malo ſtatu, non poteſt per monitorium vrgeri ad rem domino reddendam, & pretium quod numerauit amittēdum, ſi poſſit eam furi reddere, & contractu reſciſſo pretium ſuum recuperare. Nec eſt verum, quod id faciendo, rem in peiori ſtatu collocet. Reponit enim eam in illomet ſtatu quem habebat ante emptionē, ad quod duntaxat tenetur. Vt autem cum ſuo diſpendio faciat eam perſtare in ſtatu quem habet cum eam furi reddit, nihil eſt quod eum aſtringat. Quod ſi fur non compareat, & emptor negotium domini fideliter geſſerit, emens rem furtiuam vt domino cum is comparuerit reſtitui queat, tunc videtur perſpicuum, fas eſſe emptori rem retinere pro pretio malè negato à vero domino, nec monitorium vrgere talem emptorem ad iacturam pretij conſecuturam rei reſtitutionem. Ratio eſt, quia in illo euentu ea rei retentio non eſt iniuſta, cuiuſmodi tantùm eſt ea retentio alieni quam Iudex Eccleſiaſticus monitorij intorſione tentat auertere. Si denique fur quidem compareat, ſed emptor non velit cum eo reſcindere contractum, ac pretium ſuum repetere; vel quantumuis enitatur ad recuperandum ſuum pretium, cogatur tamen illud amittere ob potentiam vel egeſtatem latronis; (& idem eſſet ſi fur non compareret, nec emptor geſſiſſet ſe pro vtili procuratore domini rem emendo à fure:) Tunc quia emptor ratione rei acceptæ tenetur ad eius reſtitutionem, etiam cum iactura pretij, fatendum eſt eum ligari monitorio lato ad finem reſtitutionis, nec excuſari quominus reſtituat, quòd inde conſecutura ſit iactura pretij. Quāquam ſi rem bona fide emptam

diſtraxiſſet, & bona fide eodem pretio vendidiſſet, tunc emptor bonæ fidei liber eſſet obligatione reſtitutionis, atque adeò non vrgeretur monitorio. Ita Petrus à Nauarra l.3.de reſtitut.c.4.p.3.dub.6. num.171. Sanchez l.2.in decalog. c.23.num.4.& 25. Philiarcus c.18.citato, Toletus l.5.inſtruct.c.17.num.8. Valentia 2.2.d.5.q.6.p.3. Molina tract.2.d.721.num.6. Leſſius l.de iuſtit.c.14. n.4. & 29. Ex quo videas, quàm verè Vaſquez qui in contraria eſt ſententia 1. 2. d. 172. num.4.dicat, omnes ei ſubſcribere.

QVÆSITVM XI.

An donatarius vel hæres inſtitutus data fide de bonis indigno refundendis, ligetur monitorio ad ea bona reſtituenda illi cui iure alioqui eſſent obuentura.

RESpondeo non ligari ante ſententiam criminis ſui condemnatoriam. Ratio eſt quia ea donatione vel inſtitutione in hæredem, factus verè eſt dominus huiuſmodi bonorum, quia nullum eſt ius quod illum inhabilitet ad comparandum tale dominium: in quo differt à filio ſpurio, qui nõ poteſt hæres inſtitui, vt habetur authent. *licet*. C. de natur. lib. Vnde talis filius, ante omnem cõdemnationem debet hæreditatem malè ſibi traditam tranſmittere ad idoneos ac legitimos hæredes. Et proportione ſeruata, idem eſt de donatione cum eſt per leges irrita. At hæres & donatarius de quibus agimus, carent prædicta inhabilitate,

bilitate, proindéque poſſunt tuta conſcientia retinere ſibi bona ad eum modum accepta, vt rectè ſenſit Couarr. epit. de matrim. p. 2. cap. 8. §. 5. num. 8. Azor. p. 2. l. 2. c. 10. q 4. Sanchez l. 4. opuſc. c. 3. dub. 20. num. 9. & 11. Lazarius ſ. 3. q. 5. num. 4. Molina tract. 2. de Iuſtit. d. 169. concluſ. 5. repugnantibus tamen Bartolo l. vltima, ff. *de his quibus vt indig.* Soto l. 4. de Iuſt. q. 5. art. 1. Ludouico Lopes p. 2. inſtruct. c. 19. aliiſque nonnullis, qui obligant hæredem inſtitutum data fide de bonis ſpurio refundendis, vt ea fiſco confeſtim reſtituat ante quamcunque condemnationem. Sed ſententia cui adhæſimus, tuta eſt, & ſatis recepta. Ea verò ſuppoſita liquet, talem hæredem vel donatarium cum ſit verè dominus bonorum illorum, non ligari monitorio ad ea reſtituenda. Ligabitur tamen ſi monitorium feratur poſt ſententiam condemnatoriam; quia tunc tenebitur bona illa cum peccato parta reſtituere: in pœnam quippe illius mulctabitur; & meritò, vt tradit Baldus l. *ſi quis Presbyter*. C. de Epiſc. & cler. Grauiter enim in bonum publicum deliquit, dando fidem in fraudem eorum, quibus talia bona iure obueniſſent, & faciendo vt noxius qui legibus priuatus erat facultate transferendi bona in perſonam indignam, v. g. hæreditatem (nō enim dona,) in ſpurium, euadat pœnam lege ſtatutam, poſſitque bona ſua ad ſpurium deuoluere, quem leges in odium paterni ſceleris, volebant beneficij illius expertem eſſe.

Si tamen hæres cum eo artificio inſtitutus, vel donatarius, fidem non dediſſet de transfundenda inhabilibus perſonis hęreditate aut bonis, non poſſet condemnari ad ea reddenda, quia deeſſet crimen fidei contra leges datæ: atque ita non ligaretur monitorio

de iis reſtituendis quæcunque condemnatio interueniſſet, quia tunc condemnatio iniuſta foret, nec eum verè priuaret dominio bonorum ſic acquiſitorum. Quare liberum ipſi eſſet, negare quod alienum quicquam retineat. Imo vt Couarruuias in Epit. de Matr. p.2.cap.8.§.5.& Molina diſp.illa 169.concluſ.5. affirmant, quamuis in ſpecie interrogaretur à Iudice an haberet bona talis teſtatoris aut donatarij, non teneretur abſque ſemiplena probatione præuia, aut aliquo ſemiplenæ probationi æquiualente, reſpondere ad mentem Iudicis, quamuis fidem malè dediſſet de bonis illis refundendis perſonæ legibus inhabili ad ea immediatè à teſtatore aut donatore recipienda: quia interrogaretur vt reus, atque adeò ad pœnam irrogandam: reus autem non tenetur ad mentem Iudicis reſpondere, niſi interrogetur iuridicè, quod non contingit niſi interrogetur præuia ſemiplena probatione, aut aliquo ei æquiualente. Si ergo hæredi vel donatario qui grauiter deliquit, fas eſt interrogationem non iuridicam eludere, ne mulctetur, & bonis cum culpa comparatis excidat; quidni eundem fauorem præſtemus hæredi & donatario qui nullo modo peccarit, quia fidem transfuſionis bonorum contra leges non dedit, ſi ita reſpondere neceſſarium ſit, ne malè mulctetur, & bonis excidat ob præſumptionem datæ fidei in fraudem legis? Exiſtimo id eſſe perſpicuum. Addo verò, huiuſmodi hæredem aut donatarium qui fidem malè non dedit, poſſe poſtea pro arbitratu bona ſic accepta elargiri perſonis illis inhabilibus, v. g. ſpurio. Dabit enim quod ſuum eſt, & ſpurius validè ab eo poterit accipere, quia id illi non vetatur, vt rectè notauit clarum iuris annis ſuperioribus lumen

Hieronymus

Hieronymus à Laurentio in deciſionibus Aueniönenſibus deciſ.42.num.3.Nec obſtabit quod fortaſſis qui donauit vel hæredem inſtituit, id fecerit ex certa ſpe quod iſtè amicus, bona illa ſic relicta tranſmiſſurus eſſet ad perſonam quæ à teſtatore vel donatore accipere;legibus vetabatur.Hoc inquam non obſtabit licitæ & validæ transfuſioni donorum vel hæreditatis in perſonas indignas: quia illa ſpes non facit quin donatarius aut hæres ſic inſtitutus, ſua gratis donet perſonæ reſpectu donatoris vel teſtatoris inhabili. In his ergo euentibus,monitorium non vrgeret ad quicquam reſtituendum vlli alteri ius habituro in bona prædicta ſi hæc diſpoſitio non interueniſſet:quia Iudex monitorium cõcedens,non intendit cuipiam eripere quod ſuum eſt.At vidimus hæreditatem illam & dona,verè eſſe hæredis ſic inſtituti & donatarij.

QVÆSITVM XII.

Num vxor & filij, ligentur monitorio indicente reſtitutionem rerum mariti vel patris, ad eius inſtantiam lato.

RESpondeo,ſi ex verbis,aut aliunde conſtet,mentem mariti vel patris ferre, vt nemo excipiatur, verè hos quoque ligari tali monitorio, & teneri ſub excommunicatione in eo intentata ad reſtitutionem ſummæ cuius retentio eſſet lethifera:quæ ſumma,regulariter loquendo,maior eſſe debet quàm cum furtum eſt ab externis admiſſum, vt Molina rectè notauit

uit tract.2.d.686. num.11. At ſi non conſtet de mente mariti vel patris ad cuius inſtantiam monitorium eſt conceſſum, coniectare ſagaciter oportebit, quid ferat illius intentio. Nam Iudex ferens monitorium, non plures intendit ligare quàm pars monitorium poſcens intendat. Itaque quia vt plurimùm maritus & pater, nolunt cum coniuge & liberis præſertim non emancipatis, agere quoad hoc eodem rigore quo cum externis, præſumi tutò poteſt non eſſe eius mentem, vt excommunicatio cadat in perſonas adeò coniunctas, quando vt dixi, nihil interuenit vnde ingenerari poſſit de contraria eius mente, iuſtum iudicium aut ſaltem dubium. Eſt in hac re magno iudicio & attenta circunſpectione opus, quandoquidem prudentis arbitrio diiudicanda eſt, vt rectè affirmant Soto l.5.de iuſt.q.3.artic.1. Toletus l.1.inſtruct.cap.10.num.7.& Molina ſupra, num. 12. Cum autem prudens arbitrium excutiuerit, & dubium verè fuerit, quę ſit mens partis quę monitorium popoſcit, tunc quia conſtat de pręcepto & adiuncta ei excommunicatione, nec conſtat de excuſatione ab eis, cenſendum eſt, vxorem & filios ligandos eſſe monitorio, niſi vel intra præfixum terminum reſtituant, vel remiſſionem à patre aut marito obtineant. Hac autem remiſſione obtenta, complices quoque furti, vel emptores quicunque rei per vxorem aut liberos malè ſubductæ, liberantur onere reſtituendi, nec ſubiacebunt monitorio etiamſi nihil reſtituant. Sunt enim acceſſoria quæ ſequuntur naturam principalis, vt benè quoad hos ipſos notauit Rodericus in ſumma p.2.c.47.num.17.

QVÆSITVM XIII.

Quid ſi monitorium ob mariti, vel patris bona reſtituenda, ad creditorum, vel fiſci inſtantiam ſit latum.

RESpondeo, ſi in eo euentu bona mariti vel patris quæ penes vxorem aut liberos ſunt, non poſſint ab eis abſque mortali culpa retineri, ligantur monitorio: ſin autem eiuſmodi ſint ea bona, vt ab vxore aut filiis abſque peccato mortali retineri queant, tunc monitorium has perſonas non ligat, & etiamſi non reſtituant, ſunt immunes à cenſura. Hęc reſolutio erit perſpicua, ſi ritè ſtatuatur, quæ ſint ea bona quorum retentio per perſonas prędictas poteſt vacare labe mortali, ſiuę agatur de creditoribus, ſiue de fiſco bona patris aut mariti ſibi depoſcentibus.

Si igitur creditores per monitorium vrgeant detentores bonorum debitoris ad ea reddenda, cenſebitur vxor poſſe abſque culpa retinere ea mariti bona quæ acceperit ad compenſandum debitum dotale, vel aliud quod maritus reſpectu vxoris poſſit contrahere iuxta leges & ſtatuta regionis. Item reſpectu & vxoris & liberorum, talia cenſentur quædam prorſus neceſſaria vtenſilia, & quæcunque ſimilia ad vitam omnino neceſſaria, quorum aſportatio ſecreta per vxorem & filios habetur innoxia; iuxta ea quæ tradunt plerique DD. agentes de decoctoribus, & iis qui in tam magno ſunt ære alieno, vt nō ſint ſoluendo; &

quamuis

quãuis adhuc nonnulla poſſideant, tamen iure fortunis omnibus ſunt euerſi. Ipſis enim decoctoribus vitio nõ vertitur, quod aliqua ex ſuis bonis qualia diximus ſibi retineant, quia quoad ea creditores eſſent irrationabiliter inuiti. Similitérque dimitti poteſt reſtitutio per debitorem, ſi ex reſtitutione ei immineat corporis, aut etiam vitæ detrimentum, vt notant Nauarra l. 2. de reſtit. c. 4. num. 405. & Leſſ. l. de iuſt. c. 11. à num. 86. qui ibid. c. 16. num. 20. exiſtimat, debitorem pari graui neceſſitate cum creditore laborantem ratione morbi, famis, nuditatis, non teneri reſtituere; ſiue debitum ſit ortum ex furto ſimilíve delicto, ſiue ſit ortum ex contractu: dummodò debitor non coniecerit creditorem in eam grauem neceſſitatem, ſed caſu aliunde in eam inciderit. Non ſolùm enim in pari extrema neceſſitate debitoris, (quanquam ne hanc quidem excipit Lorca 2. 2. diſp. 38. de charit. num. 11. reiectus ab Ægidio ibid. n. 171.) ſed etiam in graui, videtur melior eſſe conditio poſſidentis, qui creditorem ſuum in parem grauem neceſſitatem non coniecerit. Hæc igitur quæ de debitore reſpectu creditorum traduntur à Doctoribus, annuentibus vt is aliqua ſibi bona retineat nec reſtituat; æquè valent pro vxore & liberis, qui cum debitore cenſentur vna & eadem perſona Nam idcirco DD. quæ de excuſatione à reſtitutione ob grauem aut extremam neceſſitatem propriam, aſſerunt; extendi ſimiliter volunt ad neceſſitatem ſimilem vxoris ac liberorum; eo quod tam arcta coniunctio quæ marito aut patri cum perſonis illis intercedit, efficiat vt iuſtè tantam neceſſitatem præferre poſſint obligationi reſtituendi, qua aſtringuntur creditoribus, in eo euentu in quo propria ex-

 trema

trema aut grauis neceſſitas à reſtituendo excuſaret. Sicut igitur in tali euentu pater aut maritus debitor, poſſet tali filiorum vel vxoris neceſſitati conſulere, non reſtituendo creditoribus quæ eis alioqui debet; ita iidem liberi & vxor, ex patris vel cōiugis facultatibus tantundem ſibi retinentes in eo articulo neceſſitatis, non peccabunt: atque adeò non percellentur excommunicatione aduerſus non reſtituentes ad creditorum inſtantiam vibrata.

Idem proportione ſeruata ſtatuendum eſt de bonis mariti aut patris, ab vxore aut filiis poſt delictum mariti vel patris occultatis in fraudem fiſci. Ex quo enim maritus ille aut pater excidit ſuorum bonorum dominio, factáque eſt tranſlatio eius in fiſcum, non poſſunt bona illa ab vxore aut liberis retineri abſque graui culpa, & obnoxietate ad cenſuram contrahendam ſi in eorum detentores feratur, niſi eſſent qualia iam circa creditores excepimus. Tranſlatio autem dominij bonorū hominis noxij ad fiſcum, quādoque fit ipſo facto, ita vt ad ſummū neceſſe ſit interponi ſentētiā declaratoriā criminis: (eam enim ſaltē ſententiam exigi, mitior ſententia fert, quam latè confirmat Sanchez l.2.in decal.c.22.à n.3.) quādoque autē vt tranſlatio illa dominij fiat, exigitur ſentētia condēnatoria. Igitur pro varietate delictorum quibus hæc aut illa bonorum confiſcatio eſt adiuncta, (de qua varietate pronunciare Iuriſperitorum eſt,) variè quoque in hoc puncto eſt reſpondendum; & ſtatuendum an vxor & filij occultantes bona mariti aut patris bonis ſuis ob delictum aliquód excidentis, ligentur monitorio indicente reſtitutionem eorum patris aut mariti bonorum, quæ differant ab iis quorum retentionem hiſce

perſonis

perſonis circa creditores conceſſimus. Nomine porrò bonorum, veniunt etiam debita. Vnde vt Molina benè aduertit tract.2.de iuſt.diſp.741.num.7.Si contingat tempore latæ ſententiæ confiſcationis,deberi aliquid reo ſoluendum in futurum,debitor tenetur eam fiſco ſoluere, non reo qui iure in bona ſua excidiſſe ſupponitur. Si tamen debitum caderet in aliquid certum in indiuiduo,idque per ignorãtiam inuincibilem debitoris, traderetur reo eiúſve hæredibus, nulla ſupereſſet obligatio quicquam fiſco reſtituendi;ſiue ex parte rei acceptæ, quæ vltra non extat apud debitorem, ſiue ex parte iniuſtæ acceptionis, quam inuincibilis ignorantia exclůſit. Quamuis enim verè non fuiſſet res illa reo eiúſve hæredibus tradenda, tamen ſine peccato (vt ſupponimus,) tradita eſt. Quare ſi monitorium edicat omnia rei bona reſtitui, debitor ad nihil tenebitur, niſi ad curandum quantum commodè & abſque ſuo damno poterit, vt ij quibus per errorem inuincibilem ſoluit,fiſco reſtituant.Iſti verò ligabuntur tali monitorio, & obſtringentur ad eam rem fiſco reddendam, poſtquam adhibitæ fuerint ſolemnitates iure præſcriptæ, vt reus bonorum ſuorum dominio planè excidat.

QVÆSITVM XIV.

Num donatarius vel emptor,præſertim fiduciarij, ligentur monitorio ad finem reſtitutionis bonorum ſic donatorum vel emptorum ab obærato.

RESpondeo 1. quoad donatarium vel emptorem non fiduciarios, aliquando prædictum monitorium eos ligare,aliquando non ligare,prout videlicet

rem quam ab obærato habuerunt, fecere aut non fecere ſuam abſque obligatione reſtituendi. Et donatarium quidem, omnes fatentur validè & ſine reſtituendi obligatione accipere ab obærato, dummodò obæratus maneat aliunde potẽs ad ſatisfaciendũ creditoribus: ſi verò oberatus, dando fiat impotens ad ſatisfaciendũ creditoribus; ſi quidẽ donatio fiat per quãcunque vltimam voluntatem, nulla eſt, & donatarius obligatur ad reſtitutionẽ, vt colligitur ex l. *quod antẽ*, ff. quæ in fraud. cred. & ex l. vlt. C. *de iure deliber.* Quia enim per mortem ſucciditur ſpes omnis aliquid poſtea acquirendi quo poſſit ſatisfieri creditoribus, meritò iura talem acceptionem eſſe reſtitutioni obnoxiam voluerunt. Inanis præterea eſt donatio quam obærati impotentia conſequitur, cùm donatarius, mala fide, id eſt præſcius impotentiæ inde ſecuturæ, inducit obæratum ad ſibi donandum: dummodò ea inductio ſit cauſa impotentiæ, quod non contingeret, ſi obæratus ea eſſet induſtria vt facilè poſſet tantundem lucrifacere: vel ſi iam antè firmiter ſtatuiſſet non ſoluere. Quandiu enim obæratus eam voluntatem retineret, donatarius tametſi eum induxiſſet ad ſibi dandum, non eſſet cauſa damni obuenientis creditoribus. Si autem abſit inductio quæ ſit cauſa impotentiæ conſequentis, vel donatarius bona fide rem ab obærato acceperit, & ante bonæ fidei ſolutionem ita diſtraxerit, vt non ſit ex ea factus locupletior; tunc donatarius ad nihil tenetur creditoribus, nec acceptio eſt obnoxia reſtitutioni. Quinetiam ſi per inductionem accepit & res apud ipſum ſuperſtes eſt, obæratus autem mutet malum non ſoluendi animum qui donandi cauſa fuerit, neceſſe eſt donatarium paratum

ſemper

ſemper eſſe ad rem ſic acceptam,à ſe abdicandam, ne ſit cauſa damni creditorum. Et idem erit, ſi cenſuerit bona obærati fore vendicanda à creditoribus autoritate publica; ſic enim accipiendo, fieret cauſa damni creditorum, quatenus minùs reperient in bonis obærati. His verò euentibus ſecluſis,is quoque qui accepit per inductionem ſuppoſita anteriore voluntate obærati de non ſoluendo, acciperet, abſque obligatione reſtituendi. Ita habent Mol.tract.2. de iuſt. diſp.328. *ſub finem*, Petrus à Nauarra l.3.de reſtit.c.4.num.218. & Leſſ.l.de iuſt.cap.20.dub.19.refragante tamen Rebello 2.p. l.1.q.7. num.22. qui donatarium conſcium impotentiæ in debitore conſequentis ad ſatisfaciendum creditoribus,negat rem abſolutè ſuam facere,& obligat ad reſtitutionem. Verùm ſententia quam propoſuimus, eſt ſatis probabilis & tuta. Vnde qui ad eum modum accepiſſet ab obærato, non ligaretur monitorio indicente reſtitui res obærati. Contrarium verò eſt dicendum de eo qui habuit aliquid per donationem ab obærato cum reſtituendi obligatione,in euentibus ſupra recenſitis; quia licet non inficiemur tranſlatum tunc fuiſſe dominium rei donatæ, nulla (vt ſupponimus) ſpeciali hypotheca vinculatæ creditoribus, nec iiſdem in pignus datæ; tamen cum ſit contracta obligatio ad reſtitutionem, perinde eſt ad rem præſentem vt quis rem acceptam,vel quia ipſa in indiuiduo creditoribus obſtricta non erat,eius ſaltem æſtimationem ac valorem exhibere creditoribus teneatur, quia nomine bonorum debitoris veniunt etiam debita. In præſenti autem negotio, donatarius contraxit debitum reſtituendi obærato res ſuas, vt habeat vnde creditoribus quibus obſtringitur poſſit

ea ſaltem ex parte ſatisfacere. Et perinde eſt, ſi propter adiuncta & circunſtantias, ſit obligatio reſtituendi creditoribus perſonam & locum obærati tenentibus.

Iam verò qui titulo venditionis alióve oneroſo, acceperunt res obærati inde facti impotentis ad ſatisfaciendum creditoribus, ſi quidem conſcij non fuere conſecuturæ impotentiæ cum contraherent, licitè & ſine reſtitutionis obligatione acceperunt res obærati, iuxta communem ſententiam qua huiuſmodi contractus cum obæratis habentur validi. Tradunt eam Nauarrus in ſumma c. 17. num. 271. Couar. 3. var. c. 3. n. 6. Rebellus 2. p. l. 3. q. 7. num. 12. adducens in eam rem pleroſque alios. Si autem qui huiuſmodi titulis oneroſis acceperunt res obærati, ſupponantur inter celebrandum contractum fuiſſe conſcij impotentiæ in obærato conſecuturæ, tunc Rebellus ibid. num. 14. & l. 8. q. 16. ſ. 3. eos obligat ad reſtitutionem. Sed alia ſententia quam circa donatarium vidimus eſſe idoneorum autorum, emptorem malæ fidei, vel qui ſimili titulo oneroſo res obærati habuerit conſcius impotentiæ in eo ſecuturæ, dummodò abfuerit inductio, liberat obligatione ad reſtitutionem: Eſtque ea ſententia ſatis probabilis & ſecura. Neque enim verum eſt quod Rebellus opponit vt eũ reſtitutioni obnoxium ſtatuat; nimirum quod emptor malæ fidei, & cooperetur peccato obærati, vltrò ſe impotentem reddentis ad reſtituendum, & admittat iniuriam erga creditores impediendo debitam illis ſolutionem. Neutrum inquam, verum eſt: cum emptor nullo modo concauſet iniuſtitiam quam obæratus admittit; nec ſolutioni obſtet, ſed tantùm vertat in ſuum commodum,

culpam

culpam quam obæratus ex ſe concepit ac peperit. Generi tamen mala fide & in creditorum fraudem, à ſocero obærato dotem accipientis, diſpar eſt ratio, tametſi is titulus ex parte generi, (non autem filiæ), eſt onerosus. Diſparitatis cauſam profert Molina d. 330. *in fine*, & Bonac. diſput. 1. de reſtitut. q. 8. p. 2. num. 28. Cæteri igitur quotquot res obærati ſic accipiunt titulo oneroſo, non ignorantes ſecuturam in eo impotentiam ad ſoluendum creditoribus, immunes ſunt à monitorio indicente reſtitutionem bonorum obærati in gratiam creditorum.

Reſpondeo 2. quoad donatarium & emptorem fiduciarios, verè eos ligari monitorio reſtitutionem bonorum obærati mandante, per ſe loquendo: hoc eſt, niſi ratione infamiæ qua idcirco ſint reſpergendi, aliámve extrinſecam ob cauſam excuſentur, vt notauit Auila 2. p. diſp. 5. dub. 2. concluſ. 2. Per ſe autem loquẽdo, fiduciarios iſtos obligari exhibere res ſic acceptas, alioqui incurrere latam in monitorio excommunicationem, rectè pronunciat Rebellus 2. p. l. 3. q. 7. n. 28. & Bonac. adducens alios tract. 6. ex variis p. 1. §. 6. num. 7. & Iacobus de Graſſis p. 1. deciſ. l. 4. c. 8. num. 15. qui profert exemplum nuperum mercatoris, qui cum omnibus creditoribus ſatisfacere nõ poſſet, mille ducatos quos habebat, vxori commiſit ea lege, vt ſi poſtea ſententia excommunicationis vibraretur contra occultatores bonorum ipſius; ex tunc, ſiue ex puncto commiſſorum vxori ducatorum, vellet eos per donationem pertinere ad vxorem: ſin minùs, ſaluum ſemper eſſet mercatori eorum dominium. Potuiſſet autem alia fiduciariæ donationis ratio iniri, ſi ſumma illa, ita fuiſſet vxori donata, vt ſoluto periculo vxor

obligaſſet ſe ad eam refundendam marito. Vtrouis autem modo peragatur ea fiduciaria commiſſio, certum eſt interuenire in ea commiſſione nequitiam, & acceptionem eſſe reſtitutioni obnoxiam: quia bona illa quæ quis ad eum modum, vel dono, vel emptione, aliòve honeſto titulo accipit in cõfidentiam, cum ſcelere obærati ad quod fiduciarius accipiens cooperatur, transferuntur ad alium: nec rarò deeſt verus donandi aut vendendi animus, vt ſatis indicat ſimulatio interpoſita. Et quanquam metaphyſicè ac ſpeculatiuè rem ſpectando, poſſit interuenire verus animus transferendi dominium, tamen ob vtriuſque cooperationem ad iniuſtitiam erga creditores, acceptio iniuſta eſt, & cum obligatione ad reſtitutionem. Itaque lato monitorio ad finem reſtitutionis bonorum obærati, iniicitur obligatio ea exhibendi & faciendi creditores indemnes.

QVÆSITVM XV.

Quatenus monitorium vrgere poſſit ad reſtitutionem ſcripturarum.

RESpondeo vrgere, ſi retentio ſcripturarum, ſaltem poſt latum de eis reſtituendis præceptum, ſit peccatum mortale. Suppono, praxim frequentem explorandi penes quem ſint ſcripturæ alicui neceſſariæ adhibito monitorio, non modò poſſe iuſtam eſſe, ſed etiam vſquequaque licitam, quicquid in contrarium ſignificet Soto in 4.d.22.q.1.artic.2. caſu 3. vbi ait,

ait, id nec moris priſci eſſe, nec rem fortè legitimam, ſed humanam auaritiam, bonorũ temporaliũ quaſi idolorum cultricem, tales cenſuras adinueniſſe. Hoc Soto verè diceret, ſi quis per monitorium ad prodendas ſcripturas vrgeretur abſque neceſſitate, aut pro rebus exigui momenti. Si tamen adſint quæ generaliter requiruntur, vt monitorium pro temporali cauſa feratur, non plus vſus ille improbari tanquam illicitus, aut auaritiæ tribui poteſt, quàm cum monitorium fertur pro aliarum rerum temporalium reſtitutione. Et ita omnes, præter Sotum, ſentiunt.

Honeſtate igitur vſus prædicti ſuppoſita, dico, ſi retentio ſcripturarum quarum reſtitutio per monitorium indicitur, contineat mortale peccatum, tunc monitorium vrgere, & ligare non edentem eas ſcripturas. Mortalis autem eſt retentio ſcripturæ per ſe loquendo, ſi quis apud ſe habeat ſcripturam alienam, cuius dominium vel vſus ſpectet ad partem quę monitorium exorauit. Tunc enim ſine dubio monitorium æquè ligat, ac ſi ferretur de alia quapiam re aliena: quia tunc æquè eſt obligatio Iuſtitiæ ad ſcripturam vltrò exhibendam, ac ad exhibendum quiduis aliud alienum quod penes te ſit. Eſtque hæc obligatio anterior præcepto Iudicis, vt notauit Syluester v. *Falſarius*, q. 3. rectè addens, inde ſequi obligationem reſtituendi damna ſecuta ex ea ſcripturarum alienarum detentione. Neque dicas, neminem teneri teſtificari ante præceptum Iudicis, atque adeò neque teneri ante Iudicis præceptum edere ſcripturas, quarum editio teſtificatio quædam eſt. Quamuis enim verum ſit, ſcripturam aliqua ex parte conuenire cum teſtificatione, cui vltrò exhibendæ nemo ex Iu-
ſtitia

ſtitia aſtringitur: tamen valdè etiam diſcrepant, vt Suarez rectè notauit t.5.3.p.d.20. ſ.3.num. 3. nominatímque, quia ſcriptura cum ſit res permanens, eſt idoneum alieni dominij obiectum, non item teſtificatio noſtra, qua proinde, ſaltem ſi abſit præceptum, ſuperſedere poſſumus abſque iniuſtitia. Scriptura ergo cum ſupponatur eſſe aliena, non poteſt per ſe loquendo negari domino abſque iniuſtitia, vnde ſi monitorium præcipiat eam reſtitui, ligabit poſſidentem niſi eam reſtituat.

Quin etiam quoad ſcripturas proprias quas ferè ex ſola graui obligatione charitatis tenetur quis exhibere, æquè poſſet ad id præſtandum vrgeri per monitorium. Sicut etiam, cum quis per charitatis leges grauiter vrgetur ad teſtificandum, (vt ſi abſque periculo & damno ſuo graue alienum malum ſua teſtificatione poſſit auertere:) fas eſt Prælato, intentata excommunicatione eum vrgere ad teſtificandum. Similiter igitur etiamſi retentio ſcripturæ eſſet lethifera contra ſolam charitatem, quia ſcriptura tametſi poſſidentis propria, continet tamen alienum titulum aut ius, potéſtque ſine poſſidentis incommodo exhiberi, celaretur autem cum graui proximi damno; nihil vetaret ſcripturæ illiús poſſeſſorem vrgeri per monitorium ad eam prodendam, quia tunc eius retentio eſſet mortalis contra charitatem. Et quoad has poſſidentis proprias ſcripturas, maximè valet quod aiebam monitorium de ſcripturis prodendis ligare, ſi earum ſuppreſſio ſaltem poſt interpoſitum de eis prodendis præceptum, ſit mortalis. Ratio eſt, quia interdum cenſura adiungitur præcepto de re quæ ex ſe liberè fieri aut omitti abſque noxa poterat: Non enim cen-

ſura

ſura ſemper fertur ad anterioris culpæ emundationem, vel ad roborandam obligationem naturalem ad præſtandum aliquid; ſed poteſt etiam imponi nouum præceptum ex quo peculiaris & noua obligatio exurgat, cui explendæ excommunicatio compellens rectè adiungatur, vt benè aſſerit Gutierres l. 1. qq. Can. c. 7. à num. 31. & Suarez t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 1. Sicut ſæpè aliquis niſi vocetur non tenebitur teſtificari, ad quod tamen obligari poterit præcepto & aduocatione per Iudicem. Si igitur in aliquo euentu, patefactio propriarum ſcripturarum ad alterius leuamen, non eſſet ex ſe mortalis, & tamen mandaretur à Superiore, eo quod ea via appareret commoda ad indemnitatem tertij, aliúdve bonum conſequendum; præceptum autem ſic latum muniretur excommunicatione lata in talium ſcripturarum occultatores, excommunicatio per ſe loquendo ligaret, vt cum multis tradit Auila 2. p. c. 5. diſp. 4. dub. 1. concluſ. 3. quia ea petitio ſcripturarum, eſt quaſi quædam vocatio ad teſtificandum: quemadmodum ſcriptura eſt mutum teſtimonium de re quam exaratam continet: vnde in iure, ſcriptura venit appellatione teſtium, vt liquet ex cap. *peruenit*, de teſt. cogen.

Porrò & quoad alienas ſcripturas, & quoad proprias, cũ ex charitate vel vi præcepti poſitiui monitorio conſerti prodendę ſunt; aiebam obligationem eas prodendi exurgere per ſe loquendo; quia per accidens poteſt contingere, vt omnis illa obligatio elidatur, & monitorium non liget. V. g. tantum poteſt eſſe periculum diſpendij famæ, aut bonorum, vel etiã vitæ quod alicui imminet ex redditione ſcripturarum alienarum, vt non teneatur eas reddere, quod rectè

cenſuit Tolerus l.1. inſtruct. c.9.n.7. Sayrus in claui l.12.c.20.num. 32. & cum aliis Auila 2.p.c. 5. diſp.4. dub.1.Et ratio ſuffragatur. Neque enim ſemper adigimur cum noſtro graui damno eiúſve periculo,reddere quod ſuum eſt domino non æquè grauando ex retentione: quod æquè valet circa ſcripturas,ac circa res alias. Ac proinde ſi poſito eo graui incommodo noſtro,iuberemur intentata excommunicatione reddere alteri ſuas ſcripturas, monitorium non ligaret. Hoc autem multo magis valebit,ſi ſcripturæ ſint propriæ,& non agatur de bono communi,ſed tantùm de incommodo tertij qui ſit priuata perſona.Sicut enim in eo euentu,mandatum Iudicis ſæcularis impoſitum perſonæ manifeſtæ ac certæ, eam non obligaret ad tantum damnum ſuarum ſcripturarum exhibitione ſibi creandum: Ita Iudex Eccleſiaſticus, qui generali præcepto monitoriis conſerto, non plus poteſt circa perſonas occultas, quàm Iudex ſecularis ſpeciali præcepto circa manifeſtas, non poteſt per monitorium obligare in eo euentu ad exhibendas tales ſcripturas, vt fert communis ſententia rectè conſtituta à Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.3.num.9.

Prætermiſi vulgarem nec paucis probatam diſtinctionem, ſcripturarum publicarum & priuatarum. Sunt enim qui ſcripturas publicas, quæ ſcilicet continent acta cauſæ in iudicio, vt interrogationes,reſponſiones,& alia huiuſmodi in iudicio facta,manifeſtandas à reo ſtatuunt vi monitorij de ſcripturis edendis lati;non item proprias, quæ ſolùm pertinent ad iura rei, & numerantur in eius bonis, tametſi in illis ſcripturis aliqua habeantur quæ actori faueant,& faciant pro iure illius. Ita Sayrus in claui l. 12. c.20. num.30.

Bar boſa.

Barboſa de poteſt.Epiſc.allegat.96.num 50. Lazarius ſ.3.q.1.num.3. & 6. Graffis 1.p.deciſ. l.4.c.8.num.24. Ego tamen, ſiue per ſe, ſiue per accidens vt ſupra dictum eſt, rem ſpectemus; eodem modo de vtriſque ſcripturis pronuncio: & vtraſque exhiberi aut patefieri debere ſtatuo, ſi nihil ſit quod excuſet à graui eas prodendi obligatione quam monitorium infert, ſupponítve. Aut certè vtraſque retineri poſſe & non prodi, ſi is penes quem latent, aut vbi ſint, cognouit, grauiter ſibi earum patefactione incommodandum non dubitet. Is tamen qui ſcripturas alienas per fraudem obtinuit, & idcirco tantùm eas ſupprimit ne ingens damnum ſubeat, poſtea depulſo periculo iuxta Auilam 2.p.c.5.diſp.4.dub.1.vel potiùs cum primùm poteſt, tenetur arbitrio boni viri reſarcire creditoribus damna per ſcripturarum illarum ſuppreſſionem conſecuta; quandoquidem damnorum illorum cauſa fuit, captando commodum ſuum & indemnitatem ab ingruenti malo.

Concludo igitur, tunc tantùm eſſe obligationem exhibendi vel prodendi quaſcunque ſcripturas, cum earum ſuppreſſio aut retentio erit mortalis. Qualis non erit, cum magnum damnum mihi imminebit, quod meritò præferri debeat incommodo alterius, conſecuturo ſuppreſſionem ſcripturæ à me factam: vel certè cum Iudex Eccleſiaſticus, abſque alia cauſa volet me adigere ad proferenda mea inſtrumenta in fauorem tertij qui mihi aduerſetur. Ei quippe præcepto, ſine noxa & impune non obtemperari, latè tradunt Panorm. Decius, & alij ad cap.1. de probat. Neceſſe præterea eſt, vt quis monitorio de prodendis ſcripturis verè ligetur, poſſe ab eo prodi ſcripturas

quæ poſcuntur. Nam qui tantùm haberet earum tranſumptum non authenticum, nequaquam vrgeretur monitorio de tali ſcriptura prodenda, quam liquet longè differre à tranſumpto non authentico, cuius vix vllus eſt in iudicio vſus. Legeſis Couarruuiam in qq. pract. c. 21.

QVÆSITVM XVI.

Libérne ſit à monitorio, qui rem alienam reſtituendam commiſit infideli internuncio, retinenti eam ſibi.

RESpondeo, ſi ipſe reſtituens, internunciũ illũ delegerit, ad reſtituendum autẽ obligatus fuerit ob iniuſtam acceptionem, vel ob rem in ſuum duntaxat commodum acceptam; non eſt liber, ſed æquè tenetur reſtituere ac ſi nihil ei commiſiſſet: ideóque incidet in excommunicationem monitorio illatam, ſi reſciuerit infidelitatem internuncij, & non reſtituerit. Ita Nauar. in ſumma cap. 17. num. 67. & Naldus v. *excommunicatio*, num. 19. Et ratio eſt, quia quando debitor non ex commiſſione creditoris, ſed ſuamet voluntate eligit internuncium per quem reſtituat aliquid functionem recipiens quod in vtilitatem ſuam acceperat, ſi hoc quod acceperat pereat priuſquàm reipſa deueniat in manus veri domini, perit debitori non creditori, vt cum permultis docet Sayrus in Claui lib. 10. tract. 5. c. 9. num. 7. Hoc autem in euentu propoſito cernitur. Igitur fur qui rem alienam furto ſubduxerat,

ſubduxerat, & eam internuncio infideli reddendam commiſerat, adhuc obſtringitur creditori, non minus quàm ſi fur eam rapuiſſet ipſi debitori cum iam eam ſepoſuiſſet ad reſtituendum. Ac proinde tempeſtiuè admonitus de ſui internuncij infidelitate, priuſquam elapſus ſit terminus in monitorio præfixus, tenetur reſtituere, alioqui innodabitur excommunicatione. Quod ſi tantùm poſt elapſum terminum agnoſcat infidelitatem internuncij, tenebitur illico reſtituere ſi poſſit, quia præceptum adhuc pendet, vt diximus cap. 1. ad quæſitum 14. non tamen incidit in excommunicationem, niſi quando poſt ſolutam bonam fidem & compertá internuncij fraudem ſtatuit non reſtituere.

Sed quid ſi is qui ad reſtituendum aſtringebatur, neglexerit parere monitorio; poſtmodum verò facti pœnitens, adhibeat pro reſtitutionis internuncio Confeſſarium, eique committat ſummam reſtituendam vt ad læſum illam deferat: Confeſſarius autem reum quidem abſoluat ab excommunicatione quam incurrerat, poſtea tamen nihil reſtituat læſo vt ſe facturum receperat; num pœnités ſic deluſus & poſtea non reſtituens, liber erit à cenſura monitorij ob præiacentem abſolutionem; quam ſuppono fuiſſe abſolutè collatam, & non ad reincidentiam? Petrus à Nauarra l. 4. de reſtitut. c. 5. dub. 1. num. 19. & Sayrus in Claui lib. 10. tract. 5. c. 9. num. 9. aiunt, huiuſmodi pœnitentem ſi renuat denuò ſoluere, poſſe quidem iterũ excõmunicari; ſi tamen Iudex fuerat, liberũ manere ab excommunicatione. Sicut excommunicatio reſeruata tollitur per tempus Iubilæi ſub certis conditionibus, quas ſi quis bona fide ſe impleturum pollicitus eſt cum abſolutionem obtinuit, verè manet abſolu-

tus, quamuis poſtea mutato animo nolit exequi quæ ſe executurum receperat, vt rectè affirmat Suarez t. 5. 3. p. d. 7. ſ. 5. num. 35. Subſcribo huic doctrinæ, ſi agatur de excommunicatione quam debitor elapſo termino præfixo incurrerat ob neglectam reſtitutionem imperatam. At falſum eſt, pœnitentem prorſus liberum manere à monitorio, ni Iudex denuò intorqueat excommunicationem. Quantumvis enim ſileat Iudex, quia tamen vt ſupponimus, præceptum adhuc pendet, non dubito quin reus iteratò incidat in excommunicationem. Nam præceptum reſtituendi ritè latum ſub excommunicatione, & debitori tempeſtiuè conſcio perſpectum, non aliter ſe habet ad eum pro tempore quo ſoluta eſt bona fides, & comperta internuncij infidelitas, quàm ſi toto tempore anteriore fuiſſet ob impotentiam excuſatus, poſtea autem fieret potens. Sicut ergo tunc, vis monitorij ſopita reuiuiſceret, & excommunicationem non reſtituenti inferret; ita etiam in re præſenti. Quare cum primùm debitor poſt elapſum terminum fit conſcius infidelitatis Confeſſarij, ſi præceptum pendet adhuc, id eſt ſi Iudex adhuc eſt Iudex, nec vis præcepti aliquo ex capite euiguit, eo ipſo ligatur monitorio, eiúſque cenſura irretitur niſi reſtituat, quantumuis Iudex nihil de nouo ſciſcat. Nec eſt ſimile de cenſura reſeruata, & ſublata per tempus Iubilæi. Hæc enim non incurritur denuò ſi Iudex ſileat, quia præceptum ob cuius violationem lata eſt, non pendet vltra; vel quia non ampliùs violatur præceptum, ob cuius infractionem contracta fuerat excommunicatio: Quæ omnia ſecus habent in re præſenti.

QVÆ

QVÆSITVM XVII.

Quomodo facienda reſtitutio vi monitorij.

RESpondeo, ſpectata vi monitorij, reſtitutionem ſic eſſe faciendam vt ius eius in cuius gratiam latum eſt monitorium, maneat illæſum, non tamen vltra quàm fert monitorium; ſed ſi quid præterea reſtituendum ſit occaſione rei detentæ, ſpectato iure naturæ, nec reſtituatur, non idcirco incurratur cenſura monitorio adiuncta. Item ſic facienda eſt reſtitutio, vt debitorem ſeſe prodere cum reſtituit, nihil ſit neceſſe; ac plerunque etiam non expediat; ſed par ſit reſtitutionem fieri per tertium.

Quod dico, reſtituendum eſſe quantum fert monitorium, per ſe patet, & expoſitum magnam partem eſt hoc capite ad quæſitum 1. Nunc addo, ſi res ſubducta in furis poteſtate perierit, mentem Iudicis monitorium ferentis eſſe, vt reddatur illius rei æſtimatio, ſpectato ſtatu in quo fuit cum ſubducta eſt. Id porrò debitor præſtare tenetur, non tantum vi iuris naturæ, ſed etiam vi monitorij, atque adeo ſub pœna excommunicationis, quia in eo euentu, æſtimatio tenet locum rei ſubductæ, nec debitor alia ratione liberabitur à peccato cui Iudex per cenſuram mederi ſatagit. Similitérque vi monitorij reddenda erit æſtimatio rei ſingularis apud furem extantis, quæ reddi in indiuiduo nequeat iuſta de cauſa, quam ipſe quoque creditor ex charitate approbare teneatur. Ita Philiarc. de offic.ſacerd. 1.p.l.3.c.34.*ferè initio.* Præterea vi moni-

torij, ſi res ſubducta, fuerit à fure detrita, reddenda erit æſtimatio exceſſus detritionis apud dominum ſecuturæ: quia res ad deteriorem ſtatum per culpam furis deducta, non eſt illa quæ per monitorium repoſcitur: proindéque non modò iure naturæ, ſed etiam vi monitorij & ſub pœna excommunicationis, reddendus eſt exceſſus ille.

Si tamen ſupponeremus eum exceſſum non eſſe obiectum ſufficiens lethalis culpæ, tunc non vi monitorij, ſed ſolo iure naturæ ſupplendus eſſet valor rei deficiens vitio furis: ſimiliterque ſolo iure naturæ reſtituendum eſt lucrum quo fur factus eſt ditior per eam rei alienæ detritionem, quia v.g. pepercit interim propriis veſtibus. Niſi enim hæc acceſſio quæ à re principali ſeparabilis eſt, nec continetur æquiualenter in re principali deſignata, exprimatur manifeſtè in monitorio, nulla eſt obligatio ad eam reddendam vi monitorij, quamuis ius naturæ obligationem iniiciat ad eius reſtitutionem. Idem dico de expenſis notabilibus quas verus rei dominus coactus fuerit in ea quærenda & recuperanda facere. Nam quia fur fuit iniuſta talium expenſarum cauſa, dubitandum non eſt, quin fur iure naturæ ad earum reſtitutionem teneatur, vt rectè præter cæteros tradunt Rodericus 1. p. ſummæ c. 151. n. 4. & Sayrus in claui lib. 10. tract. 3. c. 1. num. 2. Nec aliter ſtatuo de fructibus, non quidem induſtriæ furis, vt quos ex ea per ludum aut negotiationem collegit, (hi enim furi cedũt,) ſed de fructibus ipſius rei furtiuæ, quos dominus percepiſſet ſi res penes eum manſiſſet. Hi quippe fructus, ſunt domino reſarciendi iure naturæ, necnon lucrum ceſſans ac damnum emergens, vt rectè ait Toletus l. 5. inſtr.

c. 21.

c.21.num.4. Verum inquam eſt, iſta omnia eſſe domino à fure reſtituenda iure naturę, quia in his omnibus læſit dominum contra Iuſtitiam. Tamen ſi monitoriũ præcisè exprimat rẽ principalẽ ſubductam, nec per illud edicatur, vt quiſquis habet aliquid Sempronio creditori debitum illud reſtituat, ſed deſignetur res certa, ſaltem veriſimiliter, vt habet formula monitoriorũ à Pio V. pręſcripta, nequaquam monitorio ligabitur debitor, etiamſi non reſtituat illa acceſſoria & adiuncta rei, quorũ nulla facta eſt expreſſio in monitorio. Nam monitorium non plus ligat quàm expreſsè ferat; iuxta vniuerſale principium, & de cenſuris & de irregularitatibus admittẽdum, quod nunquam incurrantur, niſi in iure vel ſententia ita exprimatur. Quare cum monitorium ſupponatur exprimere ſolam rem principalem occultè illuc vſque detentam, non oportet debitori negotium faceſſere à monitorio eiúſve cenſura, quoad alia debita acceſſoria non expreſſa in ſententia, quamuis debitor ad eorum quoque reſtitutionem obſtrictus ſit iure naturæ.

Addebam ad modum reſtituendi vi monitorij neceſſarium minimè referre, quod res ſubducta cuius reſtitutio per monitorium indicitur, reſtituatur ab ipſo fure. Æque enim poteſt reſtitui per alium; Et cum fur latet, expedit ſic fieri, ne ipſemet reſtituendo fruſtra ſe infamet. Itaque quærendus ei eſt fidus internuncius, qui rem domino ſine debitoris nota reſtituat: & vt plurimum, valdè ad id accommodatus eſt Confeſſarius. Quod ſi internuncius cautè & prudenter munus illud ſuum obire velit, & tranquillandæ debitoris conſcientiæ rectè conſulere, operæpretiũ erit, vt ſyngrapham reportet à creditore recipientę rem ſuam:

quod vniuerſè de reſtitutionibus per Confeſſarios factis,admonuit Petrus à Nauarra p.2.de reſtit. l. 4. c.5. num.4.& Toletus l.5.inſtruct. c.24.n.3. Eſt enim ea ratio commodiſſima ad auertendas ſuſpiciones de noua reſtituendi obligatione, ob infidelitatem Confeſſarij. Quanquam ſi ea eſſet Confeſſarij perſona, quæ videretur omni exceptione maior, ita vt eius fides nulla ratione reuocari poſſet in dubium,nihil neceſſe eſſet vel debitorem pro ſyngrapha non relata angi animo,vel Confeſſarium, (& idem eſt de quouis alio exploratiſſimæ fidei internuncio,) de eo ſuæ fidei teſtimonio reportando eſſe ſollicitum. Hæc de modo res ſubductas reſtituendi vi monitorij, dicta ſunto. Quorſum verò S. Gregorius, infamatorem quendam adegerit ad famam alienam ſuimetipſius detectione reparandam,dicemus ſequenti capite ad quæſitum 10.

QVÆSITVM XVIII.

In dubio de obligatione reſtituendi, an liget monitorium.

RESpondeo in pari cauſa non ligare, ac proinde ſine culpa omitti poſſe reſtitutionem monitorio indictam. Ratio eſt,quia Iudex Eccleſiaſticus concedens monitorium, nec intendit, nec vt intenderet, poſſet adigere quemquam vt reſtituat quod iure retinet.In dubio autem,ſi par ſit cauſa,melior eſt conditio poſſidentis,vt eſt receptiſſimum apud Iuriſperitos atque Theologos, & latiſſimè confirmant Sanchez l. 2.de Matr.diſp.41.& l.1. in decal. c.10. num.9.ac l.4.

c.1.

c.1.num.17.Vaſq.1.2.d 66.c.1.Salas 1.2.tract.8.diſp. vnica ſ.18.à n.166.Caſtro Palau tract.1.diſp.3.p.2.qui alios benè multos proferunt in eam ſententiam. Igitur in tali rerum ſtatu, monitorium latum ad finem reſtitutionis,non obligat poſſidentem,vt rem à ſe abdicet.

Aiebam tamen id valere tantùm in pari cauſa; qua ratione videmus eam regulam iuris, *melior eſt conditio poſſidentis*,limitatam fuiſſe regula 170. ff. *de reg.iuris*, & regula 65. in 6.eodem titulo. Nam v.g.ſi quis dubitaret an ſoluiſſet debitum certum, non ſatisfaceret retinens ſolutionem nixus poſſeſſione ſua; quia non eſſet vtrinque par cauſa: Neque enim debito certo, æqualis eſt dubia ſolutio. At iuſtitia æqualitatem depoſcit.Itaque vt conditio ob poſſeſſionem ſit melior, nec poſſidens de iure ſuo dubius vrgeatur monitorio reſtitutionem mandante, neceſſe eſt, vt cum ipſe dubitet an res quam poſſidet ſit ipſi propria an aliena,& vtrinque ſit dubium, ipſe tamen ex alia parte poſſideat.Qua ratione ius eius eſt duplex. Nam & potitur iure certo poſſeſſionis, & habet inſuper ius dubium proprietatis, cum tamen alius iure duntaxat proprietatis dubio potiatur. Æquum autem eſt,vt ius duplex ſuperet ius vnicum. Idque etiam in foro externo ratum habetur,vt conſtat ex l.1.C.*de condit.inſtr.*

CAPVT III.

Vires Monitorij ad extorquendam reuelationem.

HIc eſt alter finis monitorij initio huius tractationis propoſitus, quem vt conuenienter explicemus, præmittendum in primis erit generatim, quinam vi monitorij ad reuelandum vrgeantur, qui verò ea obligatione ſint liberi. Tum ſigillatim & in particulari tractabimus obiectum, & actum, ac principium efficiens ſeu potentiam huius negotij. Obiecto continentur, cum res tum perſonæ reuelandæ. Ad actum pertinet modus reuelationis. Principium efficiens ſeu potentia, eſt perſona reuelans, & quæ ad eam ſpectant. Qua ferè methodo Ariſtoteles, potentias animæ explicandas docuit, ipſéque explicauit.

QVÆSITVM I.

Quis monitorio ad finem reuelationis, obſtrictus aut liber ſit, generatim loquendo.

Reſpondeo 1. generatim loquendo omnem illum obligari monitorio lato ad reuelandum, qui reuelare tenetur ſub graui culpa: Siue ea grauis ad reuelandum obligatio oriatur ex natura rei, ſiue præceptum poteſtatis legitimæ inducat obligationem reuelandi quæ ex natura rei non interueniſſet. Ex natura rei reuelare obligatur, quiſquis ex iuſtitiæ vel ex charitatis legibus grauiter obligatur ad ius vel bonum alienum ex manifeſtatione curandum. Ex præcepto autem legitimæ poteſtatis ille ad reuelandum obſtringitur, qui ita conſcius eſt veritatis cuius manifeſtatio intenditur, vt tamen ſemoto peculiari præcepto poſitiuo non obligaretur eam aperire. Poſſe tamen aliquando iniici ad id obligationem à legitima poteſtate ſiue laica ſiue Eccleſiaſtica, cum ex natura rei nulla intercederet obligatio, monſtratum iam ſupra eſt cap. præcedenti ad quæſitum 15. poſt Suarem t.5.3.p.d.20.ſ.1. num.4.& ſ.2. num.3. & ſect.3. num. 5.& Gutierrem l.1.qq. Can.c.7.à num.31. Alterutro igitur modo grauis reuelandi obligatio intercedat, monitorium ligat conſcium veritatis cuius detectio quæritur. Nec eſt hac in parte dubitatio vlla, cum reuelandi obligatio ex natura rei præiacet. Idem tamen ratum quoque eſſe debet, cum obligatio enaſcitur ex

legitimo præcepto poteſtatis Eccleſiaſticæ. Hæc enim pro eo ſtudio quo commune bonum curat, poteſt penſatis attentè circunſtantiis iubere, vt conſcij reuelent aliquid quod ſpectata ſola rei natura & oriunda inde obligatione tacere potuiſſent. V. g. quia longè incommodiùs poterit alia ratione haberi veritas, quamuis poſſet aliis prætereа modis ad eius cubilia perueniri. In quo euentu obligatio reuelandi, ſimilis eſt ei qua interdum teſtis ex ſolo Iudicis præcepto ad teſtificandum obligatur, quamuis ſemoto præcepto non obligaretur. Intelligetur porrò ſuperior, nouam & ex natura rei non præiacentem obligationem inducere, ſi in verbis edicti reuelationem mandantis, nulla fiat mentio peccati iam admiſſi per eos quos Iudex præcepto ſuo vrget ad reuelandum. Vt ſi non dicat ſe agere contra eos qui abſque timore Dei & contra conſcientiam celant aliquid, ſed abſolutè præcipiat rei alicuius detectionem. Sic igitur res habet generatim loquendo, quoad eos qui monitorio ad finem reuelationis ligantur, niſi excuſentur interuentu alicuius è variis ab eo præcepto excuſationibus, quas poſtea perſequemur.

Reſpondeo 2. Generatim loquendo omnem illum eſſe liberum à monitorio reuelationem mandante, qui non peccat mortaliter non reuelando. Excommunicatio enim vel ſupponit peccatum mortale ex natura rei contrahendum per conſcios ſi veritatem tegant; vel ſupponit peccatum mortale prius natura contrahendum per inobedientiam qua quis aduerſus legitimum præceptum reuelationem indicens obdureſcit, & parêre recuſat. Priùs namque natura eſt, inquinari graui peccato per eam inobedientiam, quàm in

in eius pœnam percelli cenſura. Quiſquis ergo idoneam aliquam ob cauſam, abſque peccato mortali ſilet de re, cuius reuelatio per monitorium indicitur, immunis eſt à monitorio & conſerta ei cenſura, quia ſublato mortali peccato euertitur totum excommunicationis maioris fundamentum. Et idcirco vt benè vidit Naldus v. *reuelare*, num. 1. conſultò in monitoriis ad finem reuelationis, apponi ſolent illæ particulæ, *malitioſè temeréque occultantes*, vt ſignificetur omnes eos qui ſine peccato mortali ſilent, non irretiri excommunicatione. Tales cauſas mortale peccatum præcludentes, atque adeò à reuelando excuſantes, plurimas proferemus & excutiemus inferiùs.

. Omnem porrò qui à reuelando excuſatur, poſſe ſi vrgeatur de pandendo arcano cuius eſt conſcius, non modò ſilere, ſed etiam negare ſe tale aliquid ſcire, ſubintelligendo, *vt teneatur manifeſtare*; & cum eadem ſubintellectione poſſe negationem ſuam iuramento firmare, aſſerunt Sayrus in Claui l. 12. cap. 14. num. 33. & Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 6. num. 5. cum Paludano, Henrico Gandauenſi, Adriano, Maiore, Nauarro, Corduba, Salonio, Aragonio, Petro à Nauarra, Molina, Leſſio, Banneſio, Valentia, Vaſqueſio, quorum loca ſignant. Nos idipſum prolatis autoribus multo pluribus, & longo rationum & omnis generis probationum apparatu firmauimus, in Opere de Æquiuocatione & mentalibus reſtrictionibus, contra Barneſium Anglum.

QVÆ

QVÆSITVM II.

Num culpam prorſus occultam reticens, ligetur monitorio ad reuelandum.

RESpondeo 1. ſi culpæ prorſus occultæ manifeſtatio quæratur à Iudice ad infligendam pœnam & grauandum criminoſum, tunc conſcios, regulariter & vt plurimùm non ligari monitorio reuelationem mandante. Dicitur enim culpa prorſus occulta per comparationem ad eius autorem, cum aliquis ita eam reſciuit, vt tamen nec de illa habeatur contra autorem ſemiplena probatio, nec publicus rumor aut infamia vel indicia manifeſta præceſſerint. Talem autem culpam qui euulgare conſcios iuſſerit, iniuſtè agit, regulariter loquendo & vt plurimùm; quia iniuſtè accerſit autori infamiam. Nam ordo iuris in naturæ iure fundatus, fert vt nemo iubeatur prodere niſi de crimine infamatum, vel quem ſemiplena probatio aut vrgentia indicia grauent, quod hîc non contingit; ac proinde qui mandat peccatum prorſus occultum detegi, iniuſtè præcipit regulariter loquendo. Præcepto autem iniuſto, nō paretur impune. Itaque etiamſi tali præcepto per monitorium lato quis non reuelet, nullam incurret grauem culpam; atque adeo ab excommunicatione quę neceſſariò grauem culpam ſupponit, immunis erit. Ita rectè Nauarrus ad c. *inter verba*, concluſ. 6. coroll. 47. & ſeqq. Suarez t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 3. num. 8. & Sayrus in Claui lib. 12. c. 16. num. 21. qui rectè

rectè inſuper repellit ſententiam quam tribuit Syl-ueſtro v.*correctio*,q.9.nimirum quod ſi Prælatus man-det ſub pœna excommunicationis reuelare crimen ſecretum,etſi conſcij non peccent ſilendo,ob iniuſti-tiam præcepti, tamen niſi reuelent incurrant excom-municationem quoad pœnam. Hoc facilè repellit Sayrus,ex eo quod ſententia excommunicationis ad-iuncta præcepto,non faciat præceptum iuſtum quod ex ſe iniuſtum erat. Quare crimen prorſus occultum, ſicut ſecluſo monitorio & adiuncta ei excommunica-tione non eſſet aperiendum, ita neque poſito moni-torio & cenſura.Cæterum longè alia eſt mens Sylue-ſtri, qui apertè agit de præcepto, iniuſto quidem ex parte præcipientis,tamen ſubſtantialiter iuſto & vali-do:quod genus præcepti & adiunctæ ei cenſuræ,non minùs ligat, quàm ſi ſententia ex parte Iudicis vſque-quaque nitens & iuſta eſſet. Inde ergo impugnanda eſt Sylueſtri ſententia, quod præceptum de panden-do peccato prorſus occulto, ſit ſubſtantialiter iniu-ſtum & inualidum, regulariter loquendo & vt plu-rimùm.

Semper dico, regulariter loquendo ac vt pluri-mùm,neminem ligari monitorio ad detegendum cri-men prorſus occultum cuius ſit conſcius; quia ſunt quædam peccata cum tanto communis boni periculo coniuncta,vt tametſi prorſus occulta ſint,debeant ta-men à conſciis detegi ſub graui culpa. Quod de hæ-reſi in regionibus puris,fert probabilior ſententia.Eſt enim hæreſis tantum malum, vt omni ratione proſpi-ciendum ſit, ne ſerpat in animarum certum exitium. Igitur quiſquis nouit aliquem hæreſi ſordentem ta-metſi occultiſſimum, tenetur culpam eius detegere,

vt

vt aperiatur via inquiſitioni inſtituendæ à Iudice proſpiciente ſaluti publicæ: poteritque hinc non parum frænati Magiſtrorum auribus prurientium ſollicitudo in diſſeminationem erroris. Nam vbi compererint quemcunque conſcium teneri prodere huiuſmodi culpam tametſi prorſus occultam, fient meticuloſiores, & cunctantiùs ac trepidiùs aggredientur machinationem maleficij. Ita quoad hæreſim tametſi occultiſſimam ex obligatione detegendam, ſtatuunt Suarez diſp. 20. de fide, ſ. 4. num. 7. Sanctarellus tract. de hæreſi c. 9. num. 2. Auila 2. p. c. 5. diſp. 4. dub. 3. Diana tract. de denunc. reſolut. 4. Bonac. tract. 6. ex variis p. 2. num. 2. qui idipſum valere vult quantumuis hæreſis ſit in perſona coniunctiſſima, vel quantumuis tantum crimen fuerit nobis ſub ſecreto commiſſum, de quibus adiunctis poſtea pronunciabimus. Porrò quod de hæreſi dictum eſt, ex eodem proportionaliter fundamento, de quibuſuis culpis in graue damnum publicum vergētibus eſt affirmandum. Quinetiam Sayrus in Claui lib. 12. c. 10. num. 8. affirmat quodcūque peccatum notabiliter lædens tertiam perſonam, ſi ſit in fieri ſeu aliquo modo pendens in futurum, detegendum eſſe à conſcio, etiamſi vnicus ſit; vt damno proximi proſpiciatur, nec immunem fore ab excommunicatione ad id intentata, ſi non detexerit. Si tamen crimen occultum ſit prorſus tranſactum, tunc quantumuis fuerit contra publicum bonum, Sanchez l. 6. opuſc. c. 5. dub. 5. negat illud eſſe detegendum, atque adeò iuxta eum, conſcius immunis erit à monitorio ad id lato, etiamſi ſileat. Videtur tamen poſſe hic quoque circa delicta occulta habere locum quod Valentia 2. 2. diſp. 5. q. 14 p. 1. concluſ. 1. & Sayrus cap. illo

lo 20.num.9.cenſuerunt de manifeſto delicto occulti autoris prorſus tranſacto. Cenſent enim nihilominus autorem eſſe detegendum,ne gliſcat per impunitatem talium ſcelerum copia, cum magno Reipublicæ damno.Hoc quippe incommodum,cui auertendo hi autores volunt occultum autorem delicti manifeſti tametſi iam planè tranſacti manifeſtari,non minùs vrget pro detectione peccatorum occultorum iam tranſactorum,ſi ſit veriſimile periculum ne per huius ſingularis delicti, quippe prorſus occulti, impunitatem,malum gliſcat,& alia ſimilia patrentur in dies.Eo tamen rerum ſtatu qui infrequentiſſimus eſt, ſepoſito, veriſſimum eſt quod Sanchez tradit de delicto prorſus occulto planè tranſacto. Eſt tamen id longè certius de atrocibus peccatis adhuc pendentibus in futurum, in graue tertij, vel etiam publicum damnum. Tunc enim tametſi ſint prorſus occulta & non niſi ab vno deprehenſa,ſunt ab eo detegenda, lato ad finem reuelationis monitorio,vt diximus. Neque verò quia tantùm diximus, culpam prorſus occultam eſſe detegendam, intelligimus hoc de culpa in abſtracto ſeu ſeorſim ab autore occulto. Ea namque detectio eſſet ferè inutilis ad proſpiciendum communi bono, & ſcopum mandatæ reuelationis: ſed intelligimus, & culpam & eius autorem quantumuis occultum detegi oportere, quamuis ad eum modum hîc locuti ſimus, quia directè quærimus de rerum occultarum detectione, inferiùs quæſituri directè de patefactione autoris occulti, cum crimen eſt notorium ac euidens.

Reſpondeo 2.ſi non agatur de criminis punitione, ſed de reparando damno alterius & excludendo no-

xij peccato; v.g. de reſtitutione rei furtiuæ, tunc quando debitor non excuſatur à reſtitutione, nec admonitus inducit in animum reducere omnia ad æqualitatem, tenentur qui conſcij ſunt detegere quod norunt, tametſi occultum ſit; & niſi detegant, incurrent in cenſuram monitorio intentatam. Negat hoc Fumus v. *Inquiſitio*, num.8. concluſ.5. eo quod tametſi qui conſcij ſunt, teneantur ex charitate rem aperire, tamen non poſſint ad id obligari vi monitorij, quia neſciunt iuridicè, vt excommunicans intenderet. Sed meliùs Corduba in ſumma q. 111. *ſub finem*, Soto de ſecreto membro 2.q.6. & Sanchez l.6.opuſc.c.2.dub. 14. num.6. affirmant: quia tametſi quando Iudex ex officio procedit ad inquirendum & plectendum delicta, regulariter verum ſit occulta peccata eſſe reticenda, donec ſuppetant contra reum indicia, vel ſemiplena probatio, aut infamia; & tunc qui reuelant, dici poſſint efferre quæ ſciunt iuridicè, id eſt de quibus poſſunt interrogari iuridicè; Tamen ea ſcientia reuelantium, non eſt neceſſaria cum tantùm agitur de præcludendo peccato, v. g. de reparando damno iniuſto creditoris. Quare in eo euentu aperienda eſt culpa quantumuis occulta, eo meliori modo quo aperiri poterit: id eſt non vt Iudici vltori, ſed vt patri reſtitutionem curaturo, & peccati prorogationem præcluſuro. Idipſum æquè de omnibus delictis, tametſi in damnum tertij non vergentibus affirmat Auila 2.p. c. 5.diſp.4.dub.2.concl.2. Sanè ſi ipſemet reus, cum duntaxat agitur de auertendo eius peccato abſque punitione vel grauamine, tenetur occultum ſuum peccatum non celare de quo infra q.10. quanto magis idem tenebitur præſtare alius?

QVÆSITVM III.

Ligétne monitorium, ſi ea reuelare mandet quæ probare non poſſumus.

RESpondeo, ſi quæratur de reuelatione qua conſcius vocatus præcedente accuſatione vel denunciatione teſtificetur, monitorium ligare ad reuelandum etiam quæ probare non poterit: ſi verò quæratur de reuelatione denunciante, raró monitorium ligare ad ſic reuelandum, niſi quæ conſcius probare poſſit.

Quòd etiam ea quæ probari à me non poſſunt, reuelare, hoc eſt de iis teſtificari debeam, ſi monitorium ad finem reuelationis feratur, & ſermo ſit de ſimplici reuelatione & non de denunciatione ſiue delatione, affirmat Nauar. conſ. 2. de teſtibus cogendis, & multi apud Sanctarellum tract. de hæreſi cap. 9. num. 13. & apud Bonacinam tract. 6. ex variis, p. 1. §. 4. num. 5. Et ratio eſt, quia cum denunciatio iam præceſſit, tantúmque quæruntur teſtes, & in eam rem fertur monitorium; is qui rem nouit tametſi eſt homo ſingularis, perinde ſe habet ac teſtis qui interrogatur iuridicè, quem teneri reſpondere, concors eſt Doctorum ſententia. Præterea rationes omnes quibus regulariter nemo conſcius aſtringitur denunciare quæ probare non poteſt, ceſſant pro reuelatione ſubiuncta accuſationi, ſiue pro teſtificatione, vt mox patebit rationes illas adducendo; ac proinde nihil eſt quod excuſet

conſcium, à iuſto pręcepto reuelandi ad modum prędictum, quæ probare non poteſt. Neque verò id ab eo quæritur, vt perſpicuum eſt ex diſcrimine inter teſtem & accuſatorem, cui ſoli incumbit probatio, vt notum eſt ex tractatione de Iudiciis.

Iam quod ſi nec accuſatio nec denunciatio præceſſerit, nemo teneatur denunciare quod probare non poteſt, habetur ex cap. *qualiter & quando*. 1. de accuſat. & ex cap. *Sacerdos*, de pœnitentia diſt. 6. vbi latè in hanc rem Nauarrus: ſuffragantúrque plurimi Iuriſperiti quos profert Neuizan. l. 3. ſyluæ nupt. à n. 45. itémque Ripa tract. de peſte §. vltimo à num. 124. Non habuit autem ſatis perſpectam Neuizani & citatorum ab eo Doctorum mentem Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per monitor. cogendis num. 15. cum ridiculum eſſe dixit, aſſerere teneri tantùm conſcios reuelare quę norunt, ſi ea probare poſſint vt prędicti DD. affirmarunt. Hi namque DD. hoc intelligunt de delatoribus, quos ipſemet Vitalis vltro dat non teneri denúciare niſi probare poſſint: Non agúnt autem de preſsè dictis teſtibus, quos Vitalis rectè negat excuſari à teſtificando, etiamſi probare non poſſint. At hoc DD. illi à quibus ſe diſſidere putat, nequaquam inficiantur: ſed tantùm dicunt, delatorem vel denunciatorem qui primus orditur telam iudicij, non teneri, etiamſi latum ſit monitorium ad finem reuelationis; non teneri inquam ſic reuelare, id eſt denunciare vel deferre quæ probare non poteſt. Tradunt idipſum è Theologis & Summiſtis plerique, quos adducunt Auila 2. p. cap. 5. diſp. 4. dub. 3 concluſ. 3. & 4. Sanchez l. 6. Conſil. c. 2. dub. 14. n. 10. & Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 4. num. 4. Ratio ſententiæ propoſitæ eſt,

eſt, quia crimen quod probari non poteſt, perinde ſe habet ac ſi ignoraretur;nihilque procliuius eſt, quàm vt calumniator habeatur qui ea alicui impegerit quæ probare non poſſit. Leſſius l.de Iuſt. c.29. num. 111. vrget infamiam gratis innoxio creandam à tali denunciatore. Neque enim talis denunciatio, defectu probationum, præſtabit ſubſidium in iudicio, parti quæ monitorium popoſcit. Quare planè gratis aſpergetur infamia,is qui nulla anteriùs flagrabat infamia, & inuretur ei nota de qua puniri non poterit;quò tamen ſpectat vniuerſum iudicium. Vnde cum iudicij peruerſione & violatione iuris, fieret denunciatio in eo euentu.Nec refert quod delictum fortè ſit in fieri, & in damnum tertij priuati. Nihilominus enim vt ex Soto notat Auila loco allegato, nec teneor nec poſſum iudicialiter denunciare delictum huiuſmodi, ſi illud probare non poſſum.

Obſeruat proinde Gutierres l.1.Canon.qq.cap.11. num. 22. & paſſim DD. citati, quando præcipitur in monitorio, vt qui tale delictum norunt, illud denuncient, præceptum eſſe accipiendum de iis duntaxat qui ita ſunt conſcij vt probare poſſint, ſaltem per vnum teſtem integrum ac omni exceptione maiorem,aut per ſcripturas,vel per indicia vrgentia aut infamiam.Is enim qui monitorium tulit,haud dubiè intendit rationabiliter agere quod non faceret, ſi regulariter obligare vellet ad pandenda quæ probare non potero vbi denunciauero. Quare ſi ſolus viderim furem aliqua ſubducentem, non teneor vi monitorij denunciare quod vidi; (denunciare inquam, non teſtificari,nam ad hoc vocatus,tenerer vt præmiſi:)quia præceptum de denunciando, nō eſt vt me illaqueem,

deferens quæ nullo modo probare potero:atque adeò in tali euentu non obligat. Quod ſi Iudex præciperet, vt quilibet conſcius ſiue probare queat ſiue nequeat, denunciet delictum quod nouit, audiendus non eſſet regulariter loquendo, quia tale edictum, vt Neuizanus benè notauit, contineret errorem intolerabilem.

Aiebam verò hanc doctrinam de iis non denunciandis quæ quis probare nequeat, etiamſi feratur eam in rem monitorium, valere tantùm regulariter loquendo, in raro autem aliquo euentu poſſe vi monitorij iniici obligationem denunciandi, etiam quæ probari à conſcio denunciante nequeant. Eiuſmodi in primis eſt, euentus quo agatur de matrimonij impedimentis. Vnus quippe teſtis, poteſt diſturbare totum illud negotium, ex cap. *præterea.* de ſponſal. Itaque quiſquis impedimenti conſcius fuerit, lato in eam rem monitorio, quamuis impedimentum probare nequeat, tenebitur ad eius detectionem: quod latè confirmat Gutierres l. 1. qq. Canon. cap. 11. à num. 28. Idem tradit cum aliis Bonacina tract. 6. ex variis p. 1. §. 4. extenditque etiam ad quidlibet vergens in graue communitatis detrimentum. Quod ita approbauit Diana tract. de denunc. reſolut. 1. vt omnia crimina ad tribunal S. Officij pertinentia, quamuis probari à conſcio nequeant, denunciari tamen velit lato in eam rem monitorio. Quam ſententiam viginti neotericorum Doctorum autoritate communit, ac etiam ratione. Nam hodie ex vſu recepto denuncians non aſtringitur denunciationem ſuam probare, vnde non grauabitur ipſe denunciando, etiamſi probare non poſſit. Ex alia verò parte, denunciatio tametſi ſimplex & expers probationum, ſufficit ad inquirendum. Vnde hoc

hoc ſaltem emolumentum ex ea extabit, quod excitabitur Iudicis diligentia ad inquirendum, faciléque continget per inquiſitionem ſic inſtitutam perueniri ad cubilia ſceleris, illúdque auerti, eiúſve prorogationem. Contraria tamen ſententia non deſtituitur ſuis patronis. Duodecim profert idem Diana, & addendus iiſdem eſt Fagundes tract. 2. de præcep. Eccleſ. l. 4. c. 3. num. 31. niſi quod pro ſola hæreſi formali in alteram ſententiam abit, volens eam à conſcio denunciari, quantumuis probationes non ſuppetant. Tandem ſi non ageretur de denunciatione iudiciali, ſed de ea quæ facienda eſſet vt patri, ídque ferat monitorium, non dubito quin conſcius quamuis probare nequeat, rem patefacere teneatur vi monitorij: ita vt non tantùm benè faciat denunciando, quod admittit Auila 2. p. c. 5. diſp. 4. dub. 3. concluſ. 5. ſed etiam quod ille non rectè negat, ad id teneatur: & celans quod nouit, incurrat monitorij cenſuram. Argumentum verò huius autoris, (quod ſcilicet monitorium non obliget niſi ad iudicialiter reuelandum, ad quod conſcius defectu probationum in hoc euentu non tenetur;) eſt illudmet argumentum quod quæſito præcedenti ex Fumo prolatum fuit, atque contritum.

QVÆSITVM IV.

Sintne vi monitorij reuelanda quæ fuerint ſecretò concredita.

RESpondeo 1. monitorium non poſſe obligare ad ea ſecreta reuelanda quorum detectio eſſet con-

tra ius diuinum. Nimirum iure diuino arcanum in ſacramento pœnitentiæ cõmiſſum, reuelari non poteſt aliter quàm de explicatiſſima & liberrima pœnitentis facultate. Quare apud omnes Catholicos extra omne dubium eſt, firmitatem ſigilli quo arcanum illud fuit à Chriſto obſignatum, eſſe omni ratione irreſerabilem, quocunque iubente & quidlibet intentante; ne ipſo quidem Summo Pontifice excepto, cui ſi tale quid vel ſimpliciter vel ſub quantouis anathemate præciperet, parendum non eſſet, vt benè dixit Nauarrus ad cap. *Sacerdos*, de pœnit. diſt. 6. num. 166. & excommunicationem idcirco intortam, habendam eſſe neglectui tanquam brutum fulmen, tradit D. Thomas in 4 d. 21. q. 3. art. 1. quæſtiunc. 1. ad 2. Nimirum Pontifex nihil poteſt contra Chriſti inſtitutionem qua ſacramentalis confeſſio, munimento ſigilli quacunque ex cauſa inuiolabilis, eſt firmata, quod hîc ſupponendum eſt ex tractatione de ſigillo & innumeris quos in eam rem proferunt qui hoc argumentum ex inſtituto verſarunt, nominatim Onuphrius, Malderus, & Carrocius, & per occaſionem Delrio 6. Mag. cap. 1. ſ. 2. Abſurdiſſimè verò quidam Canonum DD. aliter cenſuerunt quoad hæreſim peccatoris obdurati, quod reiicit Simanc. in Cathol. inſtit. tit. 41. num. 14. Alij Iuriſperiti apud Neuizanum l. 3. ſyluæ nupt. num. 45. non minus abſurdè cenſuerunt, Sacerdotem in negotio matrimonij, cogi per cenſuram poſſe ad laxandum huius arcani ſigillum. Vniuerſaliter verò additio ad deciſionem 856. tomi ſecundi Franciſci Marci, prolata Gloſſa & Panormitano, aſſerit Sacerdotem vi monitorij adigi ad reuelandam Epiſcopo, pœnitentis confeſſionem, clam tamen & ſecretò.

Sed

Sed hæc omnia, vt Theologos nunc prætermittam, explodunt quàm meritiſſimò ex ipſis Iuriſperitis benè multi, ac nominatim Angelus, Felinus, Albericus, & alij à Neuizano prolati loco annotato. Itémque Nauar. ad c. *ſi ſacerdos*, de pœnit. diſt. 6. num. 144. & Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. num. 50. de quorum ſententia, etiamſi Papa iubeat, excommunicatione etiam intentata, non modò Sacerdos non poteſt ſecretum ſacramentale aperire, ſed ne laicus quidem qui adhibitus ſit peragendæ Confeſſionis interpres, vt benè ait Alciat. ad c. *omnis vtriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ. n. 6. & Ludouic. Vitalis tract. de reis & teſtibus num 11. Et idem eſt de laico qui ſe Sacerdotem finxerit vel quomodolibet aliter mediatè aut immediatè (aliter tamen quam per ſchedulam peccata in confeſſione exponenda in ſubſidium memoriæ pœnitentis continentem) ad confeſſionis ſacramentalis ſecretum peruaſerit. Quod ſi teſtificari ex ea notitia quis velit, planè inualidum habendum eſſe eius teſtimonium, affirmat Felinus in c. 1. de except. & Tyndarus dialog. de teſtibus: prorſúſque ita decere, fatetur Ripa tract. de peſte, §. vltimo, num. 105. Itaque nihil monitoriis reuelationem indicentibus, & arcano confeſſionis ſacramentalis, niſi ſi pœnitens Confeſſarium velit aut etiam roget reuelare. Quod enim ne ſic quidem poſſe reuelare, tradit ex Scoto, Alenſi, ac Bonauentura, Felinus ad cap. *Matthæus*, de ſimonia, & Monchada ad Crotum de teſtibus, p. 5. num. 18. reiiciendum eſt, vt patet ex fine ſigilli.

Hic propter ſimplices, & vulgarem multorum deceptionem aduertendum eſt, arctiſſimam ſigilli propoſiti firmitatem ne monitorij quidem interpoſitio-

ne laxabilem, non competere niſi confeſſioni verè ſacramẽtali,aut expoſitioni peccati factæ animo conficiendi ſacramentum. Non dico,animo conſequendi abſolutionem peccati quod exponitur. Sæpè enim pœnitens ſatis agnoſcit ſe eſſe ad abſolutionem indiſpoſitum, & tamen intendit ſe accuſare coram Iudice conſtituto à Chriſto Domino; vt eius opera vel abſoluatur,ſi contingat illucente diuino radio mutata in melius mente concipi diſpoſitionem debitam, vel iuuetur ad bonam illam mentem concipiendam:aut vt præcepto confeſſionis ſatisfaciat,vel vt ſe in foro animæ reum ſiſtat quantum potuerit, non obſtante indiſpoſitione ſua ad abſolutionem,ſibi comperta.Omnis enim huiuſmodi expoſitio peccati,eſt inchoatiuè & reductitiè ſacramentalis, ac proinde ſigillo huius ſacramẽti obſignatur, vt rectè poſt Caietanum & Simancam cenſuit Suarez t.4.3.p.d.33.ſ.2.num.7. Aliæ tamen peccatorum expoſitiones ad Sacramentum conficiendum nullo modo ordinatæ, etiamſi Sacerdoti fierent, non ingenerant arctum illud arcanum, ne monitorij quidem interpoſitione laxabile. V. g. ſi quis facinoroſus animo ſeducendi Confeſſarium, eúmque ad maleficij ſocietatem ſecurè pertrahendi, exponeret illi peccata prætendens maleficio laruam illam ſacramentalis confeſſionis, háncque fuiſſe facinoroſi illius mentem, indubitatum & euidens fieret, non eſſet ei ſeruandum ſecretum; ſi monitorium ad finem reuelationis ferretur; vt rectè tradunt Innoc. & Abbas paſsímque cæteri ad cap. *omnis*.de pœnit. & remiſſ. necnon Nauar.ad cap. *inter verba*.concluſ. 6. coroll.58.num. 223. Et idem eſſet ſtatuendum,de eo quem conſtaret non alia mente ſtitiſſe ſe Confeſſa-

rio,

rio,quem facinoris ſui aliunde conſcium ſciret, quàm ne ab eo poſſet denunciari. Nam talis,non modò ex aliunde parta notitia, ſed ex illa ipſa quam per illud confeſſionis inane ſimulachrum præbuiſſet,detegendus eſſet lato in eam rem monitorio,vel etiam abſque eo,ſi præcluſio peccati aut damni ita poſceret, vt notat Vaſq.3.p.q.93. artic.4. dub. 7. Sed & cum aliquis, pro frequenti multorum vſu,vel ſacerdoti extra confeſſionem & abſque animo ſubiiciendi quicquam clauibus,vel laico arcanum aliquod aperit, addita proteſtatione quod velit id ab eo accipi ſub ſigillo Confeſſionis ; denunciandus nihilominus eſt,ſi ad id monitorium feratur, nec aliud ſit quod obſtet,præter proteſtationem prædictam. Neque enim verè ibi interuenit ſigillum Confeſſionis,quod ſoli confeſſioni ſacramẽtali annexum eſt. Et ita Monchada ad Crotum de teſtibus p.5. num. 19. & cum quamplurimis Sanchez l.3.de Matrim.diſp.13.num.7.Miror autem quid in mentem venerit Naldo in ſumma v. *reuelare*, num. 5.vt diceret , quamuis non interueniat ſigillum confeſſionis in ea commiſſione arcani cum proteſtatione prædicta , tamen perinde hominem arctari ad celandam rem ſic commiſſam, ac ſi in Confeſſione ſacramentali fuiſſet concredita. Hoc nullo modo verum eſt.Infinities enim arctius eſt vinculum ſecreti ſacramentalis,quàm hoc ſecretum:vt ex eo patet,quod ſecretum iſtud merè naturale poteſt ex cauſa reſerari, vt poſtea dicam : at ſigillum ſacramentale,eſt prorſus & omnimodis intemerabile, quæcunque tandem neceſſitas obtendatur,& quamuis ad id excommunicatio intentetur, vt præter ſuperiùs adductos tradunt DD. quos adducit Ripa tract. de peſte, §. vltimo, n.

119. & 120. & Aufrerius ad q. 241. Capellæ Toloſanæ.

Reſpondeo 2. monitorium non obligare ad ea arcana reuelanda quorum detectio eſſet contra ius naturæ, niſi ſi aliquando ius naturæ non obliget ad ſecreti ſic commiſſi obſeruationem. Explico. Eſſet contra ius naturale per ſe loquendo, detectio ſecreti bona fide commiſſi alicui, vt ex officio, vel pro peritia quam habet, iuuet eum qui commiſit ſecretum. Vnde qui ſecretò de re quapiam conſultus eſt; itémque Aduocatus & Procurator, quibuſcum cliens ad iuriū ſuorum tutelam negotia ſua communicat; Obſtetrices quoque clam accerſitæ ad leuandam prægnantem quam latere oporteat; Chirurgus item aut Medicus quibus morbus patefactus eſt, quem celari intereſt ægrorum; Omnes inquam hi ac ſimiles, ni velint grauis peccati labem contrahere, tenentur ſecreta habere quæ ad eum modum acceperint; etiamſi infamia de eis, aut ſemiplena probatio præceſſiſſet; & quantumuis monitorium ad finem reuelationis latum eſſet. Docent quod dixi Nauar. ad c. *inter verba* concl. 6. coroll. 66. à num. 401. Auila 2. p. c. 5. diſp. 5. dub. 2. Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 96. n. 63. & ſeqq. Sanchez l. 6. conſil. c. 2. dub. 20. num. 8. Tullius Criſpoltius de caſibus militar. in 23. Nominatímque tenendum eſſe arcanum quamuis infamia vel ſemiplena probatio præcedat, ſuperiórque rem detegi mandet, tradunt Sayrus in Claui l. 12. c. 14. num. 29. Leſſ. l. de Iuſt. c. 30. num. 45. Petrus à Nauarra l. 2. de reſtitut. c. 4. num. 222. Valent. 2. 2. diſp. 5. q. 14. p. 1. *ſub finem*, & Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 5. n. 2. Superiorem verò præcipere non poſſe, vt huiuſmodi arcana detegantur,

tur, contra ius naturale quod in prædictis euentibus altum rei ſecretò commiſſæ ſilentium indicit, docent cum aliis à ſe adductis Bartholom. Socinus volum. 4. conſilio 102. num. 3. Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. n. 47. Valentia & Bonacina locis proximè notatis. Ratio autem cur tantopere per ſe loquendo vrgeat ſecreti huius licet merè naturalis obligatio, eſt, ne præcludatur aditus ad omnia conſilia, vnde exiſteret immenſa ſeges malorum. Multóque magis intereſt Reipublicæ & communis boni, vt quæ aliis ſub ſecreto, auxilij & conſilij gratia ſunt commiſſa, maneant arcana, quàm vt interrogante ſuperiore pandantur. Neque verò duntaxat is cui res primùm ſecreto commiſſa eſt, debet ſecretum ſeruare, ſed etiam alij ad quos indebitè manaſſet ſecreti commiſſi detectio. Vnde illi quibus perfidus Conſiliarius arcanum tertij aperuiſſet, non poſſent vi monitorij adigi ad aperiendum quod ſic acceperunt: quia omnis illa notitia ortum habuit à prima manifeſtatione iniqua, ac proinde vſus eius non poteſt eſſe abſque iniuria miſeri qui infido illi Conſiliario primùm ſe aperuit, & ſecretum commiſit. Neque ſanè reuelatio facta ab iſto ſecundo ſic conſcio, vllam in iudicio faceret fidem, niſi dependenter à teſtificatione illius qui primus ſecretum infregit. At iſtum, liquet non debere reuelare rem ſibi ſub ſecreto commiſſam, nec debere ratam habere detectionem ex leuitate & cum peccato priùs factam. Igitur qui per eum factus eſt conſcius alieni negotij quod celatum interfuit, nec poteſt nec debet illud aperire, quantumuis ad id vrgeatur per monitorium. Non eſt quippe nunc nobis ſermo de complice, alióve qui præmiſſa promiſſione ſeruandi ſecreti, admiſ-

ſus

ſus eſſet vel ad iuuādum in ſcelere, vel ad illius conſpectionem cum patraretur. Hos ſiquidem, nihil (ex hoc quidem capite,) vetaret detegi. Sed ſermo nunc nobis eſt, de eo cui primùm conſilij aut opis gratia, vt malum aliquod declinaretur, commiſſum ſit arcanum, accepta ſaltem virtualiter fide ſeruandi ſecreti: cui ſtare, per ſe loquendo, eſt iuris naturæ, contra quod, monitorium vrgere non poſſe nemo non videt. Quomodo autem in his euentibus, obſeruatio ſecreti ſit de iure naturæ, fusè proſequitur Guliel. de Rubione in 4. d. 21. q. 4. concluſ. 1.

Repugnant nonnulli quoad aliqua ex prædictis. Nam Franciſcus Marcus p. 2. Deciſ. 856. cenſet ſi monitorium ad finem reuelationis feratur, amicum ab amico conſultum, & arcanorum eius conſilij gratia conſcium factum, teneri reuelare quod fuit ſecretò concreditum. Multi Iuriſperiti quos refert Neuizanus l. 3. Syluæ nupt. num. 45. idem docent quoad omnes quos retulimus. Putant enim, lato monitorio eos teneri parere, & arcanum opis licet aut conſilij gratia proditum reſerare. Subſcribit illis Neuizanus, præterquàm quoad Medicum & Aduocatum, quos n. 47. à cæteris in hac parte ſeiungit: & idcirco eum refellit Ludouicus Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſurā cogendis num. 43. contendens hos quoque lato monitorio debere arcanum euulgare, in quam rem adducit Gloſſam ſingularē, à nemine (vt ait,) ante eum animaduerſam, in l. vltimam. ff. de teſtib. verſic. *item quid ſi præſtitit.* Præterea Petrus Gregorius l. 48. ſyntag. c. 13. num. 31. & Lazarius ſ. 2. q. 16. num. 9. ſi feratur monitorium ad finem reuelationis, obligant Aduocatum & Procuratorem (niſi expreſsè per monitorium

tium ſint excepti,) ad prodenda firmamenta cauſæ clientis ſui, in fauorem eius qui monitorium impetrauit. Tandem Soto relect.de ſecreto membro 2. q. 7.concluſ.4.ſi præcedat infamia aut ſemiplena probatio,vult arcanum ſic commiſſum, iubente ſuperiore, & multo magis excommunicatione intentata,reſerari.Nihil tamen horum per ſe loquendo eſt admittendum,vt ratio prolata apertè euincit, & quoad Aduocatum rectè multis D D. prolatis confirmat A. Sola ad noua Sabaudiæ decreta tit. de tribunali compet. Gloſſa 5. num. 12.

Hæc quamuis ita ſint,aliquoties tamen dixi,per accidens interdum contingere, vt patefactio arcani ſub naturali ſecreto commiſſi, non ſit contra ius naturæ, eo quod homo ſecretum excipiens, non potuerit in quibuſdam euentibus ob incommoda conſecutura aſtringere ſe ad ſecretum:Et tunc ſi monitorium feratur ad finem reuelationis, is qui per ſecretum naturale aliquid accepit,tenebitur illud reſerare. V. g. ſi ingens omnino periculum bono publico immineat, eique poſſit proſpici detectione arcani ſub naturali ſecreto concrediti, non videtur ambigendum, quin liceat atque etiam oporteat ſecreti reſeratione tantum malum Reipublicæ impendens auertere.Idque quoad hæreſim,vt certum ſtatuit Diana tract.de denunc. reſol. 24. idem addens de eo cum quo fuiſſet communicata turpitudo Confeſſarij ad luxuriam ſollicitantis,licet in hoc exemplo Fagundez tract. 2. de Eccleſ. præcep.l.4.c.3.num.31.cenſeat ſecretum naturale eſſe ſeruandum.Quinetiam ſi contingeret graue damnum priuato cuipiam impendere ex obſeruatione arcani ſub naturali ſecreto concrediti, pandẽdum eſſe ſecre-

tum, & iniuſtum damnum tertij eſſe ea reuelatione auertendum, atque adeò niſi id fiat incurrendam eſſe monitorij in eam rem lati cenſuram, habetur ex S. Thoma 2.2.q.70.artic.1.ad 2.ſtatuitúrque à Nauarro in ſumma c.18.num.52.& à Bonacina tract.6. ex variis p.1.§.5.num.2.& à Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat.96.num. 63. qui plures ad id autores profert. Et ratio eſt,quia nemo ſibi obligationem iniicere potuit ad rem malam qualis eſſet obſeruatio ſecreti in eo euentu.Itaque conſcius grauis illius damni quod poſſet reuelatione auerti; niſi præcepto pareat,irretietur cenſura monitorij in eum finem lati, niſi ſi impenderet ei maius malum in fama ob reuelationem, quàm impendeat tertio in facultatibus, vt notat Auila 2.p. c.5.diſp.5.dub.2.concluſ.3.quanquam hæc excuſatio non eſt peculiaris huic negotio, vt eſt perſpicuum. Denique non eſſet contra ius naturale, aperire rem ſub naturali ſecreto concreditã, ſi alia ratione ſit perſpecta. Nam etiam Confeſſarius,qui ad ſecretum incomparabiliter arctiùs aſtringitur, non vetatur patefacere prudenter, illa ipſa quæ in Confeſſione accepit,ſi aliunde ea reſciuerit,vt benè monſtrat Suar.t.4. 3.p.d.33.ſ.3.num.7.& Delrio 6.mag.c.1.ſ. 2. §. *ſecundus caſus*,paſſimque cæteri. Toties ergo monitorium ligat ad reuelanda arcana ſub naturali ſecreto concredita, quoties licuerit abſque violatione iuris naturalis arctè indicentis ſecreti naturalis obſeruationem, de eis agere.

QVÆSITVM V.

Inducatúrne per monitorium obligatio aperiendi accepta à quocunque, aut quæ verè non ſcimus.

Reſpondeo, non induci. Nam ſi is à quo rem accepimus talis ſit, vt perinde videatur rem illam à nullo ac ab eo accepiſſe, fruſtra detegeretur quod ab eo acceptum fuit. Vnde cum nemo obligetur ad actum inutilem, non eſt exiſtimandum, Iudicem qui monitorium tulit, intendiſſe aſtringere ad reuelandum quod quis ea tantùm ratione compererit. Quare ſi is à quo rem accepimus, ſit perſona leuis & indigna cui fides adhibeatur, non iniicitur per monitorium obligatio rem ſic acceptam detegendi, vt rectè ſtatuit Sanchez l. 3. de matrim. diſp. 13. & alij quos profert & ſequitur Bonacin. tract. 6. ex variis p. 1. §. 4. num. 1. Similiter ſi is à quo rem accepimus, fide quidem dignus fuerit, ſed eius nomen nobis exciderit, nulla iniicitur obligatio reuelandi quod ea duntaxat ratione habemus perſpectum. Quod ſi & fide dignus eſt, & notus ex nomine, iam tamen ipſe Iudici reſerauit quæ ab eo acceperamus, inutile eſſet nouam reuelationem ſola illius aſſertione nixam iterare, proindéque non obligabimur tunc ad reuelandum, vt benè tradunt Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 63. Nauar. repetit. ad c. *inter verba*, concluſ. 6. coroll. 66. num. 392. Rodericus in ſumma 1. p. cap. 79. num. 7. & Sanchez l. 6. opuſc. mor. cap. 2. dub. 16. & paſſim cæteri, ad quorum ſententiam tandem poſt inutilem diſtinctionem reuenire cogitur

Barboſa

Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 68. Eadem ratione, ſi notitia quam comparauimus hauſta ſit ab homine nihil certum ſciente, vel quia rem tantùm acceperit ab hominibus lubricæ prorſus fidei, & nihil certò ſcientibus, reuelatio eſſet inutilis: ac proinde monitorium non ligaret eos qui rei ad eum duntaxat modum eſſent conſcij. Addit Auila 2.p.cap.5. diſp.5. dub.2. concluſ.5. non ſufficere vt denunciare teneamur, ſi is à quo rem accepimus ſit fide dignus certóque rem edoctus; ſed neceſſe inſuper eſſe, vt nobis innotuerit eſſe ea de re infamiam. Verè id quidem, regulariter loquendo. Tamen hæc limitatio non ſpectat ad caput in quo verſamur, ſed ad illud quo quæritur an probrum occultum ſit ex monitorij obligatione denunciandum. Huc potiùs ſpectat quod monet Nauarrus in ſumma cap.25. num. 49. nimirum in dubio an perſonæ à quibus rem accepimus ſint fide dignæ, & ex certa notitia locutæ, parendum eſſe monitorio, & aperiendum quod ab eis acceptum fuerit, vt proſit quantum poterit, ineatúrque via ſecurior ad declinandum fulmen excommunicationis.

Ex eodem fundamento ex quo hactenus oſtenſum eſt non iniici per monitorium obligationem reuelandi quæ ita ab aliis accepimus vt neſcire ea dicamur; ſequitur, monitorium quoque non obligare ad ea reuelanda quæ nos ipſi ita perſpeximus, vt tamen dicere non liceat nos ea ſcire. Non dicitur autem ſcire, qui verè non ſcit, id eſt qui non percepit ſenſu aliquo rem de qua àgitur, vt habetur ex cap. *hoc videtur*, 22. q.5. & ex l. *qui teſtamento*, ff. de teſtamentis. Sed tunc cenſetur quis ſcire, cum habuit ſenſationem aliquam plenam & perfectam ex parte obiecti & actus, ſaltémque

témque audiuit à viro fide digno, vel ab ipſo reo extra ſacramentalem confeſſionem. Ex quo vides, aliam eſſe hoc loco notionem *ſcientiæ*, quàm apud Philoſophos. Quia igitur mandatum vt qui rem ſciunt eam reuelent, intelligitur de verè ac realiter ſcientibus; ij autem ſoli ſciunt qui notitiam compararunt qualem nunc expreſſimus, non autem ij qui aliter ſciunt: fatendum eſt, eos qui ad modum propoſitum verè non ſciunt, exolui obligatione reuelandi, ita vt tametſi non reuelent, nequaquam ligentur monitorio: eos autem duntaxat ligari, qui dici poſſunt verè ac propriè ſcire, iuxta propoſitam *ſcientiæ*, in hoc negotio notionem. Et ſanè qui aliter accedunt ad detegenda aliena facta, exponunt ſe periculo leuitatis & temeritatis, necnon iniuſtitiæ erga eos quorum res aperiunt. Hactenus directè, tantùm de rebus detegendis actum. Nunc directè, de perſonis vi monitorij detegendis, agendum ſequitur.

QVÆSITVM VI.

Poſsítne per monitorium, non rei tantùm circa quam delictum admiſſum eſt, ſed etiam perſonæ quæ deliquit, reuelatio indici, puta furis, & rei furto ſubductæ.

RESpondeo, poſſe indicii detectionem vtriuſque, ſi ita neceſſarium ſit, vel ad recuperationem rei, vel ad iuſtam vindictam peccati, aut pacem publicam. Ita latè Gutierres l. 1. qq. Canon. cap. 11. num. 18. & ſeqq.

Iacobus de Graſſis 1.p. deciſ.l.4. c.8.num.21. Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſur. cog. num. 7.& ſeqq. Nauarr. in ſumma c. 18.num.23. & vt videtur S.Hieronymus in c.26. Prouerb. malè refragante Soto relect. de ſecreto memb. 2.q.6. qui cauſatur, tale præceptum eſſe contra ius, cum nemo teneatur manifeſtare noxium vt puniatur, ſed tantùm vt reparet damnum illatum, quod abſque noxij reuelatione pręſtari poteſt. Verùm poſſe aliquando eſſe neceſſariam furis reuelationem vt fiat damnorum irrogatorum reparatio, dubitare non licet. Quid ſi enim fur obfirmatè renuat reſarcire damnum irrogatum, etiamſi adhibita ſit fraterna correctio? Poſſe verò inſuper accidere iuſtam cauſam præcipiendi detectionem perſonæ, vt pœna de ea ſumatur, & proſpiciatur in poſterum ne idem ſcelus patrare audeat; ac etiam vt alij facinoroſi à ſimili nequitia arceantur, mihi videtur planè verum: quamuis quod Nauarrus rectè monuit, ſi idonea cauſa deſit, non ſit deueniendum ad mandandam furis detectionem. Sed cum neceſſitas id poſtulat ad rei recuperationem, aliàve idonea cauſa interuenit, non ſunt ſine cauſa mouendi ſcrupuli, quaſi illicitum ſit indicere furis detectionẽm; ſeruatis iis quæ iure ad id præſcribuntur. Et ita ferre perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem, teſtatur Nauarrus loco allegato. Non eſt hærendum circa inutilem Iuriſperitorum diſtinctionem, in hoc puncto. Aiunt enim, Iudicem ſi ex officio procedat, poſſe per monitorium adigere ad detectionem furis: non item ſi procedat, & monitorium ferat ad inſtantiam partis. Ita latè refert Neuiz. l. 3. ſyluæ nupt. num. 30. & 31. Sed ea diſtinctio caret fundamento. Nam nonnulla iura ex quibus eam ſibi viſus

eſt

eſt eruere Bartolus l.*Ciuile*.C.de furtis,reuera ad eam diſtinctionem fundandam fruſtra aduocari, demonſtrat Ludou.Vital.paulo ante adductus num.8.& 9.

QVÆSITVM VII.

Ligétne monitorium, mandans detegi culpæ manifeſtæ occultum autorem.

RESpondeo 1. ſi generaliter tantùm præcipiat, ligare. Et quidē ſi culpa ſit grauis & ad graue publicum aut priuati cuiuſpiam damnum ſpectans,pendénſque in futurum, non videtur dubitandum quin fas ſit & oporteat autorem occultū per conſcios prodi.Ita enim depoſcit cura communis boni, vel innocentis tutela & indemnitas. Sic Sayrus in Claui l. 12. c.20.num.8.& Leſſ.l.de Iuſt.c.29.num.119.Si autem delictum non pendeat amplius in futurum,fas nihilominus eſſe generaliter mandare, etiam intenta excommunicatione,vt quiſquis notorij delicti autorem prorſus occultum, id eſt nulla inde probatione, aut infamia,indiciiſve grauatum,reſciuerit, cum aperiat, & conſcios teneri denunciare, affirmat Valentia 2.2. d.5.q.14. p.1. aſſert.1. cui ſubſcribit Sayrus loco allegato,tametſi nonnihil implexus.Et ratio eſt,quia niſi id fieret,crimina manerent impunita, & in dies creſcerent, cum magno Reipublicæ damno, & priuatorum pernicie. (Refragati in hoc puncto ſunt Caietanus 2.2.q.69.artic.2.verſic.*ſed occurrit*, & Soto l.5.de Iuſt.q.6. art.2. aliique nonnulli, negantes fas eſſe in-

quirere generaliter,qui ſcelus admiſerit,ſi nulla ſit de autore infamia. Attamen contrarium habet communis & vniuerſaliter receptus vſus, pro quo pugnat Nauar.in ſumma c.18. num.38. & ad cap. *inter verba*, concl.6.coroll.50. num.586. Torres 2.2.tom.2. diſp. 50.dub.5. Leſſ.c.29.num.114. Petrus à Nauar.l.2.de reſt.c.4.num.167. Sanchez l.6. Opuſc.cap.3.dub.20. Diana 2.p.tract.1. miſcell. reſolut. 63. & alij quos iſti proferunt. Veruntamen tametſi omnes hi DD.contra Caietanum & Sotum,cenſent fas eſſe in notorij delicti occultum autorem generaliter inquirere, etiam intentata excommunicatione;pleriquè tamen eorum negant conſcios teneri detegere reum illum, nec infamia nec indiciis manifeſtis grauatum, eo quod culpa eius cum ſit occulta, non pertineat ad forum humanum,nec in eo puniri poſſit.Hoc tamen non videtur ſatis conſequenter dictum. Idcirco enim mandatur occulti autoris detectio,vt eius culpa quæ ſupponitur euidens,deduci poſſit ad forum humanum,fiátque idonea publici iudicij materia, ad Reipublicæ bonum,& innocentum tutelam. Adhæc ſi Iudex,reperto v. g. cadauere, poteſt ac debet inquirere quis hoc ſcelus patrarit,vt hi autores contra Caietanum ac Sotum rectè docent; nec Iudicis inquiſitio generalis vana eſt,eiúſve de autore criminis denunciando præceptum,ludicrum & futile;neceſſe eſt conſcios teneri obedire & pandere veritatem, niſi ij ſint quos alia aliqua ratio excuſet, vt reus ipſe, vel complices: quia quoad iſtos generalis illa interrogatio non eſt iuridica,niſi infamia, aut ſemiplena probatio antecedat, vt Val.aſſertione illa prima *ſub finem*,rectè admonuit,& Sayrus in Claui l.12. c.10. num.25. Cæteri verò niſi

aliud

aliud obſtet, quàm defectus præuiæ infamiæ autoris, tenentur reſpondere, quia iuridicè interrogantur: quandoquidem Iudex nihil eos interrogat, vel nihil ab eis detegendum mandat, niſi quod poteſt & debet interrogare, aut mandare. Igitur ne detur bellũ vtrinque iuſtum, conſcij in euentu propoſito tenentur parere, idque ni faciant, incurrent in excommunicationem ſub qua præceptum detegendi, latum fuiſſe ſupponimus. Et ita præter cæteros Torres t.2.in 2.2.diſp. 50.dub.3.num.12. Aragon.2.2.q.69. art.2. dub.vltimo, & Ioannes Valerus in differ.vtriuſque iuris. v.*inquiſitio*.n.9.

Reſpondeo 2. ſi Iudex lato monitorio ſpecialiter præciperet, vt qui noſſet certum hominem quem deſignaret, v.g. Petrum autorem eſſe ſceleris notorij, illum detegeret, nequaquam detegendus eſſet in ordine ad punitionem regulariter loquendo, ſi nulla prorſus de Petro infamia, aut aliquid eam ſupplens, ſiue æquiualens præceſſiſſet, eſſetque autor ille prorſus occultus. Ratio eſt, quia tunc Iudex non præciperet iuridicè in ordine ad inferendam punitionem. Iura enim, vt id fiat, præſcribunt anteceſſionem infamiæ, vel alicuius æquiualentis, ne gratis homines aſpergantur infamia, & inde procedat iniquitas, vnde expectanda iuſtitia fuerat. Hanc tamen reſolutionem, dupliciter tẽperaui, dicens eam valere ſi præceptum ſit latum in ordine ad punitionem, & regulariter loquendo. Nam ſi aliud quæratur quàm pœnæ irrogatio, v.g. ſi præcisè agatur de impediendo aliquo malo, aut tollendis maleficiorum occaſionibus, tunc vt benè ratiocinatur Leſſ. l. de iuſt. c. 29. num.121. ni veli mus omnia ſcatere ſceleribus & iniquitatibus, fa-

tendum eſt licere ſuperioribus præcipere ſpecialiter de quopiam quem nullus malus rumor grauet, & inferiores conſcios teneri, quàm ſecretò & quàm minima fieri poterit famæ iactura, eum pandere ſuperiori vt patri, in ſcelerum præcluſionem incubituro. Item tanta poteſt eſſe delictorum atrocitas, & tam iuſtus ab eis exitij timor, vt hæc quæ regulariter valere diximus, non ſint anxiè retinenda, ſed fas ſit mandare denunciationem, inquirendo etiam ſpecialiter de quopiam abſque infamia præuia, vel manifeſtis indiciis, ſed ex qualicunque & leuicula occaſione, num fortè ipſe ſit qui patrarit manifeſtum ſcelus, cuius autor latet. Neceſſitas enim communis boni honeſtat illam vſus cæteroqui recepti ac ſeruandi temerationem, vt tradit Adrianus quodl. 11. difficult. 5. & Leſſius ſupra notauit num. 139. concilians praxim omnium Iudicum, cum contraria opinione magnæ partis Doctorum anteriorum. Videtúrque annuere Suarez l. 5. de legibus cap. 9. num. 15. Quoties ergo præceptum denunciandi ſpecialiter aliquem ſceleris manifeſti occultum autorem & infamia non laborantem, iuſtum fuerit, toties monitorium de ea denunciatione latum, ligabit. Non eſſet tamen iuſtum præceptum, niſi quæ nunc propoſuimus, interuenirent. Vnde iis deficientibus, non ligaret monitorium.

QVÆSITVM VIII.

An reus delicti in noſmetipſos admiſſi, ſit neceſſariò detegendus vi monitorij.

RESpondeo, non eſſe ex obligatione detegendum, ſi Iudex rationem præciſè habuerit iniuriæ noſtræ. Ita rectè Sayrus in Claui l. 12. cap. 14. num. 24. & Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 3. num. 1. Ratio eſt, quia non eſt præſumendum, veniſſe in mentem Iudici Eccleſiaſtico, vt velit quenquam inducere ad deſpuenda Chriſti conſilia. At inter conſilia Euangelica illud eminet, quo proprias iniurias non perſequi, ſed Deo cōdonare admonemur. Quinetiam ius ciuile l. vnica, C. *vt nemo inuitus*, &c. neminem vult adigi ad agendum vlla in cauſa, quanto magis in propria? Idque rationabiliſſimè cautum eſſe, demonſtrant Clarus in pract. crimin. §. fin. q. 7. & Anton. Sola ad vetera Sabaud. decr. tit. vt nemo inuitus accuſare vel denunciare cogatur, Gloſſa vnica, num. 1. Si igitur hoc ſeruat ius ciuile, quanto conuenientius eſt, idem ratum haberi iure Canonico? Quare extra dubium eſto, Iudicem Eccleſiaſticum, nec velle nec poſſe obligare quenquam læſum, vt detegat illum à quo læſus eſt, ſi præciſè agatur de læſi indemnitate.

Hoc addo, quia interdum Iudex aliò collimat, & in damno priuati ſpectat commune bonum, cui aliter proſpici non poteſt, quàm ſi ille ipſe qui læſus eſt, aperiat criminoſum. Et tunc, ſi feratur monitorium ad

finem reuelationis, ab ipſo læſo eſt denunciandus is qui illi intulit iniuriam cum communi damno implicitam. Sic iure nouo Pij IV. Clementis VIII. Pauli V. ſed præſertim Gregorij XV. pœnitens cui Confeſſarius per Sacramentalem confeſsionem laqueus Diaboli factus fuerit, ſollicitans ad Venerem, tenetur illum prodere. Tantum quippe eſt ea in parte bonum communitatis & religionis, immani illo ſacrilegio violatæ, vt non poſſit quis cedere iuri ſuo, & condonare iniuriam tam deteſtandæ ſollicitationis. Vnde innodabitur excommunicatione lata in conſcios, niſi illud tam tetrum Diaboli organum aperiat, in cuius horrendam nequitiam conclamat validè Calixtus III. in fine ſermonis de vigilia S. Iacobi. Sed eſt ſcelus cui impar eſt quantacunque abominatio & deteſtatio. Quæ de reo tanti criminis dicta ſunt, monſtrando eum eſſe detegendum lato ad id monitorio, etiam ab eo qui eſt immediatè iniuriam paſſus, extendenda ſunt ad alios euentus, in quibus interſit religionis vel cõmunis boni, læſum aperire eum à quo violatus eſt.

QVÆSITVM IX.

Reus iam emendatus, an detegendus vi monitorij.

RESpondeo, reum occultum iam emendatum non eſſe vi monitorij detegendum, niſi vel in futurum pendeat periculum, vel Iudex ex vrgenti cauſa, criminis præteriti pœnam intendat. Quod his adiunctis ſepoſitis reus occultus peccati non publici, non ſit

ſit detegendus vi monitorij,patet; quia tantùm abeſt vt ſit obligatio detegendi talem reum, vt potiùs iniiciatur conſciis obligatio illum celandi. Vnuſquiſque enim tenetur abſtinere euulgatione probri alieni, & incommodatione proximi, abſque rationabili cauſa, quæ in re propoſita prorſus deeſt, cum reus iam ſit emendatus: eàque emendatione iam ſit factum ſatis, fini,ac menti Iudicis ferentis monitorium. Proinde non eſt quod cum proximi damno,fruſtra refricentur plagæ iam obductæ. Et ita paſſim D D. multos accumulant Gutierres l. 1. qq. Can.c. 11. num.73. Bonac. tract.6.ex variis p.1.§.8.num.1.& Sanchez l.6.Conſil.c.2.dub.5.num.2. & lib.6. in decal.c.18. num. 49. Quod enim initio illius numeri apud Sanchem habetur, in eo euentu non eſſe neceſſarium denunciare noxium ſuperiori,etiam tãquam patri,quaſi poſſit denunciari à cònſciis ſi velint; aperta alienæ manus interpolatio eſt, cum probationibus & diſcurſu autoris non-conſentiens, qualis non vna occurrit in poſthumo illo Opere. Supereſt tamẽ circa reſolutionem traditam,difficultas,quandonam criminoſus prçſumi debeat emendatus.Quod enim Felinus ad c.*teſtimonium.* de teſtibus,ex ſola aditione tribunalis pœnitentiæ, & facta ibi confeſſione conſtare putat, hominem eſſe emendatum,id quod Genuenſis in praxi c.18.num.6. ex Iubilæi conſecutione patere vult; verum quidem ſupponi poſſet,ſi ageretur de emendatione corã Deo, deque obliteratione actus prætenſi per infuſionem gratiæ factam in abſolutione ſacramentali,non tamen in ſenſu excludente obligationem denunciandi, lato ea de re præcepto:quia ad eam obligationem elidendam, requiri præterea videtur certa moraliter victo-

ria, reportata de praua conſuetudine per contrarium vſum. Vnde aliqui ad hoc certum de emendatione iudicium, depoſcunt triennium, vt refert Diana tract. de denunc. reſol. 3. Sed hoc etiam nimiũ videtur, ſaltem pro quibuſuis culpis. Quare rectiùs dicitur, ſitne aliquis emendatus, & an lato monitorio ceſſet ob hanc cauſam obligatio illum denunciandi, aliter definiri non poſſe quàm boni & prudentis viri arbitrio, quod ferendum in hac re erit, ſpectata perſonarum qualitate & criminis veluti viſcoſitate, ac difficili vel facili abiectione, cæteríſque negotij adiunctis. Sic igitur res habet quoad criminoſos illos qui lato ad finem reuelationis monitorio detegendi non ſunt, quia iam ſunt plenè emendati.

At addebã, interuenire quãdoque adiuncta, in quibus reus etiamſi iam emendatus, ſit vi monitorij denunciandus. Nimirum ſi ſit periculũ relapſus, & damni grauis inde ſecuturi communitati, aut etiam priuatæ perſonæ. Hoc pacto graues DD. aiunt, hæreticum formalem qui in hæreſi ex malitia fuit, tametſi emendatus ſit, tamen eſſe denunciandum ſi monitorium id ferat: Non quia non poſſit ſupponi verè emendatus, vt malè ratiocinatur Fagundez tract. 2. de præc. Eccleſ. l. 6. c. 4. num. 17. ſed quia quantumuis emendatus, tamen haud ægrè ad vomitum redibit in tempore & occaſione. Ita Farinac. tract. de hæreſi q. 197. §. 2. num. 52. Valent. 2. 2. d. 3. q. 10. p. 5. §. 1. caſu 4. Delrio 5. Magic. ſ. 4. indicio 6. & Suar. d. 20. de fide ſ. 4. num. 13. valétque id præſertim de hæretico emendato poſt dogmatizationem, & diſſeminationem erroris de cathedra peſtilentiæ. Plerique quos appendit & ſequitur Diana tract. de denunc. reſol. 3. idem affirmant de

ſacerdote

ſacerdote qui nefandiſſimè abuſus ſit ſacramento pœnitentiæ ad turpitudinem deſignandam, ſollicitandúmque ad eam. Nam licet emendatus ſit, tamen ob ſummam talis criminis lubricitatem, & facilem ad cœnum illud regreſſionem, ſemper eſt iuſta occaſio dubitandi, non de emendatione, ſed de recidendi periculo, ſi incidant occaſiones. Quare lato de hiſce criminoſis aperiendis edicto denunciandi erunt, tametſi iam emendati. Inſuper verò ſi Iudex ferens monitorium, non intendat ſolam à delicto emendationem, aut indemnitatem partis monitorium depoſcentis, ſed etiam intendat pœnas ſumere de criminoſis qui ſe tali ſcelere impiarint; tunc monitorium obligat conſcios, vt aperiant quos ſciunt huiuſmodi criminibus ſorduiſſe, etiamſi iam emendatos, vt iuſtitia vindex locũ ſuum habeat, & ſecuritati publicæ tranquillitatis, ac innocentum tutelæ proſpiciatur. Nam iuxta ea quæ dicta ſunt ad quæſitum 7. ſunt quædam crimina quorum tametſi iam tranſactorum denunciationem, Iudex bono publico vel innocentũ defenſioni ſeruiens, iuſtè præcipit vt irrogata debita pœna proſpiciatur culpis deinceps admittẽdis, & omnium bono paucorum caſtigatione conſulatur. Ambigi verò poteſt, quem finem intendat Iudex Eccleſiaſticus, cum intentata excommunicatione mandat denunciari criminoſum qui ſcitur iam emendatus, cum neutrum finem ex verbis monitorij licet deprehendere. Præſumendum eſſe intendi punitionem, cenſet Reginal. in praxi lib.24.num.51. At Suarez, Auila, Filliucius, quibus ſubſcribunt Barboſa de poteſt. Epiſc. alleg. 96.n. 69. & Bonac.tract.6.ex variis p.1.§.3. num.3. contrarium docent. Nec abs re, ita præſumendum eſſet de eo qui

qui paſtor ſit non lanius, & ſanitatem potiùs quàm abſciſſionem membri malè affecti habere debet propoſitam: ſed magna rerum inclinatio in quouis ſtatu, non exiguam veriſimilitudinem priori præſumptioni conciliat, per hóc orbis in maligno poſiti ſenium.

QVÆSITVM X.

An reus vi monitorij ſeipſum detegere teneatur.

RESpondeo 1. ſi monitorium feratur ad pœnam inferendam, reum occultum non teneri ſeipſum prodere niſi iuridicè interrogetur: quod non contingit niſi infamia criminis laboret, aut manifeſtis indiciis vrgeatur, vel ſit aduerſus eum ſemiplena probatio, qui modi variis inſtituendi iudicij rationibus ſunt accommodati: nempe cum proceditur via accuſationis, exigitur regulariter probatio ſemiplena aduerſus reum vel aliquid ei æquiualens, nimirum indicia manifeſta vt iuridice interrogari cenſeatur, teneatúrque ſe prodere & fateri veritatem: cum autem via inquiſitionis proceditur, interrogatio eſt iuridica regulariter loquendo, ſi infamia præcedat. Si igitur reus de crimine à Iudice interrogatus, non interrogetur iuridicè, defectu vel ſemiplenæ probationis, vel indiciorum manifeſtorum, vel infamiæ, ne acceſſu quidem intentatæ excommunicationis pandere ſeipſum tenebitur. Negat hoc Ludouicus Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſuram cogendis n. 18. & 30. Sed rectè affirmant benè multi DD. quos adducunt & ſequuntur

tur Gutierres l. 1. qq. Can. c. 11. num. 39. Sanchez l. 6. Opuſc. c. 3. dub. 29. num. 4. & Diana tract. de denunc. reſol. 8. videtúrque apertè haberi ex cap. *quis aliquando*. de pœnit. diſt. 1. & cap. *quidam maligni*. 5. q. 1. vbi traditur, neminem teneri prodere ſeipſum. Idem ſonat quod habetur l. *de minore*. ff. de quæſt. & l. *nimis graue*. C. de teſtibus, quibus locis dicitur, non eſſe ſumenda arma de domo rei. Saperet ſanè tyrannidem præceptum illud, quo homo ita in ſeipſum efferari iuberetur, vt ſibi ipſemet exitium vel infamationem crearet, nullis præoccupatus & prægrauatus indiciis, aut rumoribus, vel probationibus. Quare iuſſio rationabilis, cuiuſmodi præſertim eſt Eccleſiaſtica, nihil tale indicit vnquam, vel poteſt indicere, ſed ſi id aggrediatur & excommunicatione intentata reum ad id vrgeat, nõ tenebitur reus ſe prodere & aperire ſcelus ſuum planè occultum, cum de eo ad pœnæ irrogationem prodendo agitur: nec per ſilentium incurret cenſuram monitorio cõſertam, vt benè aiunt Hugolinus de poteſt. Epiſc. c. 45. §. 4. & Naldus v. *excommunicatio*, num. 8. Aliqui excipiunt euentum in quo quis pro bono communi teneretur propriam vitam ponere. Sed non eſt cur ea exceptio admittatur, niſi ſi agatur de reo, indirectè & conſequenter prodente ſeipſum cum prodit complicem, in euentu quo graue malum communi bono imminens iniiceret neceſſitatem reo detegendi complicem cuius voluntas non ſubeſt voluntati rei. At ſi ſermo ſit præcisè de reo, nulla eſt ex communis boni debito ſtudio neceſſitas, quæ eum agat ad ſe prodendum, cum in eius poteſtate ſit mutare efficaciter voluntatem, ſicque mali occaſionem remouere, & præcludere

cludere neceſſitatem ſe detegendi, eam ob cauſam.

Aduerſus hanc reſolutionem opponuntur tria. Primum eſt, argumentum cui ſuccubuit Franciſcus Marcus p. 2. deciſ. 856. nempe quod ne pro vita quidem retinenda, liceat mentiri. Igitur reus ſub excommunicatione interrogatus de ſcelere, quia niſi ſe prodat, mentietur, adigitur ad ſe ingenuè prodendum. Hæc tamen difficultas facilè expediri poteſt, non modò in monitorio quo generaliter tantùm mādatur vt conſcij veritatem aperiant; vnde ſilere poſſunt & mentiendi neceſſitatem declinare tacendo; ſed etiam in iudiciaria interrogatione ſpeciali, adacto ſpecialiter reo per intentatam excommunicationem vt pandat veritatem. Poteſt enim nihilominus reus declinare iniquam; quippe non iuridicam interrogationē, dando reſponſum ſenſibiliter vel inſenſibiliter æquiuocum: ſenſibilem æquiuocationem appellant, qua reſponſum præbetur verbis biformibus, & multiplici ſignificatione fœtis, quarum ſignificationum vnam concepturus agnoſcatur iudex, alteram verò intendat & verbis ſuis ſubſternat reus; nihil quidem ſupprimens, aut mente abditum tenens quod verbis exteriùs prolatis non indicetur, tamen multiplicitate & ambiguitate ſenſus verborum, deludens iniquum quæſitum. Altera verò æquiuocatio ſiue inſenſibilis, ea eſt, qua pars reſponſi foras promitur, pars ſupprimitur & ſubintelligitur; quale genus reſpondendi vſurpauit Chriſtus ipſe, cum rogatus à diſcipulis de die Iudicij reſpondit, ſe neſcire: non quod intellectus Chriſti etiam creatus & humanus, ignoraret Iudicij diem; quod qui ex eo Chriſti reſponſo intulerunt Agnoitæ, inter hæreticos ſunt recenſiti: ſed quod

Chriſtus

Chriſtus ad eum modum loquens exteriùs, ſubintelligeret interiùs, ſe neſcire vt Magiſtrum, ſiue ad docēdum, vt diſertiſſimè tradidit S. Auguſtinus in Pſalmum 9. *ferè in fine*, & alij plerique Patres quos adduxi in Opere de æquiuocatione c.10.n.8. quo Opere fusè & omni teſtimoniorum ac probationum genere adhibito demonſtratum eſt, vſum alterutrius æquiuocationis, ſi grauis & idonea cauſa ſuppetat, nec alia quàm veritatis enunciandæ obligatio ex lege virtutis veracitatis vrgeat, vacare culpa. In re autem de qua agimus, ob imminētem pœnam ſi veritas apertè panditur, adeſt iuſta & idonea cauſa adhibendi ſubterfugium prædictum. Nec alia virtus obſtat. Nam obedientia ſuperiori interroganti debita, non habet hîc locum, quia ſuperior non agit vt ſuperior, quandoquidem ſupponitur non interrogare iuridice. Itaque fas eſt ei reſpondere non ad mentem, & verborum ambiguitate vel apta ſubintellectione partē reſponſi foras emiſſam ſupplente, deludere perperam interrogantis ſollicitudinem, non adhibito mendacio quod conſtat eſſe intrinſecè malum, nec vlla ratione vſurpari poſſe, vel ſi vita eſſet prodigenda. Nec Albericus Gentilis, qui pro mendacij in hoc negotio defenſione, genus omne probationum ac teſtium conquiſiuit integra de hoc argumento diſputatione, aliud reuera profecit, quàm quod ſe malæ cauſæ malum patronum prodidit. Tametſi illud non inuitus dederim, magnam partem autorum quos producit, nomine mendacij quod in neceſſitate approbant, non illud propriè dictum mendacium quod in mentis & verborum diſſonantia ſitum eſt, & nunquam licet; ſed æquiuocationem alterutram, quæ in ſpeciem & aliquali correſpondentia

reſpondentia cum vero mendacio conuenit deſignare voluiſſe. Id enim de Origene, Caſſiano, Dorotheo, mendacij tanquam medicamenti id eſt in neceſſitate, vſum labe vacare agnoſcentibus, puto perſpicuum. Vt autem propriè dictum mendacium, vel ſi vita perdenda eſſet, quandoque ſit licitum, nemo Catholicus admiſerit, vt rectè aiebat Franciſcus Marcus, non rectè tamen inde ratiocinatus, neceſſitatem iniici reo non iuridicè interrogato prodendi ſeipſum ne mentiatur: cum ea interrogationis non iuridicæ iniquitas, ſolius apparentis mendacij vſurpatione, declinari facilè à reo abſque labe queat.

Secundum quod aduerſus reſolutionem datam opponitur, eſt factum S. Gregorij l. 5. epiſt. 30. indict. 14. vbi mandaſſe videtur cuidam libelli famoſi occulto autori, ſub pœna excommunicationis, vt ſe proderet. Vnde Almainus tract. de poteſt. Eccleſ. & laica c. 9. probat peccatorem occultum poſſe excommunicari pro peccato manifeſto. Nec pauci inde collegerunt, excommunicationem ferri poſſe pro peccato præterito. Cæterum S. Gregorius, quod ad rem præſentem attinet, nihil conſtituit quod reſolutioni poſitæ aduerſetur. Nam vt rectè notarunt Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 2. concluſ. 4. & Nauar. repetit. ad c. *inter verba.* concluſ. 6. coroll. 66. num. 409. S. Gregorius non mandauit reo ſub pœna excommunicationis vt ſe detegeret, ſed tantùm vt homo tanti ſceleris reus, qui viro bono clam impegerat probra grauia, abſtineret Euchariſtiæ perceptione, donec ſatisfeciſſet, idque ni ſeruaret, percelli eum voluit excommunicatione, tametſi occultum. Neutram verò pœnam illi inflictam voluit ſi vltro prodiret, & probra quibus virum bonum

num onerauerat, niſi veritate demonſtraret. Vides S. Gregorium non aſtringere reum planè occultum ad ſe prodendum, ſed ei imperare, vt perſonæ quam malè violarat ſatisfaciat, nec ad communionem accedat quin ſatisfecerit: ad quod vtrunque, reus ille antecedenter ad S. Pontificis præceptum, omni iure obſtringebatur. Quod verò ſi prodire ipſe malit, & vera eſſe demonſtrare quæ alteri inuſſerat dedecora, immunem eum eſſe voluit à mulcta irrogata, non fuit eum cogere ad ſe prodendum; ſed optionem dare liberandi ſe à nota calumniatoris, & probandi quæ cuim exprobrauerat; quod quàm ſit diuerſum ab eo quod hîc inficiamur, nemo non videt.

Tertium denique quod reſolutioni traditæ opponitur, eſt vſus apud pleroſque receptus apponendi monitoriis hanc clauſulam, *dempta parte & conſilio*, ne per monitorium vim inferrent reo, & iis quos reus auxilij & conſilij gratia adiiſſet, detegendi ipſum reum. Ea enim clauſula non appoſita, ſed quod aliquoties factum conſtat, adhibita clauſula, *nemine dempto*, ſenſus multorum tulit, & reum etiamſi prorſus occultum teneri ſe prodere, & conſultos ab eo, obligari ad eum detegendum. Ita Petrus Gregorius l. 48. ſyntagm. c. 13. num. 31. ex Ægidio Magiſtro in deciſ. Pariſ. tit. de appell. ex abuſu c. 9. & 10. & Lazarius ſ. 2. q. 16. num. 9. refertque Ægidius loco prædicto, antiquam illam clauſulam, *dempta parte, & conſilio*, fuiſſe ſenatus conſulto abrogatam. Verùm eam in aliis oris ſemper adhiberi, ſcribit Sola ad antiq. Sabaud. decr. tit. *vt nemo inuitus*, &c. Gloſſa vnica num. 7. & tit. de minor. decr. inuent. p. 1. Gloſſa vnica n. 17. vbi cum Rebuffo in Conſtit. Reg. tit. de Inuent. Gloſſa 1. n 9.

excipit duntaxat monitoria aduerſus tutores qui bona pupillorum infideliter deſcripſerint. Notat enim in talibus monitoriis non adhiberi clauſulam illam, *dempta parte & conſilio*, ſed hanc aliam qua reus quoque ad ſe prodendum adigatur, etiamſi occultus, *nemine dempto*. Quam item clauſulam, ipſius quoque rei & conſultorum ab eo adactricem, permitti in quibuſdam euentibus in monitoriis debere, ſtatuitur in Codice Fabriano l. 4. tit. 14. vt definit. 54. cum monitorium impetratur ante motam litem, non autem poſt. Rurſusque cum agitur de inſtrumentis maximè communibus. Adhæc definit. 68. cum quis criminaliter poſtulatus, non alias veritatis & innocentiæ ſuæ probationes habet, quàm quas ex ore accuſatoris eliciet. In Galliis variam planè eſſe quoad has clauſulas apponendas praxim, legere ibidem eſt ad definitionem illam 54. Vbi etiam illa ſecularium Iudicum ſollicitudo legitur, interdicendi publicatione monitorij, priuſquàm agnouerint an adhibitione clauſulæ illius, *nemine excepto*, alteriúſve cuiuſpiam, ſint in monitorio comprehenſi aliqui quos iniquum ſit comprehendi, & adigi ad ſui ipſorum vel aliorum euulgationem.

Salua tamen reuerentia, quæ Diis (vt Conſtantini Magni verba huc transferam) à vero Deo ad iudicandum orbem conſtitutis ſumma debetur, ſequitur perſpicuè ex dictis, hallucinari eos qui cenſent appoſitionem vel prætermiſſionem clauſularum illarum, *dempta parte & conſilio*, & *nemine dempto*, aliquid plus cōferre quoad rem de qua agimus, hoc eſt quoad neceſſitatem iniiciendam reo vt ſe prodat, iíſve ad quos ipſe conſilij opiſve gratia confugerit, vt eum detegant. Verè enim, reus vi ſolius monitorij, etiamſi

Præſul

Præſul neminem demat & omnes arctare ad reuelandum velit,non obligatur ſe detegere, niſi abſque appoſitione illius clauſulæ, *nemine dempto*, obligaretur; puta quia non eſt planè occultus, ſed ob præcedentem infamiam vel ſemiplenam probationem criminis,vel aliquid iis æquiualens, interrogatur vel vrgetur iuridicè ad ſe prodẽdum. Nam in eo euentu obligatur ſe prodere, etiamſi nõ ſit appoſita clauſula illa, *nemine excepto*. Extra eum verò euentum, quantumuis ea clauſula adhibeatur, non tenebitur ſe prodere, ſi planè occultus ſit,atque adeò non vrgeatur iuridicè ad ſe aperiendum. Et idem eſt de conſilio, v.g. de aduocato aut fideli amico, quos reus auxilij & conſilij gratia adierit,ſéque illis detexerit.Quantumuis enim monitorium ferat vt omnes nemine dempto reum planè occultum detegant, non tenebuntur tamen eum aperire,imo nec poterunt,iuxta dicta ſuperiùs ad quæſitum 4. vbi etiam oſtenſum eſt, conſilium ne in eo quidem euentu in quo reus niſi in monitorio excipiatur adigitur ſe prodere,hoc eſt cum laborat infamia,vel eſt aduerſus eum ſemiplena probatio,aliquídve ei æquiualens, poſſe reum detegere regulariter loquendo.Non igitur ex eo quod adhibita ſit ea clauſula,*nemine dẽpto*, adigitur reus planè occultus ſe detegere,nec cum illa alia clauſula apponitur,*dempta parte*,gratia fit reo ne ſe detegat quantumuis ſit occultus,obligandus alioqui niſi ea clauſula fuiſſet appoſita.Id quippe falſum eſſe liquet ex dictis.Sed hæc quidem clauſula,*dempta parte*, gratiam reo facere poteſt non ſe prodendi, ſi non ſit planè occultus, & alioqui per monitorium abſque ea reſtrictione latum,vrgendus iure eſſet ad ſe prodendum, iuxta ea quæ mox

ſubiiciemus in limitatione huius ad quęſitum reſponſionis. Illa verò alia clauſula, *nemine dempto*, poteſt cōferre ad vrgendos vt veritatem detegant, eos quoque quos alioqui pars præſumeretur noluiſſe in monitorio comprehendere; puta domeſticos cum agitur de clancularia ſubductione facultatum, aliiſve huiuſmodi. Addi poteſt nec incommodè, clauſulas prædictas ex mente eorum qui primi eas appoſuerunt, aliò reuerà pertinuiſſe quàm ad ſignificandam rei occulti obligationem ad ſe prodendum niſi excipiatur. De illa enim clauſula, *dempta parte & conſilio*, facilè dici poteſt, eam non adhiberi quaſi neceſſariam ad exoluendum reum prorſus occultum obligatione ſe detegendi, vt cenſent qui inde à contrario ſenſu argumentantur, reum ſi non excipiatur, teneri ſe prodere tametſi occultus ſit: ſed idcirco adhiberi, vt tollantur ſcrupuli meticuloſorum. Quia enim plerique trepidant timore vbi non eſt timor, & audito generali præcepto ſub pœna excommunicationis quo conſcij obligantur aperire quod norunt de re propoſita, non pauci facilè induxiſſent in animum, reos quoque debere ſe detegere, & conſultos ab eis teneri prodere hos ſuos clientes, vnde magni conſcientiarum angores, aut etiam Numinis offenſæ exorirentur: prouidè & ſapienter Antiſtites, eam clauſulam, *dempta parte & conſilio*, adhibendam exiſtimarunt, ne reus occultus eiúſque Conſiliarij putarent ſe monitorio comprehendi, ſicque illaquearentur ſine cauſa. Qua fere ratione, plerunque conceduntur priuilegia adhibitis clauſulis præciſè non neceſſariis, tantùm vt tollantur ſcrupuli, & nimiæ puſillarum mentium meticuloſitati cōſulatur. De illa verò alia clauſula, *nemine dempto*, dici

facilè

facilè poteſt, ſenſum non eſſe, vt reus quoque etiamſi prorſus occultus ſe pandat: ſed obligationem iniici omnibus iis qui legitimè ac ſufficienter non excuſabuntur, vt aperiant veritatem, vel ſi ſeipſos detecturi eſſent. At inter eos legitimè excuſatos, eminet reus prorſus occultus, vt eſt demonſtratum.

Semper reſtrinxi reſolutionem datam ad reũ prorſus occultum, quia fateor reum ſceleris infamia laborantem, vel preſſum manifeſtis indiciis, aut aduerſus quem ſemiplena ſceleris probatio habeatur, teneri ſe prodere, ſi à legitima poteſtate interrogetur: atque adeò qui talis eſt, ſi feratur monitorium in quo reus non excipiatur, tenebitur ſe detegere. Negauit hoc Ambroſius de Vignate cuius argumenta latè profert & excutit Neuizanus l.3. Syluæ nupt. à n. 36. Quoad monitorium quoque, quia tantùm generaliter fertur, Corduba quem ſequitur Auila 2.p.c.5.diſp.5. dub. 2. concluſ. 8. negat reum teneri ſe prodere quantumuis ſit infamatus, ſed tantùm obligat eum ad fatendam veritatem, ſi ipſe ſpecialiter interrogetur iuridicè, ſcilicet præcedentibus indiciis, vel ſemiplena probatione. Leſſius item l. de Iuſt. c. 31. num. 15. iuncto 11. negat reum ex ſola ſimplici infamia ſi nullum aliud adſit indicium, obligari poſſe ad fatendum crimẽ ſuum, etiamſi intentetur excommunicatio. Contrarium habet Gutierres l.1.qq. Canon. c.11. num. 38. & 41. aſſerens monitorium iniicere reo neceſſitatem ſe prodendi ſi grauetur infamia, vel manifeſtis indiciis, aut ſemiplena probatione. Idem tradit Sylueſter v. *Correctio*, q.9. & ſubſcribit Iacobus de Graffis 1.p. deciſ. l.4. c.8. num. 18. Sed dicendum eſt, quoties Iudex interrogat iuridicè, (ad quod quid in variis iudicij incundi

rationibus præexigatur, initio tactum eſt obiter; plenè autem excutitur in tractatione de iudiciis;) toties iniici reo obligationem fatendi crimé, etiamſi ad pœnam interrogetur: quod ſi interrogationi adiungatur intentatio excommunicationis, fore vt reus eam incurrat, niſi pareat. Quod autem de ſpeciali interrogatione dictum eſt, æquè valet de generali interpellatione per monitorium; ita ſcilicet vt reus, qui ſi ſpecialiter rogaretur teneretur fateri ſuum crimen, quia interrogatio eſſet iuridica; æquè teneatur illud fateri interpoſito ad id generali pręcepto ſub pœna excommunicationis. Ratio eſt, quia quod præceptum ſit generale quia ignoratur is ad quem dirigitur; vel certè ſpeciale, quia innoteſcit is cui præcipitur, non variat vim præcepti, quod ſupponitur à legitima poteſtate & legitimè procedente manare, proindéque eſſe validum & obligatorium. Igitur dummodo Iudex legitimus procedat iuridicè, quod facit cum iubet reum prædictis modis iudicio conuenientibus non occultum, ſe prodere, reus ſiue generatim ſiue in particulari mandetur, vt ſe detegat, tenetur obedire; ídque ſi præſtare renuat, violétque mandatum cui conſerta ſit excommunicatio, incidet in illam. Tradit hanc ſententiam Zerola v. *excõmunicationis cauſa materialis*. ad 3. & plurimos adducens Lazarius ſ. 3. q. 12. num. 4. Argumenta verò quibus Ambroſius de Vignate contrarium probabat, contendens, reum vi monitorij nunquam teneri ſe prodere, illa ipſa ſunt quibus aliqui idipſum de reo ſpecialiter interrogato abſque cenſuræ interminatione confirmant, inter quos Angelus, Syluester, & Fumus, v. *delicti confeſſio*, Petrus à Nauarra 2. de reſtit. c. 4. parte 2. dub. 2. Peſantius 2. 2.

ad

ad q.70. diſp. vnica *in fine.* aliíque non pauci adducti 2.2.in tractatione de reo,quorũ ſententiam probabilem cenſent, tametſi ei ſimpliciter non ſubſcribunt, Rodericus t. 2.qq.regular. q. 19. artic. 4. Reginal. in praxi l.24.n.37.Bonac.ad 8. Decal.præcep. diſp.10.q. 3.p.2.num.7.Leſſ.l.de Iuſt.cap.31.num.16. Malderus de virtut.tract.6.c.3.dub.1.aſſert.2.& 3.Filliuc. tract. 40.num.266. Atque vtinam Torres qui 2.2.t.2. diſp. 50. dub.7. horum placitum ne probabile quidem eſſe pronunciauit,quanta facilitate hoc dixit,tanta diſſoluiſſet argumentum ſanè validum pro eo placito,inde deſumptum,quod nemo poteſt adigi ad detegendam perſonam noxiam valdè coniunctam etiam in euentu in quo alium detegere cogeretur, ſaltem regulariter loquendo: Non poteſt inquam ſpectata vi humanæ poteſtatis, ex rei natura & antecedenter ad ius poſitiuum, quod tantùm declarauit quid ea in parte poſceret ius naturale.Ergo multo minus adigi poteſt reus detegere ſeipſum tametſi non prorſus occultum,cum nemo ei ſit ipſomet ſibi cõiunctior aut propinquior. Eam tamen rationem veréque implexum nodum, inferiùs agentes de propinquorum denunciatione, vel ſoluere,vel ſcindere conabimur.Interim in cõtrariam ſententiam propoſitam, quæ reum legitimè & iuridicè interrogatum obligat ad ſe prodendum, lubentes concedimus, cum vniuersè quoad iudicia quæcunque,tum nominatim ſi in euentu in quo legitimè interrogaretur ſi pateret, interpelletur ad id generaliter per monitorium.

Reſpondeo 2.ad quæſitum, ſi reus monitorio non interpelletur ad ſe prodendum vt pœnam ſubeat, ſed tantùm in ordine ad impediendum malum aliquod,

vel ad tollendam maleficij occaſionem, ratum eſſe debet, monitorium ligare reum ad ſe prodendum, etiamſi ita occultus ſit, vt ſi Iudex tenderet ad grauamen inferendum, interrogatio iuridica non eſſet, nec obligaret ad planam & expeditam reſpóſionem. Ratio huius doctrinę, eadem eſt cum ea qua graues DD. quos latè refert & ſequitur Sanchez l. 3. de matrim. diſp. 14. num. 2. confirmant, Iudicem Eccleſiaſticum ſi agatur de contrahendo matrimonio, poſſe obligare partes ad fatendum impedimentum prorſus occultum, ſi velint porrò pergere in contractus coniugalis celebratione. Itémque qua Henriques cum aliis l. dę Ordine c. 18. num. 2. docet, eum qui vult ad Ordines promoueri, debere prælato roganti, aut generatim mandāti, candidè & ſimpliciter prodere vitium occultum, quo ab Ordinibus repellendus ſit. In his quippe euentibus DD. agnoſcunt obligationem detegendi probra occulta & infamatiua, quia non agitur de grauando reo, quo pacto præexigeretur probrum non eſſe prorſus occultum, ſed agitur de impediendo peccato, & indignis à ſacramento Matrimonij vel Ordinis, per Dei miniſtrum, non qua Iudicem, ſed qua fidelem diſpenſatorem & patrem repellendis; ad quod, ius & poteſtatem à Deo accepit. Igitur vbicunque ſimiliter agetur tantùm de impediendo peccato, habebit ius præcipiendi, vt probra licet prorſus occulta aperiantur: & qui iis ſordebunt, tenebūtur ea aperire, ſi velint progredi in opere cui illud peccati periculum eſt adiunctum. Id niſi præſtent, ſéque candidè aperiant, irretientur excommunicatione, ſi præceptum ſe detegendi ſit ſub ea pœna impoſitum: quia tale præceptum ſe aperiendi, non eſt latum ad inferendam

pœnam

pœnam, ſed ad præcludendam diuinam iniuriam, & impediendum maleficium quod alioqui conſequeretur.

QVÆSITVM XI.

Sitne obligatio detegendi complicem vi monitorij.

RESpondeo, non aliter ferè complicem obligari ad prodendum ſocium criminis, quàm ad prodendum ſeipſum. Explico hoc, diſtinctione adhibita. Vel enim agitur de complicis detectione à reo primario facienda, vel de detectione rei primarij, facienda per complicem qui ſit minus principalis cauſa delicti, & ſocius rei primarij in eo admittendo. Neutro autem modo, vix eſt alia obligatio ad prodendum complicem, quàm ad prodendum ſeipſum, etiamſi detectio imperetur intentata excommunicatione.

Ac primùm ſi agatur de obligatione rei primarij ad prodendum criminis ſocium ſeu complicem, haud obſcurum eſt quàm fere eodem gradu procedat obligatio prodendi vel facultas celandi complicis, quàm obligatio & facultas prodendi vel celandi ſeipſum. Nam qui aperit complicem, aperit conſequenter ſeipſum, ſiue vltrò fateatur ſe cum eo deliquiſſe, ſiue tantum prodat illum admiſiſſe tale crimen, poſtmodum eiuſdem criminis participio maculandus ab eo quem prodiderit. Itaque quia reus non tenetur ſeipſum aperire, niſi iuridicè id ei iubeatur: quod non

contingit, cum eſt prorſus occultus, vix tenetur complices aperire ſi ſint prorſus occulti, quantumuis præceptum ſit impoſitum ſub pœna excommunicationis. Quo ſpectat, quòd vt tradit Caiet.t.1.opuſc.tract.31. reſponſ.5.habetúrque ex c.*nemini*.15.q.3. & ex l.fin. C.de accuſat. Iudex regulariter loquendo, nec poteſt nec debet interrogare reum de complice, ſi nulla ſit infamia quod complex aliquis interuenerit. Vnde quia talis de complice interrogatio non eſſet iuridica, reus eam eludet aut negliget abſque peccato, & incurſu excommunicationis intentatæ. E contrario autem, quando crimen tale eſt vt exerceri abſque complice nequeat; vel quantumuis ex natura rei poſſet admitti abſque complice, tamen ex circunſtantiis prudenter deprehendatur complicem interueniſſe; Tunc quia interrogatio de complice eſt iuridica, iniicitur obligatio complicem detegendi. Neque enim tunc, complex eſt prorſus occultus: ſed illa ipſa quæ ad interrogandum vel vrgẽdum ad ſui detectionem reum principalem ſufficientia fuerunt, ad complicem quoque diffunduntur tanquam ad circunſtantiam ſceleris, atque adeò æquè aperiendus eſt à reo, ſi velit ſe excommunicationi intentatæ ſubducere. Vniuerſa hæc doctrina colligitur ex iis quæ cum aliis tradit Suarez diſp.20.de fide ſ.4.num.19.

Eam tamen temperaui addita particula reſtringente, cum dixi eandem ferè aut vix aliam eſſe reo obligationem prodendi complicem, quàm prodendi ſeipſum, quia interdum ratione immenſi damni quod ingruit communi bono ex complicis celatione, obligatur reus ſeipſum diſcrimini exponere detegendo complicem, etiamſi non teneretur ſe detegere ſi ſolus

lus

lus eſſet. Nimirum quia ipſe reus, eſt plenè arbiter ac dominus ſuæ voluntatis. Vnde ſi occultus omnino ſit, dummodò efficaciter ſtatuat abſtinere ſcelere, ſatis proſpectum erit communi bono, etiamſi non ſe aperiat. At voluntas complicis, non ſubeſt arbitrio & poteſtati principalis rei. Itaque ſi contingeret ex complicis celatione, magnum damnum quod meritò præferendum ſit damno rei, exoriturum iure timeri, teneretur reus complicem detegere quamuis prorſus occultum, & cuius detectio extra eam neceſſitatem non poſſet iuridicè mandari. Ita ferè ſtatuunt DD. de complice hęretico. Nec pauci idem ſtatuunt de perſona à Confeſſario ad turpitudinem ſollicitata, quam obligant ad detegendum Confeſſarium etiamſi prorſus occultum, ob ſummam perniciem Eccleſiæ Dei imminentem, ni tam tetra peſtis auertatur. Ita Bonac. tract. 6. ex variis p. 3. num. 10. & alij quos refert Diana tract. de denunc. reſolut. 9. Quanquam in hoc ſecundo exemplo, lōgè aliter ſe habet res quàm circa complices aliorum criminum. Tametſi enim ſupponamus, perſonam ſollicitatam præſtitiſſe conſenſum in ſollicitationem, atque adeò habuiſſe rationem complicis quoad crimen de quo fuit ſollicitatio: Tamen quoad ipſam ſollicitationem quæ eſt crimen horrendum, Confeſſarius ſollicitans, complice caruit: cum ipſe ſupponatur is fuiſſe, qui factus eſt alteri perſonæ laqueus diaboli. Edicta autem quæ in Eccleſia proſtant plurima de tantæ turpitudinis detectione, ſpectant duntaxat crimen ſollicitantis Confeſſarij, vt multorum fert ſententia apud Dianam loco annotato reſolut. 23. Vnde perſona pœnitens, reuelans Confeſſarium ſollicitantem, nihil ſibi ab ea reuelatione time-

re

re debet, præciſè vi edicti mandantis detectionem Confeſſarij ſollicitantis. In aliis autem criminibus, cum reus complicem detegit, ſi priùs reus ipſe non innotuerat, accerſit ſibi per ſe loquendo eandem pœnam.

Venio ad alterum punctum initio propoſitum, hoc eſt ad quæſtionem de complice qui fuit ſecundaria & coadiutrix cauſa delicti, quatenus is ad reum principalem detegendum obligetur vi monitorij. Quia enim complex iſte, aperiendo reum principalem, in eandem ſe coniicit voraginem; idcirco dicebam, qua ratione ſi prorſus occultus ipſe ſit, non tenetur ſe detegere, quantumuis id ſub excommunicatione mandetur, eadem ferè neque reum principalem eſſe ab iſto complice detegendum, ſi prorſus occultus ſit, ne ſe cum eo inuoluat, & eidem obiiciat diſcrimini. *Ferè* inquam eadem eſt iſti complici detegendi ſui aut rei principalis neceſſitas, vel celandi facultas, quia neceſſitas alieni præſertim communis boni, aliud interdum ferre poteſt quoad obligationem detegendi rei principalis, eo quod voluntas illius non ſubſit arbitrio ac poteſtati complicis; nec proſpiciendum aliquando ſit alieno bono niſi reus principalis detegatur, in quo euentu, complex qui ſi ſolus eſſet non teneretur ſe detegere, quia poſſet efficaci voluntatis mutatione auertere graue malum imminens quod meritò anteponendum ſit damno ipſi complici detegenti reſultaturo per detectionem rei principalis, obligandus eſt ad eam detectionem rei principalis, tametſi prorſus occulti, vt in ſuperiori puncto diximus, agentes de reo complicem detegente. At ſi reus principalis, & ipſe complex non ſint prorſus occulti, ſed ita ſe habeant

beant vt interrogatio de crimine ſi iiſdem ſingulatim fieret, eſſet iuridica, atque adeò etiam vt præceptum ſe detegendi non eſſet contra rationem ac formam iuris, tunc complex quantumuis non niſi generatim per monitorium iuſſus veritatem enunciare, tenebitur detegere reum principalem, æquè ac in eo euentu tenebitur ad detegendum ſeipſum. Idque ſi renuat exequi, innodabitur excommunicatione ſub qua præceptum detegendi autores criminis, impoſitum fuiſſe ſupponitur.

Ex dictis diiudicandum eſt dubium frequens, de obærato qui videns ſe impotentem ad ſoluendum, vel ex malitia fraudem faciens creditoribus, quærit fiduciarium emptorem cui bona ſua in ſpeciem vendat, móxque cedit bonis. Creditores fraudem ſubodorati impetrant monitorium, vt quiſquis bona obærati aut fraudem factam deprehenderit, eam detegat. Dubitatum ſæpè eſt, vtrùm emptor, qui obærati in ea fraude ſtruenda complex fuit, nec teſtes habet quibus factam mangoniam probet, teneatur aut poſſit reum principalem vnáque ſe aperire, ne in monitorij cenſuram incurrat. Auila 2.p.cap.5. diſp.4. dub. 3. concluſ. 7. affirmat, complicem iſtum, teneri primùm monere obæratum vt reſtituat, vel ſua bona recipiat: quod ſi is neutrum velit, teneri eum denunciare, quod ait apertè colligi ex Syluestro v. *reſtitutio*, 3.num.10. §.4. nec referre putat, quod deſit facultas probandi: quia id neque exigitur in hoc negotio vt emptor non habeatur calumniator, neque ad indemnitatem debitam famæ obærati. Emptor enim nullo modo præſumetur calumniator etiamſi abſque facultate probandi, obæratum denunciet; quia clarum eſt,

cum

eum nequaquam à ſe abdicaturum bona quæ ei fiduciariè ſunt commiſſa,ſi reuera non eſſent ſic commiſſa,nec ſcrupulo admiſſæ nequitiæ angeretur,& vrgeretur ad aperiendam ſyncerè veritatem. Infamia autem reo principali obuentura ex detectione fraudis per eum factæ,attendenda & cauenda eſſet,ſi emptor fuiſſet præcisè conſcius fraudis;at cum complex fuerit, & celans vlteriùs nequitiam admiſſam, bonáque concredita aſſeruare pergens,cauſa ſit damni creditorum, æquè ac is qui bona à latrone data in cuſtodiam apud ſe habet,non eſt excuſandus à rei principalis denunciatione eam ob cauſam.Vnicam huius obligationis amoliendæ iuſtam excuſationem proponit idem Auila ſequenti diſp.5. dub.2.concl.2. ſi inde emptori fiduciario ingens famæ damnum accedat.Et æquè addere poterat, ſi futurum ſit, vt ob cooperationem in fraudem, grauiter mulctetur, síntque hæc infamiæ obuenturæ vel mulctæ inferendæ diſpendia talia, vt meritò declinatio eorum anteponi queat damno creditorum.Id enim pręcipuè videtur ad diiudicationem huius difficultatis conſiderandum, quod attinet ad obligationem vel facultatem detegendi obæratum. Nam quoad reſtitutionem quidem, de qua ſola agit Syluester loco annotato, res eſt extra controuerſiam. Tantùm dubitare licet, an emptor poſſit in deteriori ſtatu collocare bona quæ ab obærato peſſimæ fidei homine accepit,ea illi reſtituens quod fieri poſſe aiebat Auila.De hoc inquam dubitari poſſe dico. Quod enim latroni liceat reſtituere rem ab eo bona fide emptam, & reſcindere comperto ſcelere contractum vt recuperetur pretium; ratio eſt quia alioqui emptor bonæ fidei pateretur damnum nullo admiſſo peccato.

to. At in re præſenti, emptor fiduciarius prætcrquam quod peccauit contra ius creditorum cum cooperatus eſt occultationi bonorum, quam iniuſtitiam hac bonorum illorum poſitione in creditorum poteſtate optimè ſarciet; nullum exinde patietur diſpendium, quia cum venditio fuerit colorata, nullum pretium numerauit, vel ſtatim à conſummato contractu recepit. Imo etiamſi non recepiſſet, eadem eius eſſe ratio deberet quoad pretij illius amiſſionem, ac emptoris qui mala fide à latrone rem emit, nec poteſt pretium appenſum recuperare niſi rem latroni reddat: quod fieri ab eo non poſſe, ſed debere rem vero domino reddere, etiam ſi facienda eſſet pretij iactura, in confeſſo eſt. Sed vt his admiſſis in detectione obærati per complicem ſiſtam, dico iuxta ſuperiùs conſtituta, ſi vterque fraudis artifex ſit prorſus occultus, & diſpendium quod creditores ſubeunt non præponderet damno quod alterutri vel vtrique noxio ex detectione reſultabit, complex poteſt ac debet ſilere non obſtante monitorio, ſalua ſemper curandæ aut faciendæ reſtitutionis obligatione. Si autem iſta deficiant, ſed damnum creditorum longè grauius ſit damno quod fraudis artificibus ex detectione obueniet; vel certè ſi neuter vel alteruter ſit prorſus occultus, ideóque iuridicè quamuis non niſi generaliter interpellentur per monitorium ad aperiendam veritatem, tenebitur complex reum principalem aperire, & fraudem ſimul factam detegere.

QVÆSITVM XII.

Ligétne monitorium ad pandendam perſonam criminoſam valdè coniunctam.

RESpondeo negatiuè regulariter loquẽdo, etiamſi per monitorium generaliter edicatur, vt quilibet conſcius, quemcunque alium noxium in cauſa de qua agitur patefaciat. Ita Nauar. repetit. in cap. *inter verba*, concluſ. 6. num. 312. Gutierres l. 1. qq. Canon. cap. 11. num. 54. & multi quos adducit Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 47. Ratio eſt quia præceptum humanum non poteſt obligare ad rem adeò arduam cuiuſmodi eſt detectio criminoſi valdè coniuncti, qui eadem ferè perſona nobiſcum cenſetur, & cuius detectio ſit futura perpetuus fons iurgiorum & diſſidiorum inteſtinorum inter eos qui vitam omnem ſimul exigere ob coniunctionem aſtringuntur. Sanè lex ciuilis, cui lex Eccleſiaſtica non debet de benignitate concedere, l. 4. ff. de teſt. diſertè cauit, *ne inuito denũcietur vt teſtimonium litis dicat aduerſus ſocerum, generum, vitricũ, priuignum, ſobrinum, ſobrinã, ſobrino natum, eóſve qui in priori gradu ſunt*. Quinetiam patronos ac libertos inter ſe, ac rèſpectu cognatorum in prædictis gradibus, legiſlator eodem teſtificandi onere exemptos voluit. Varia alia iura quibus conſtitutum eſt, vt nemo in criminali cauſa contra cõſanguineum vſque ad quartum gradum, & contra alios æquè ac magis coniunctos teſtificari adigatur, collegit Molina tract. 3. de iuſt.

iuſt. diſp.44. num.11. & 12. Nimirum perſpexêre legiſlatores quid ferant vires humanæ poteſtatis ciuilis in ferendis præceptis quæ captui ſubditorum debent eſſe accommodata, ne ſint importabilia, proindéque fruſtra imponantur. Itaque poteſtas Eccleſiaſtica, quæ magnam partem non niſi in ſubſidium ciuilis poteſtatis decernit monitoria, non poteſt vrgere aliquem ad eum detegendum, quem ciuili lege celare ſinitur, ob nimiam coniunctionem. Nec refert quod ea perſona non ſit prorſus occulta, ſed vel infamia, vel manifeſtis indiciis, aut ſemiprobatione ita grauetur accommodatè ad rationem iudicij inſtitutam aduerſus eam, vt ipſe coniunctus ſi de eo ageretur & ſimiliter grauaretur, teneretur ſe prodere. Nihilominus enim præceptum de huiuſmodi perſona detegenda non vrget, quamuis vrgeret ad detegendum ſeipſum. Ratio diſparitatis afferri poteſt, quia denunciator & teſtis in iudicio ſe habent actiuè, & quaſi impetendo reum in fama aut vita aliiſve bonis; ad quod perſonam coniunctiſſimam nulla ſua culpa ad id obſtrictam adigere, inhumanum & aſperum eſſet, imo ferum & crudele. At reus cõfitens, non ſe habet actiuè, nec ſe impetit, ſed nudè contuendum præbet quod reuera fecit: ac proinde non poteſt idcirco cenſeri cauſa damni quod ſubibit, nec erit nimis durum ſuppoſita veritate facti, eum vrgere & adigere ad ſic ſe habendum. Pręterquàm quod ex ea ſui detectione, nullæ timendæ erunt hominis aduerſus ſeipſum graues offenſiones perpetuæ, quæ in magnum communitatis damnum redundare ſolent: ſicut moraliter loquendo ex detectione coniunctorum per coniunctos, exiſterent grauia charitatis mutuæ & pacis

O vulnera,

vulnera, ægerrimè vnquam obducenda.

Neque igitur pater filium, neque maritus vxorem, aut è contrario; nec frater fratrem aut ſororem, teneatur detegere vi monitorij. Id tamen intelligo de patre & fratre ſecundùm carnem. Nam filium ſpiritualem, teneri vi monitorij detegere patrem ſpiritualem contra Franciſcum Curtium l.de teſtibus concluſ.30. docet & rectè Nauar.repetit.in c.*inter verba*,concluſ. 6.corol.66. num,412. & Farinacius tract.de teſtibus q.54.num.194.& cum multis Barboſa de poteſt.Epiſc. allegat.96. num.55. An quoad alios cognatos præter prædictos ſit eadem à monitorio immunitas, etiamſi à conſciis non detegantur, ambigunt aliqui. Sed placet quod ſtatuunt Angelus, & Syluester, v. *familia*, & cum aliis Auila 2. part. cap. 5. diſp. 5. dub. 2. idem pronunciandum eſſe de ſocero & genero, déque cognatis omnibus intra quartum gradum. Ita enim neceſſè eſt aſſerere, vt vitentur diſſenſiones & odia inter cognatos, quorum iurgia tam noxia ſunt Rebuſpublicis, támque tetram mephitim inhalant quoties interueniunt. Abſque dubio autem interuenirent iurgia & odia, ſi cognatus intra prædictos gradus aduerſus cognatum ageret teſtem aut denunciatorem. Quare ad id non vrgentur lato in quoſuis conſcios monitorio. Neque eſt adhibenda temperatio non neceſſaria quam huic reſolutioni apponunt Naldus v. *reuelare*, num.8. & Bonacin.tract.6. ex variis p.1. §.3. num, 5. Nimirum quod hi quoque ſint ad detegendum cognatum obligandi monitorio, ſi detegere poſſint ſine graui damno. Voco hanc limitationem non neceſſariam, eámque idcirco reiicio; quia ratio adducta demonſtrat, non poſſe à tali reuelatione

abeſſe

abeſſe graue damnum perſonę coniunctæ detegentis. Eodémque modo reiicitur limitatio alia quam adhibent nonnulli reiecti ab Auila 2.p.c.5. diſp.5. dub.1. concl.1. nimirum quod cognati à denunciandis cognatis tantùm excuſentur in criminali cauſa, non autem in ciuili. Verùm ratio propoſita vrget vniuerſaliter. Ex eáque ritè perpenſa, effici inſuper videtur, idipſum quod de cognato vi monitorij non detegendo dictum eſt, dicendum ſimiliter eſſe de amico coniunctiſſimo, & de benefactore planè inſigni, quorum detectio grauiter exaſperaret, & feritatem vel non leuem ingratitudinem redoleret.

Aiebam tamen hanc reſolutionem valere regulariter loquendo, quia interdum occurrunt euentus in quibus conſecrandæ ſunt cuiuis manus ſuæ Domino in ſanguine coniunctorum. Itaque quotieſcunque ex non facta aliquarum perſonarum detectione, grande malum Reipublicæ immineret, monitorium ligabit conſcios quoſcunque ad eas detegendas. In crimine læſæ maieſtatis, ita ſentit Maſcardus concluſ. 561. n. 9. & concl. 857. num. 20. & 23. & Azor t.2.l.2. c.2.q. 12. & 13. & cum Farinacio, Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 57. Id tamen intelligendum eſt de crimine adhuc pendente, non autem de iam admiſſo prorſúſque tranſacto, cuius detectio ad nihil conferret quantum attinet ad malum illud auertendum. De hæreſi idem affirmant plerique, obſtringentes quemcunque ad detectionem cuiuſcunque ea lue laborantis, ne ſerpat in commune exitium. Ita Suarez d. 20. de fide ſ.4.num.21. Azor q. illa 13. Comitolus 4. reſponſ. q.8. Auila 2.p.cap.5. diſp.5. dub.2. & benè multi quos refert & ſequitur Diana tract. de denúc. reſol.4.

& 5.& Barboſa ſupra num. 56. quibus ſubſcribendum eſt; ſi agatur de hæreticis dogmatizantibus, vt rectè diſtinxit Simancas tract. de patre hæretico, & in Cathol inſtit. tit. 29 num. 37. videtúrque idem velle Sanchez l. 6. conſil. cap. 2. dub. 19. num. 6. & 9. Non placet autem Abul. qui in c. 13. Deuter. q. 3. indiſtinctè negat, filium teneri detegere patrem hæreticum. Crimen Confeſſarij ſollicitantis, eodem loco reponit Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 3. num. 6. Quoad crimina verò minùs tetra, vel quorum contagium non eſt adeò metuendum, retinenda eſt reſolutio propoſita. Ideóque verius videtur quòd aſſerunt Lazarius tract. de blaſphemia q. 12. & Homobonus tract. de caſ. reſeru. p. 2. c. 1. & Diana ſupra reſolut. 6. repugnante licet Comitolo 4. reſponſ. q. 8. & Bonacina loco annotato; nimirum non teneri vxorem aut filium, mariti vel patris blaſphemias detegere, lato licet eam in rem monitorio.

QVÆSITVM XIII.

An monitorium obligationem iniiciat detegendi eum qui reuera non deliquit, vel abſque culpa omittit quod monitorio mandatur.

RESpondeo, non iniicere obligationem. V. g. vt à primo quæſiti membro ordiar, fertur monitorium vt omnes qui ſciunt quiſnam bona Sempronij furatus ſit, illum detegant. Compertum mihi eſt, Caium ea bona accepiſſe in iuſtam compenſationem. Non

Non adigor per monitorium ad eum detegendum. Tum quia Caius non eſt ea bona furatus, cum tamen monitorium ſupponatur de eis duntaxat detegendis latum, qui furati ſunt. Tum etiam quia quamuis monitorium mandaret omnes Sempronij bonorum detentores detegi, intelligendum id eſſet de iniuſtis detentoribus: cuiuſmodi non eſt qui ſe iuſtè compenſauit, aut qui bona iuſtè præſcripſit, eáve aliquo iuſto titulo detentionem emundante, apud ſe habet. Ita Suarez t. 5.3.p.d.20.ſ. 3.num.12. Ludou. Lopez p. 2. inſtruct.c.12. Bonac.cum permultis tract. 6. ex variis p.1.§.6.num.3. Eodem recidit quod ait Nauarr. conſil. 34. de ſent. excom. num. 2. poſt Ripam tract. de peſte, nempe eum non teneri reuelare, qui ſcit partem in cuius gratiam monitorium eſt conceſſum, iure carere. Quod mox Nauarrus n. 3. extendit ad iudicium conceptum per iuſtam cauſam credendi, atque adeò ad credulitatem ex iudicio probabili. Quare qui ſcit vel probabiliter credit, partem deſtitui iure in rem quam poſcit per monitorium; vel qui ſaltem probabiliter iudicat ſuum eſſe quod petitur, non ligatur monitorio indicente reuelationem.

Eadem ratio militat pro reſponſione negatiua ad ſecundum membrum quæſiti. Supponamus enim Titium furatum eſſe quippiam non leue quod poſteà conſumpſerit, nec iam habere vnde reſtituat, vel certè ob graue damnum ex reſtitutione nunc facta obuenturum differre abſque culpa reſtitutionem: Inſtante autem domino ferri monitorium, quo omnes iubeantur rei ablatæ detentorem detegere. Nego conſcios teneri reuelare Titium, quia retentio non eſt ei culpabilis. Monitorium autem, ſicut ſi ferretur ad ex-

torquendam reſtitutionem, non vrgeret Titium impotentem, vel iuſta ex cauſa differentem reſtituere: ita cum fertur ad reuelationem extorquendam, non vrget eos qui ſciunt detentionem rei, eiúſve non reſtitutionem culpa vacare. Quid enim proderit ſi reuelent. Accedit quod obiectum reuelationis indictæ, eſt iniuſta detentio, quę ſupponitur abeſſe. Et ita Suarez t.5.3.p.d.20.ſ.3.num. 12. & cum multis Lazarius ſ.2.q.13.ac Bonac.tract.6.ex variis p.1.§.6.num.4.qui tamen obligat ad detegendum eum qui eſſet potens quoad aliquam partem debiti, etiamſi non quoad totum debitum: itémque eum qui poſtea potens erit. Verùm vt ſit obligatio detegendi potentem quoad vnam partem, neceſſe eſt eam partem eſſe notabilem, & cuius (ſaltem vt aliis iunctæ) detentio ſufficiat ad mortalem culpam in ea detentione contrahendam, iuxta dicta ſuperiùs c. 2. ad quæſitum 1. vt item ſit obligatio detegendi eum qui poſtea potens erit, neceſſarium videtur, vt vel iam nunc habeat ius ad aliquid poſtea cum effectu conſequendum, vel ſaltem iam non polleat induſtria, quam ſi adhibere velit, ſit proximè habiturus vnde ſatisfaciat. Alia enim quæcunque potentia futura eſſet nunc planè incerta, nec ſuppeditaret fundamentum obligationis reuelandi. Porrò in dubio an is de quo reuelando agitur, per impotentiam excuſetùr; atque adeò an vlterior rei detentio vel non reſtitutio vacet culpa, rectè Sayrus in Claui l.12.c.14 num.3. pronunciat eſſe obligationem reuelandi, & monitorium ligare. In dubio tamen quo poſſeſſor rei ambigeret an teneretur reddere, ſicut ipſe quia poſſidet, non tenetur reddere, ita neque conſcij tenentur eum detegere.

Pertinet

Pertinet eodem quod Philiarcus 1. p. de Offic. Sacerd. l. 3. c. 34. rectè admonuit, nempe monitorium non ligare ad detegendum eum qui facit quod poteſt vt ſatisfaciat parti quæ monitorium impetrauit; ſaluam duntaxat volens famam ſuam, in euentibus in quibus fas eſt famæ conſulere. Nam cauſa quæ principalem excuſat à reſtituendo, alióve quopiam præſtando, æquè excuſat conſcios, à reuelando, cum idcirco tantùm teneantur reuelare, vt principalis præſtet quod debet.

QVÆSITVM XIV.

Sítne obligatio detegendi quos pars vel Iudex in monitorio includi noluit.

RESpondeo, nullam eſſe obligationem eos detegendi. Ac primùm quod eos quos pars includi noluit, res eſt manifeſta, quia poteſtas Eccleſiaſtica ferens monitorium in gratiam partis, non intendit obligare vltra partis voluntatem. Igitur quos pars expreſsè conteſtabitur nolle ſe includi, ac etiam quos iuſtè & rationabiliter præſumetur noluiſſe includere in monitorio, non ſunt à conſciis ex obligatione detegendi. Ita Molina tract. 2. de Iuſt. diſp. 686. num. 2. Filliuc. tract. 14. c. 1. q. 7. num. 18. & c. 2. q. 7. num. 38. Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 71. Bonac. tract. 6. ex variis p. 1. §. 1. num. 1. & multi cum Theologi, tum Iuriſperiti, apud Neuizanum l. 3. Syluæ nupt. num. 55. Itaque quia pars non præſumitur vo-

luiſſe patrem, matrem, vxoré, liberos ſuos monitorio ſubiici, nõ erit obligatio eos detegendi. Aliud quoad filios ſi monitoriũ pro furto domeſtico ſit impetratũ, ſtatuunt Hugol. de poteſt. Epiſc. p. 2. c. 45. §. 4. & Naldus v. *excõmunicatio*, n. 8. Perſto tamé in ſententia, niſi aliunde conſtet mentem eius qui monitorium impetrauit aliud ferre, omninóque velle, vt hi quoque, ſi rei ſint, manifeſtentur: quod pro negotij qualitate & circunſtantiis prudenter diiudicandum eſt, cum verba nihil peculiare exprimunt quoad iſtos; ſicut cenſerentur exprimere ſi adhiberetur clauſula, *nullo excepto*, aut *nemine dempto*, qua ſignificaretur, voluntatem partis, atque adeò etiam Iudicis eſſe vt quicunque tandem reus ſit, aperiatur: alioqui enim perſonæ tam coniunctæ, non ſunt ex obligatione detegendæ vi monitorij. Sunt qui id extendant ad earum complices, v.g. ad famulos ſocios furti filiorum, ac ſimilium. Nam quandoquidem is qui monitorium impetrauit, præſumitur noluiſſe filios v.g. includi in monitorio, vt eorum famæ parcatur: Ita neque videtur voluiſſe vt eorum complices detegantur, ne conſequatur infamatio perſonarum quas habet chariſſimas. Exiſtimo tamen rectè Hugolinum 2. p. de offic. Epiſc. c. 17. & Naldum v. *Filius*, num. 3. cenſuiſſe obligationem monitorio iniici ad hos complices perſonarum coniunctarum detegendos, quia hæc videtur eſſe mens partis: nec præſumpta eius voluntas quoad ipſas perſonas coniunctas, extendenda eſt ad earum complices, ac ſocios: quia etiamſi ex complicum detectione ſit indirectè conſecutura infamatio aliqua perſonarum coniunctarum, tamen id incertum eſt, fortaſſis enim non detegentur: Et

quidquid ſit de infamatione, tamen immunes erunt à tam multis damnis excommunicationis.

Non eſſe quoque obligationem detegendi eos ad quos Iudex monitorium pertinere noluit, eſt extra controuerſiam, quia totum monitorij robur eſt ab intentione Iudicis. Quare nemo conſciorum detegere tenetur quoſcunque Iudex noluerit detegi. Et præter eos quos expreſsè declararet ſe eximere, tales quoque eſſe præſumuntur, omnes quos iuſta cauſa excuſat ne præſtent id ob quod omiſſum, eſſent detegendi ſpectato ſolo cortice verborum monitorij. Tales item præſumi debent, ij quos priùs circa monitorij materiam pepigiſſe cum parte monitorium poſcente conſtaret. Neque enim Iudex ſi hoc pactum habuiſſet perſpectum, nec alij vlli fuiſſent quos partis interfuiſſet cognoſcere, conceſſiſſet monitorium ad reuelandum, & ita rectè Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 55. & Gutierres l. 1. qq. Can. c. 11. à num. 67. Egi de eo quem Iudex includi noluit, non autem de eo quem monitorij promulgator vellet exceptum. Neque enim vis monitorij eſt à promulgante, ſed à ferente, ſiue à Iudice. Itaque in eo euentu quem memorat Franciſcus Marcus p. 2. deciſ. 801. Sacerdos monitorij promulgator idémque reus, non euaſit cenſuram monitorij quod ipſe promulgabat, quantumvis ſe exceptum vellet. Nec plura de obiecto vi monitorij detegendo, tum quoad materias, tum quoad perſonas. Nunc ad actum reuelationis, eiúſque faciendæ modum progrediamur.

QVÆSITVM XV.

Cui, & quomodo facienda ſit reuelatio per monitorium indicta.

REſpondeo, faciendam eſſe Iudici iiſve quos ipſe ſibi ſuffecerit, nec aliter faciendam quàm eo modo qui in monitorio exprimitur, & quo conſtet vtilem fore parti iuxta mentem Iudicis. Aio reuelationem faciendam eſſe Iudici, aut quod perinde eſt iis quos ipſe ſibi ſubrogauerit, quia vt rectè Syluester notauit v. *excommunicatio*, 2. num. 18. non eſt reuelatio facienda parti. Id enim eſſet magnum incentiuum odiorum. Itaque facienda eſt Superiori, ſiue vt Iudici, ſiue vt patri, pro vario modo quo reuelatio imperatur. Interdum enim intenditur duntaxat emendatio noxij, & impeditio peccati: Et tunc reuelatio fit ſuperiori vt patri qui non ſit obfuturus, nec ad pœnam aſperam irrogandam proceſſurus, ſed præcisè conſulturus bono ſubditi. Aliàs verò intenditur iuridica punitio & caſtigatio eius qui deliquit, vt cæteri timorem habeant, & ipſi noxio reponatur pro malè captato bono iuſtum malum vltorium, vt cum Tertulliano dicam. Vnde in hoc modo procedendi non curatur fama denunciati, ſed regulariter loquendo quæritur bonum vel commune, vel ipſius denunciantis, vt rectè obſeruat Molina tract. 4. de Iuſt. diſp. 32. num. 6. Hanc denunciationem ſecundam, vocant iuridicam ſiue iudicialem, quæ differt ab accuſatione in qua is

qui

qui crimen defert ſit pars iudicij, vnde obligatur probare crimen quod detulit; ad quod ſimplex denunciator non cogitur, vt conſtat ex cap. *ſuper his*, de accuſation. vbi additur aliud diſcrimen; quod denunciationem non eſt neceſſarium ſcriptis committi, cum tamen accuſatio ſit recipienda in ſcriptis, vt notat D. Thom. 2. 2. q. 68. artic. 2. ex cap. *accuſatorum*, 2. q. 8. Aliud diſcrimen accuſationis & denunciationis ex finibus, refert & excutit Suarez d. 20. de fide ſ. 4. num. 3. adducens alios plenius ac fuſius iſta ſcrutatos.

Vtro autem ex duobus modis prædictis facienda ſit reuelatio, colligendum eſt ex adiunctis monitorij cum nihil expreſsè in eo habetur. Vel ſi ne ex adiunctis quidem aliquid poſſit in hanc rem erui, hoc tempore attendendo vſum frequentiorem pręſumendum potiùs eſt, ſcopum Iudicis eſſe punitionem, quamuis ſpectato munere paſtorum, aliud potiùs præſumendum videretur, vt ſuprà dixi ad quæſitum 9. Quando verò incideret dubium, an Iudex per monitorium vocaret ad denunciandum alterutro ex dictis modis, an verò ad teſtificandum duntaxat, vnde ſit petenda dubij depulſio attigi c. 1. q. 2. addidique, ſi nulla ex parte lux affulgeat, præſumi Iudicem vocare conſcios ad teſtificandum. Quæcunque porrò ex prædictis reuelandi ratio ineatur, neceſſe eſt reuelantem clarè ac perſpicuè reuelare quod nouit. Quanquam interdum neceſſe eſt Iudicem Eccleſiaſticum confuſa reuelatione eſſe contentum, vt benè cum aliis notauit Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11 num. 84. Nimirum ſi reus facti propter quod monitorium fuit latum, ſiſtat ſe Iudici, profitens verè ſe eſſe qui patrauit id de quo agitur; habuiſſe tamen iuſtam faciendi cauſam, quam

expoſiturus

expoſiturus & probaturus ſit diſtinctiùs Iudici ſuo ſeculari ad quem ſe remitti poſtulet. Tunc enim Iudex Eccleſiaſticus debet ibi ſiſtere, nec vltra illam confuſam reuelationem quærere aliam. Nec ſanè pertinet ad poteſtatem ſacram in eo euentu, vlteriùs ſcrutari iuſtitiam facti, ſed id examinandum Iudici laico poteſt debétque permittere: quod vnum puto voluiſſe Ægidium Magiſtrum in deciſ. Pariſ. tit. de appellat. ex abuſu c.4. Depoſci poſſe à reuelante, vt reuelationem firmet iuramento, ſcribit Alba conſilio 15. & omnino debere ita fieri vt certior ſit ac firmior reuelationis fides, ſæpè ingeminat Ripa reſponſo 77. excutiens teſtificationes vi cuiuſdam monitorij elicitas. Regulariter tamen ne conſcientiæ magis illaqueentur, abſtinetur eo mandato, nec quiſquam compellitur cum iuramento deponere, vt ait Genuenſis in praxi c.1.n. 16. & ex eo Barboſa allegat. 96. num. 34.

Iam ad modum in reuelatione facienda ſeruandum, vt reuelatio ſit vtilis parti quæ monitorium popoſcit, pertinet vt non verbo duntaxat fiat, ſed etiam ſcripto committatur; & quidem per Notarium idoneum, vt depoſitio fidem in iudicio faciat. Quæ ratio confirmat, nomen quoque & cognomen denunciantis, aut quomodolibet reuelantis exprimendum eſſe in eo ſcripto quo continetur depoſitio, quod conſentaneum eſt iis quæ præſcribuntur c. *dilectus*, de accuſation. Videndus Genuenſis in praxi c.18. num. 2. Interdum tamen cum reuelanti ſi notus fieret damnum immineret, fit reuelatio miſſa ſchedula, rem quidem reuelandam continente, ſed abſque reuelantis adſcriptione, vt notat Philiarcus p.1. de offic. Sacerd. l.3.c. 34.§.1. limitatione 8. Nam quamuis ſchedula non habeat

beat vim probandi, aut accuſandi ad effectum inquirendi niſi præuia infamia vel idoneis indiciis, tamen habet aliqualem vſum de quo Maſcardus concluſ. 247. Nec plura generatim de modo in facienda reuelatione tenendo. Nunc ſigillatim nonnulla eodem pertinentia attingamus.

QVÆSITVM XVI.

Num reus vi monitorij detegendus ſit omiſſa correctione fraterna.

RESpondeo, ſi monitorij ſcopus ſit rei emendatio, præmittendam eſſe reuelationi correctionem in euentibus in quibus pręceptum fraternæ correctionis vim habet. Interdum enim vt conſtat ex 2.2.q.35. leges charitatis ferunt, vt adhibeatur proximo fraterna correctio inter nos & ipſum ſolum, priuſquàm crimen eius dicatur Eccleſiæ iuxta Chriſti ipſius oraculum. Aliquando autem quia deeſt ſpes profectus, vel quia eſſet periculum in mora, v.g. quia fur elaberetur, prætermittitur fraterna correctio abſque labe, rectáque aditur ſuperior, vt ſecuriùs & robuſtiùs proſpiciat. Quandiu igitur per noxij diſpoſitionem, & non omnimodam obfirmationem, & per extrinſeca damna quæ timentur, licet præmittere fraternam rei correctionem, non eſt dubium quin ſit præmittenda; nec eas inducias negat monitorium de quo agimus; quod ſcilicet latum eſt ad corrigendum reum, & impediendum peccatum eiúſve prorogationem: Ita vt etiamſi

intra tempus in monitorio præfixum, non potuerit adhiberi quæ ſperatur profutura fratris correctio, non ſit idcirco cenſendus monitorij cenſuram incurriſſe qui non reuelauerit, vt notaui c. 1. agens de termino præfixo monitoriis. Et quamuis poſtea deprehenderetur correctionem fuiſſe inutilem, tamen prudens illa comperendinatio vltra terminum conſtitutum ad reuelandum, qua prudenter captata eſſet corrigendi occaſio, non verteretur vitio. Quinetiam ſi ſemel adhibita correctio non profeciſſet, adhuc poſſet prudenti arbitrio differri detectio, ſaluo monitorio: quod cum contineat præceptum Eccleſiæ, atque adeò benignum, non excludit huiuſmodi moras. Admonet quoque Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. num. 73. cum SS. Thoma, Antonino, itémque Nauarro & Corduba, tam neceſſariam eſſe adhibitionem correctionis, vt quamuis in euentibus de quibus nunc agimus, Iudex mandaret omitti correctionem, non eſſet ei obtemperandum. Et ratio eſt perſpicua. Nam monitorium continet mandatum purè humanum. At præceptum corrigendi proximum ſi ſpes profectus affulgeat, ſpectat ad naturalem & diuinam legem, cui leges omnes humanæ de efficacitate debent concedere. Non benè autem Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 46. ſtatuit nunquam eſſe obligationem præmittendi reuelationi fraternam correctionem; argumento inde ducto, quod denunciatio per monitorium extorta, ſit iudicialis. Vim tamen huius argumenti, apertè elidit ratio proximè in contrarium propoſita.

Iam verò in euentibus in quibus præceptum de adhibenda fraterna correctione non habet locum, vt contingeret ſi ea eſſet rei diſpoſitio vt nihil ab eo eſ-

ſet

ſet ſperandum; vel ſi pericula grauium damnorum bono publico aut priuato impendentium omnem remoram excluderent: itémque ſi ageretur de monitorio ad alium finem quàm præcauendi vel emendandi peccati de quo hactenus egimus; ſed ſcopus monitorij eſſet, extorquere reuelationem ad puniendum reum de ſcelere iam perpetrato nec vlteriùs pendente; tunc non eſt præmittenda fraterna correctio, ſed dummodò peccatum tale ſit quod detegi poſſit abſque iniuria; quia ſcilicet vel non eſt prorſus occultum aliis, vel vergit in tertij cuiuſpiam aut etiam in publicum exitium, parendum illico eſt monitorio reuelationem indicenti; quia tunc correctio fraterna vel nulli vſui eſſet, vel ſcopo monitorij vltionem quęrentis non congrueret. Ita cum aliis Auila 2.p.c.5. diſp.4. dub.2.concluſ.3. Non pauci negarunt præmittendam vnquam eſſe correctionem, ſi agatur de hæretico formali. Profert ad id complures eiſque ſubſcribit Diana tract.de denunc. reſol.2. qui videtur idem extendere ad omnia crimina quorum diſquiſitio pertinet ad tribunal S.Officij. Multi tamen ab eodem Diana recenſiti, contrarium aſſerunt, etiam quoad hæreſim formalem, quibus addendus eſt Sanchez l.6.conſil.c. 2. dub. 14. num. 8. eſtque ea ſententia ſatis veriſimilis; præſertim ſi non agatur de hæreticis dogmatizantibus, à quibus & minor ſpes profectus ex adhibita correctione fraterna ſolet affulgere, & maius periculum ob virulentiam & malignitatem impendet. Indubitata verò haberi deberet ea ſententia quæ correctionem fraternam etiam hæretico priuſquàm denuncietur adhiberi vult, ſi ſermo eſſet de eo qui non niſi materiali hæreſi laboraret. Nec leuiter peccant

plerique prurientes linguis, qui Concionatorem ex inaduertentia aut ignorantia inuincibili lapſum, illico deferunt prætermiſſa correctione fraterna. Id enim à malo eſſe nec labe vacare, rectè admonuit Bonac.tract.6.ex variis p.1.§.8.num.5. Eſt is affectus inuidorum proprius, vt notauit S.Baſilius homil.de inuidia, componens eos cum muſcis, quæ dimiſſo reliquo corpore ſano & benè compoſito, ſi quid in eo vlceroſum & purulentum ſit, eò aduolant. Adhibuerat illam ipſam comparationem ante Baſilium, S. Iuſtinus in dialog.cum Tryphone, docens id fuiſſe Iudaicum vitium.

In dubio de diſpoſitione noxij, & vtilitate correctionis, cenſeo ad periculum damni imminentis eſſe attendendum: ita vt obligatio hæc diiudicetur ex quantitate, (vt ſic dicam) ſpei de reportando fructu ex correctione præmiſſa, collata cum quantitate metus de perdenda opera. Nam ſi ſpes non præponderet, & pericula damnorum grauium non ſint exigua, præferendum erit quod tutius eſt; nimirum rem illico ſuperiori detegere vt proſpiciat. Si autem non ſit periculum magnorum malorum, vel ſi periculum qualiumcunque malorum non ſit proximum, nec modica ſpes affulgeat fructus ex correctione obuenturi, tentanda priùs erit correctio. Quam praxim in tali dubio, nõnulli etiam quoad formalem hæreſim, & affinia crimina probant, vt refert Delrio l.5. Mag.ſ.4.n.6.qui tamen haud abs re quoad hæreſim formalem & enormia huiuſmodi ſcelera, aliud pronũciat: eo quod reſpectu huiuſmodi ſummorum criminum, vix poſſit contingere, vt res eũ ſtatum ſortiatur, in quo diximus correctioné in dubio præmittendã eſſe denũciationi.

QVÆ

QVÆSITVM XVII.

Teneatúrne quis vi monitorij, reuelare cum graui ſuo, aut ſuorum damno.

Reſpondeo, regulariter loquendo, non teneri quenquam cum graui ſuo damno reuelare. Ita Soto relect. de ſecreto memb. 2. q. 6. dub. 5 Suarez t. 5. 3. p. d. 20. ſ. 3. num. 9. Ex Iuriſperitis Neuiz. l. 3. ſyluæ nupt. num. 47. & Felin. in cap. *dilectorum.* de teſt. cog. num. 3. Refert hos Iuriſperitos & malè repudiat Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſuram cogendis num. 37. negans iuſtam habere excuſationis cauſam quenquã propter minas alterius, etiam qui eas exequi conſueuerit quominus vi monitorij teneatur reuelare. Quod cũ vniuerſaliter & abſque reſtrictione dicatur, pertinet quoque ad intentationem grauis damni: ac proinde mens illius autoris eſt, quocunque damno imminente, aut per timorem non irrationabilem nec leuiter conceptum obiecto, teneri conſcios reuelare. Sed contrarium eſt aſſerendum; quia præceptum humanum rationabile, cuiuſmodi eſt præceptum monitorio contentum, non obligat cum graui diſcrimine quod non ſit per ſe coniunctum actui pręcepto, ſed ei contingenter adiungatur, vt latè confirmat Sanchez l. 1. in decalog. c. 18. à num. 4. & Suarez l. 3. de legibus c. 30. num. 6. Nemo igitur obligatur reuelare, ſi ex reuelatione graue ſibi malum meritò timeat. Vnde ſi monitorium mandet reuelari delictum

ab aliquo admiſſum cuius ego ſim conſcius, iſque à quo ſcelus admiſſum eſt, denunciatione per me facta, reſciturus aut non dubitaturus ſit quin ego denunciauerim; indéque non leue periculum in vita, fama, aut fortunis vereri meritò debeam, vel inde capitales inimicitiæ, periculorũ refertæ iure ſint timendæ, non tenebor reum detegere, nec per ſilentium incurram in decretam monitorio cenſuram. Similiter ſi fur me docuerit vbi ſit res furtiua, & monitorium mandet conſciis vbinam res illa ſit, vt locum reuelent, non tenebor reuelare; niſi poſſim probare me id à fure compeiſſe. Nam ſi reuelem, nec poſſim probare me à fure id didiciſſe, habebor fur, aut furti complex, cum magno damno meo atque infamia. Itaque non ero reus cenſuræ per monitorium intentatæ etiamſi taceam, vt rectè aſſeruit Sayrus in Claui l. 12. cap. 14. num. 25. Eandem ob cauſam, vaſſallus non vrgetur monitorio ad reuelandum contra dominum ſuum, quia id poſtea peſſimè vaſſallo cederet. Sic Neuizanus l. 3. ſyluæ nupt. num. 47. & Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 11. num. 56. Denique ne ad varios particulares euentus ſine cauſa deſcendam, quoties ex reuelatione, notabile vitæ propriæ aut famæ, vel bonorum periculum imminebit, ceſſabit detegendi obligatio. Et ita ex benè multis Diana tract. de denunc. reſolut. 7.

Aiebam tamen hæc non valere niſi regulariter loquendo, quia præferendum eſt ſemper commune bonum, priuato, etiam proprio. Vnde quantumcunque priuatim mihi immineret damnum graue, ac vel ſi ingrueret mihi mors ex detectione perſonæ exitium machinantis religioni, aut Reipublicæ; negligendum eſſet diſpendium proprium, & eius conculcatione

conſulendum

conſulendum foret publico bono, facta reuelatione indicta per monitorium, id quod æquè abſque monitorio fuiſſet præſtandum. Ita rectè Genuenſis in praxi cap. 18. num. 8. Et Sanchez l. 6. opuſc. c. 2. dub. 22. n. 2. éſtque perſpicuum ex ſæpè annotatis ſuperiùs circa varios euentus, in quibus per ſe loquendo vidimus monitorium non fuiſſe iniecturum obligationem reuelandi, quæ tamen per accidens ob graue damnum præſertim religioni aut publico bono imminens, iniicitur conſcio de grauiſſimorum Doctorum ſententia.

Quod dictum eſt de periculo grauis damni proprij, extēdendum æquè eſt ad periculū damni ſimilis, ex mea reuelatione imminentis perſonis mihi coniunctiſſimis. Quale eſſet, ſi crimnoſus nihil aduerſum me moliri valens, prænoſceretur irruiturus in perſonā mihi valdè coniunctam eius violentiæ obnoxiam, v. g. parentes, liberos, fratres, ſorores, & alios quorum mecum valdè arctus ſit nexus, aut ſanguinis, aut alterius magnæ neceſſitudinis. Tunc enim non tenerer reuelare criminoſum illum regulariter loquendo; id eſt dempto magno quopiam communis boni diſcrimine, cui eſſet ea reuelatione proſpiciendum, non obſtante incommodo, imminente cuiuis quantumlibet mihi coniuncto. Ratio autem cur extra hunc euentum, reuelandi obligatio non iniicitur per monitorium, perſpicua eſt. Nam perſona adeò coniuncta, reputatur alter ipſe. Sic patri acerbiſſimum accidere incommodum liberorum, víxque acriùs tangi poſſe parentem quàm liberorum afflictione, erga quos præ oculorum pupillis afficitur, obſeruat Iſidorus Peluſ. l. 2. epiſt. 81.

QVÆSITVM XVIII.

Quid ſi ex reuelatione per monitorium indicta, ſecuturum ſit graue iniuſtum damnum tertij cuiuſcunque.

Reſpondeo, non eſſe obligationem reuelandi. Ratio eſt, quia Iudex Eccleſiaſticus decernens monitorium, non intendit vt ſim cauſa alieni damni iniuſti. Atqui id ſupponitur ex reuelatione per me facta conſecuturum. V. g. habet Sempronius ſiue furto, ſiue depoſito, aut quomodolibet aliter, inſtrumentum adulterinum Caij, quod ſi proferatur, imminebit iniuſtum exitium Titio. Tametſi feratur monitorium inſtante Caio, ad comparandam inſtrumenti illius notitiam, in perniciem Titij inde iniquè exturbandi fortunis omnibus, abſtinebo tamen reuelatione, nec indicabo inſtrumentum illud penes Sempronium eſſe, vt Titius ſit indemnis: nec ea in re deflectam à mente Iudicis, qui ferens monitorium, intendit præſertim vt excludantur peccata, nec ſit qui in ſcelere & iniuſtitia hæreat. Cui fini ſeruiet ſilentium meum, reuelatio autem officeret. Quare meritò abſtinebo reuelatione. Niſi ſi in aliquo euentu, ex reuelatione conſecuturum eſſet iniuſtum damnum tertio per nequitiam partis: Ex veritatis autem ſuppreſſione, conſecuturum eſſet mihi meiſve graue

ue diſpendium, quod meritò mihi eſſet ſollicitiùs auertendum, quàm iniuſtum damnum tertij extranei. Tunc enim exoluerer obligatione ſilendi.

Porrò reſponſio ad quæſitum data, æquè accommodanda eſt ad damnum iniuſtum conſecuturum reo vnius criminis comperto, ſi fiat reuelatio alterius criminis de quo non præceſſit infamia, ſed quod ſit adhuc prorſus occultum, præterquàm mihi. Tunc enim niſi bonum quod ex denunciatione ſequetur, ſit meritò præeligendum neglecto damno quod reo adueniet, ſilendum erit de eo delicto occulto quandiu occultum erit, quia interpellatio ad illud detegẽdum, non eſt iuridica. Nam quod infamia, vel qualiſcunque cognitio alterius delicti præceſſerit, nihil facit ad infamiam de iſto quod ſupponitur manere adhuc occultum. Ita Nauarrus ad cap. *inter verba.* concl.6. coroll.65. num.826. & Sanchez l.6. opuſc.c.2. dub.12. num. 4. Quæ doctrina nititur eodem fundamento quo communis doctrina Theologorum, Caietani t.1. opuſc.in 17. reſponſ. 5. Valentiæ 2. 2. d.5. q.13.p.2. Turriani t.2. in 2.2.d.50.dub.3. Leſſij l.de iuſt.c.29.à num.121.& paſſim cæterorum, dempto Paludano in 4. d.19.q.4. aſſerentium, Iudicem poſſe duntaxat interrogare reum, & adigere in conſcientia ad reſpondendum, de crimine de quo præceſſerint quæ præcedere debent attenta ratione iudicij initi; nimirum vel infamia, vel indicia ſufficientia, vel ſemiplena probatio: Non poſſe autem ſemel malè audientem aliquo prædictorum modorum circa aliquod crimen, interrogare de quibuſuis aliis criminibus, circa quæ nihil præceſſerit eorum quæ interroga-

tionem debent facere iuridicam. Nam quoad hæc crimina prorſus occulta, nec vllatenus nexa cum eo de quo præceſſit infamia aliúdve æquiualens neceſſarium ad interrogationem iuridicam, ita vt eadem infamia aliquatenus perſpergantur; quoad hæc inquam prorſus abdita ſcelera, peccator eſt prorſus occultus. Vnde non plus tenetur de eis reſpondere, quàm ſi integer planè vitæ eſſet, nec eo ſcelere ſorderet quod fuit obnoxium iuridicæ interrogationi. Quia ergo interpellatio conſcij per monitorium ad reuelandum, correſpondet interrogationi qua Iudex reum iuridicè rogat, & in conſcientia obſtringit ad reſpondendum quod patrauit; meritò quod de reo tradit communis Theologorum doctrina, extendimus ad reuelationem à conſciis faciendam quoad crimina prorſus occulta, in quæ iuridica interrogatio non caderet.

QVÆSITVM XIX.

An procul eundum, & cuius expenſis, vt fiat reuelatio indicta per monitorium.

Reſpondeo, regulariter neminem teneri procul ire vt reuelet id de quo fertur monitorium; nec ſi aliquando procul ſit eundum, teneri id facere ſuis expenſis, ſed eorum qui monitorium impetrarunt, & conſcios ad reuelandum adigi popoſcerunt. Cur nemo adigendus paſſim ſit procul ire vt denunciet, ratio eſt, quia nemo cum graui ſuo incommodo tenetur proſpicere alterius bono. At longinquæ profe

profectiones, vt plurimùm non carent grauibus incommodis. Si tamen incommodum profectionis leue eſſet, eo quod non adeò diſtet locus vbi facienda eſt reuelatio, de quo ſtatuere prudentis arbitrij eſt, attenta locorum ac perſonarum diſpoſitione & negotij grauitate, tunc monitorium ligaret. Quod ſi per profectionem longinquam in extraordinario aliquo euentu indictam à Iudice grauem ob cauſam ſub pœna excommunicationis, faciendę eſſent aliquæ expenſæ, neceſſarium eſſet eas fieri à parte quæ monitorium impetrauit. Idémque eſt de aliis expenſis aut damnis, quæ quis, etiam ad reuelandum non procul domo, ſubire cogeretur ob reuelationem. V. g. quia non poſſet interim domi laborare, & lucrari aliquid ex opificio, defuitque tempus aliud quo poſſet fieri reuelatio abſque illo reuelantis diſpendio. Pro quibus omnibus militat generalis illa ratio, quod nemo alteri militet ſuis ſtipendiis, nec teneatur bono alieno proſpicere cum damno ſuo, regulariter loquendo, atque adeò ſecluſis extraordinariis quibuſdam euentibus, in quibus ſtudium boni communis, aliáve vrgentiſſima cauſa poſſet conſcium ad deuorationem propriorũ incommodorum obſtringere pro alieno bono. Extra hos itaque euentus, pars tenetur conſcio ad expenſas, non tantùm itus ac reditus, ſed etiam commorationis, (iis tamen expenſis detractis quas feciſſet domi, vt habetur ex Romano l. *ſed etſi lege.* ff. de petit. hæred. & ex Antonio Grauatio in notis ad Veſtrij librum 6. c. vlt. num. 15.) Tenetur item pars, ſarcire diſpendium temporis quod conſcius occaſione reuelationis perdit, vt rectè Felinus in c. 1. de teſtibus. Monitorium autem abſque his indemnitatibus reuelanti

à parte præſtitis, non ligare, affirmat rectè Gutierres l.1.qq.Canon.c.11.num.23. Fuit in contraria ſententia Syluester, quem refert & reiicit Neuizanus l.3.ſyluæ num.46. ſubſcribitque Ludou. Vitalis tract. de reis & teſtibus per cenſur. cog. num.17. Ad idem aliquot Doctores adducit Folerius in pract. crimin. Canon. p. 2. c.8. n.39. ſuffragantibus Nauarro ad c. *inter verba.* concl.6. coroll.65. n.799. & Sanchez l.6. Conſil. c.2. dub. 22. num.1. Satis de actu reuelationis & eius faciendæ modo. Nunc de perſona reuelante, eiúſque conditionibus agendum ſupereſt.

QVÆSITVM XX.

An teſtes priuilegiati vel ad teſtificandum inhabiles ad reuelandum teneantur vi monitorij.

RESpondeo 1. teſtes priuilegiatos ex mera prærogatiua per ius humanum conceſſa teneri reuelare vi monitorij, præſertim ſi deſint alij qui reuelent, & ſufficienter parti monitorium poſcenti ſuffragentur. Cæteros verò quibus immunitatem à teſtificando præſtant iura, ad naturalem coniunctionem aut neceſſitudinem contractam attendentia, ferè exolui obligatione reuelandi, ex qua in coniunctorum vel neceſſariorum offenſionem incurrerent. Agnoſco (vt vides,) duplex genus teſtium priuilegiatorũ, habentiũ à teſtificando immunitatem. Vnum eſt, eorum circa quos arcta ſanguinis aut affinitatis neceſſitudo, viſa eſt legiſlatoribus exigere immunitatem ab onere te-

ſtificandi

ſtificandi aduerſus ita cōiunctos. Sic parentes, & omnes aſcendentes reſpectu quorumuis deſcendentium, & è contrario liberi ac quilibet deſcendentes reſpectu quorumcunque aſcendentium, etiamſi ſint ſpurij & extra patriam poteſtatem conſtituti; vxor item contra virum, & libertus contra dominum, arcentur à teſtificando, vt ex variis iuribus eruunt Nauarr. ad cap. *inter verba*. concl. 6. coroll. 65. num. 809. & ſeqq. & varij DD. quos profert. Aliis quamuis concedatur teſtificari ſi velint, ex iuris tamen conceſſione ad id cōpelli nequeunt, vt vir aduerſus vxorem, ſocer in generum, & è contrario; nurus item in ſocrum & viciſſim ſocrus in nurum; ſicut etiam vitricus & nouerca in priuignos, ac viceuerſa. Adhæc collaterales intra gradum quartum, numeratis gradibus iuxta ius ciuile. Patronus cōtra libertū à ſe manumiſſum; libertus cōtra eiuſdē patroni vxorem, eiúſque parētes & liberos. De his teſtibus priuilegiatis quid ſit in hoc negotio ſentiendum, iam ſupra dictum eſt ad quęſitum 12. vbi monſtratum eſt, regulariter loquendo, perſonas haſce valdè coniunctas non vrgeri monitorio, vt contra ſe aliquid reuelent. Contrarium aſſerit Iacobus de Graſſis 1. p. deciſ. l. 4. c. 8. num. 23. cum Hoſtienſi, ſi non adſint aliæ viæ ſuffragandi parti quæ monitorium impetrauit. Cum eadem temperatione idem cēſuit Sanchez l. 6. conſil. c. 2. dub. 18. num. 9. & Diana 3. p. tract. 5. reſolut. 63. poſt Nauarrum in ſumma c. 25. num. 49. Felinum in c. 1. de teſtibus cogendis, Lazarium ſ. 3. q. 11. num. 18. Sed quod diximus, ſatis rationabiliter conſtitutum videtur, traditúmque eſt cum ab iis quos ad quæſitum illud 12. adduximus, tum à Gabriele Pereira tract. de man. Reg. c. 10. num. 36. refellente Na-

uarrum;qui tamen non negat ſi cognatis aut coniunctis non leue incommodum ex reuelatione immineat, euaneſcere hanc obligationem, vt notauit approbauítque Sanchez loco allegato num. 13. At hoc eſt euertere obligationem teſtificandi & reuelandi, quam hi autores perſonis coniunctis volunt iniicere ſi deſint alij qui reuelent. Nam nunquam accidet vt coniuncti aduerſus coniunctos reuelent, quin exiſtat reuelantibus graue damnum ex abalienationibus & ſimultatibus diuturnis,quæ vt nihil præterea mali inferrent,ſunt damna grauia,meritóque declinanda.

Alterum genus teſtium immunitatem à teſtificando habentium,eſt eorum quibus ius humanum, ſiue fauore publico,ſiue priuilegio proprio id conceſſit,vt videre eſt apud Albericum tract.de teſtibus c.6.n.22. & 23.& apud DD.ad l.*inuiti*.ff.de teſtibus.Hac ratione milites, ſenes, infirmi,Magiſtratus,à teſtificando ſunt liberi ex priuilegio:nõ quod vſquequaque exoluantur teſtificandi neceſſitate, ſed quod præ cæteris habeant in eo genere prærogatiuã. De Epiſcopo,propter honorem debitum,idem habetur. l. *neque hono*-*e*. C.de Epiſc.& de ſacerdotibus ne à diuinis auocentur. cap.*quanquam* 14. q. 2. quod Nauar.ad c. *inter verba*. concl.6.coroll.65.n.821.extendit ad omnes Clericos. De his teſtibus priuilegiatis,negandum eſt eos exolui obligatione reuelandi cum latum eſt monitorium ad finem reuelationis. Valebitque id præſertim, ſi alij teſtes deſint à quibus veritas erui poſſit. Neque enim fauor iſte iuris humani, commune quicquam habet cum præſenti negotio; nominatim ſi non ſuppetant alia veritatis agnoſcendæ ſubſidia.Nam in eo euentu, omnia huiuſmodi priuilegia euaneſcunt,vt cum mul-

tis

tis DD. tradit Crotus tract.de teſtibus p.5.num.5.

Reſpondeo 2. quoad teſtes iure humano ad teſtificandum inhabiles, monitorium vrgere ad reuelanda ea quorum ſunt conſcij. Qui ſint iure humano ad teſtimonium ferēdum inidonei, compertum eſt ex tractatione de teſtibus. Quamuis enim attento ſolo iure naturæ omnes perfecto rationis vſu præditi, habeant aptitudinem ad teſtificandum; tamen ius humanum induxit impedimenta varia, ob quæ pleriſque perſonis facultas ad teſtificandum non ſuppetat. Sic excommunicati repelluntur à teſtimonio ferendo, ſi ſint excommunicati vitandi, vt latè monſtrat Suarez t. 5. 3.p.d.16.ſ.6. In criminali cauſa minores annis viginti, item aſcendentes & deſcendentes accuſatoris, hoſtes rei, infames infamia iuris & plerunque etiam infamia facti, inopes quos ſuſpicio iure eſſe poſſit pecunia fuiſſe corruptos, & alij, repelluntur à teſtimonio, vt ex variis iuribus breuiter perſtrinxit Leſſius l. de Iuſt. c. 30. dub. 5. ſúntque hæc teſtificandi impedimenta, iure Canonico alia quàm ciuili. Nam v.g. ius Canonicum in cauſa criminali mulierem à teſtificando repellit, ex cap. *mulierem*. 33.q. 5. non item ius ciuile, quod in omni cauſa & negotio præterquam in Teſtamento, mulierem admittit in teſtem. Hi igitur teſtes quocunque iure humano inidonei ad teſtificandum, ſi monitorium feratur ad finem reuelationis, non eximuntur obligatione teſtificandi aut denunciandi, vt benè notauit Nauarrus ad c. *inter verba.* concl. 6. coroll.65.num.819. Et ratio eſt, quia huiuſmodi perſonarum teſtimonium, eſto non probet rem cui atteſtātur, ſufficit tamen ad fundandam præſumptionem, vt habet Gloſſa ad c.1. de teſtibus in 6. Præterquā quòd

vt habetur l. 3. ff. de teſtibus, horum inidoneorum teſtium fides, adiunctione fidelium teſtimoniorum ſuppleri poteſt. Tenentur igitur hi quoque vi monitorij reuelare, nec planè inutiliter teſtificabuntur; quamuis facilè repellendi ſint ab eo qui ſe tali teſtificatione grauatum cenſebit, cum prolata teſtificandi inhabilitate, aduerſus eos poſſit excipere.

QVÆSITVM XXI.

Conſcius negotij quod iurauit non reuelare, an ligetur monitorio ad reuelandum.

RESpondeo ligari, ſi alia ſilendi idonea cauſa non interueniat. Ita Neuizanus l. 3. Syluæ nupt. n. 45. Foler. in praxi Crim. Can. p. 2. c. 8. num. 29. Ludou. Vital. tract. de reo & teſt. per cenſur. cog. num. 14. Gutierres l. 1. qq. Can. c. 11. num. 53. & cum multis Sanctarellus tract. de hæreſi c. 9. num. 10. & c. 44. num. 11. Et ratio eſt perſpicua. Nam præceptum reuelandi iuſtum eſt & legitimum, atque adeò ei non parere peccatum eſt. At iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, vt dicitur cap. *quanto*, & cap. *Quintauallis*, & cap. *tua nos*, de iureiurando. Nec de mortali tantùm peccato vt ſonare videtur nomen *iniquitatis*, ſed de quocunque etiamſi minutiſſimo peccato, valet ea iuris regula 58. in 6. *non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum iuramentum*: vbi Gloſſa multa iura profert, multaque ad id ex Patribus & Conciliis proſtant apud Gratianum 22. q. 4. *ferè per totam*. Videndus etiam latè Suarez l. 2. de Iuram. c. 14. & 15. Quare

extra

extra dubium eſto, conſcios rei quam iurarunt non reuelare, teneri ad reuelandum, ſi ita iubeantur per monitorium. Neque verò iſtiuſmodi reuelatio erit inutilis, vt viſum eſt Baldo l. *nullum*. C. de teſtibus. Ait enim eum qui iurauit ſeruare ſecretum, repelli à teſtificatione tanquam inutiliter teſtificaturum, cum eſſe nequeat niſi aut falſus aut periurus. Hoc benè reiicit Anton. Sola ad noua Sabaud. decreta, tit. de tribun. compet. Gloſſa 4. num. 5. Immeritò enim pronunciat Baldus huiuſmodi hominem teſtificando fore periurum; quandoquidem iuramenti malè emiſſi religione nullatenus vrgetur. Et ideò non modò ſi ita poſcat commune bonum, ſed ob minutas quoque cauſas, ſi producatur in teſtem compellitur ferre teſtimonium, vt tradit ad Capellam Toloſanam Aufrerius q. 241.

QVÆSITVM XXII.

Num quos Iudex reuelandi obligatione eximit ligentur monitorio.

RESpondeo non ligari, ſiue expreſsè & conceptis verbis in monitorio adhibitis exprimatur aliquos eximi, ſiue id illis tacitè per Iudicem ſignificetur. Ratio eſt, quia tota vis monitorij deriuatur ex Iudicis illud ferẽtis voluntate. Quare quem Iudex grauare hac obligatione non intendit, erit ab ea immunis. Quemadmodum enim ſuperiùs monſtratum eſt, deeſſe obligationem detegendi quos Iudex non intendit detegi, ita quos Iudex noluerit ad detegẽdum obligare,

obligare, immunes erunt ab obligatione detegendi. Neque verò valent iſta duntaxat de monitorio per ipſummet immediatum Antiſtitem conceſſo, ſed etiá cum monitorium eſt impetratum à ſummo Pontifice, iſque de more dirigit illud ad Ordinarium, facta ei poteſtate vt cauſa diligenter examinata quatenus videbitur expedire pro locorum ac temporum circunſtantiis, monitorij literas exequatur: Tunc inquam Ordinarius, ſi cenſeat ita expedire, poteſt cum aliquo conſcio diſpenſare ne monitorio Pontificio ligetur, etiamſi taceat. Si tamen Epiſcopus per fraudem ageret, & probè gnarus deeſſe iuſtam cauſam eximendi quempiam, eum nihilominus exemptū vellet; quoad ſuum quidem monitorium peccaret, quia faceret parti iniuriam: quoad Pontificium verò, nihil faceret, & ij quos detegendi obligatione eximeret, ligarentur nihilominus monitorio.

QVÆSITVM XXIII.

Dubius de monitorij obligatione an reuelare teneatur.

Reſpondeo teneri reuelare. Ita Henriq. l. 13. ſummæ c. 18. num. 4. Lopez 2. p. inſtruc. c. 9. Sayrus in Claui l. 12. c. 14. num. 34. Naldus v. *accuſare*. n. 1. & v. *reuelare*, num. 2. Ratio eſt, quia præceptum de facienda reuelatione, eſt clarè ac certò latum: cauſa autem excuſans, ſupponitur eſſe dubia. Igitur præceptū poſſidet, vt loquuntur. Poſſidentis auté conditio cæteris paribus,

paribus, in dubio eſt potior ac melior. Sicut ergo ſi quis certus eſſet ſe vouiſſe, aut debitum apud aliquem contraxiſſe; dubitaret autem an votum impleſſet, vel debitum diſſoluiſſet, præſumeretur pro voto ac pro creditore, nec cenſeretur debitorem dubia ſolutione expleuiſſe debita certa, vt rectè demonſtrat Sanchez l. 1 in decalog. cap. 10. num. 12. ita cum dubium eſt an quis excuſetur à monitorio quod conſtat latum eſſe, præſumitur pro monitorio, éſtque ei parendum; ne dubia excuſatione elidatur certa præcepti obligatio. Contrarium diximus ad finem præcedentis capitis, tractantes dubium circa obligationem reſtituendi. Sed diſparitas eſt manifeſta. Nam in dubio de reſtitutione, perſona in quam fertur monitorium, poſſidet rem cuius reſtitutio petitur, éſtque par cauſa illius, & partis quæ monitorium exorauit, vt ſupponimus. Quia ergo in pari cauſa, melior eſſe debet poſſidentis conditio, vt habet regula iuris, meritò negauimus poſſeſſorem in dubio an teneatur reſtituere, ligari monitorio ad finem reſtitutionis. E contrario autem affirmamus hominem dubium an ligetur monitorio ad reuelandum, teneri reuelare, quia iſte non poſſidet, ſed poſſeſſio eſt penes præceptum reuelandi, quod liquidum eſt ac certum. Ob hanc ipſam cauſam Nauar. in ſumma c. 25. num. 49. in dubio an perſonæ à quibus aliquid acceptum eſt ſint fide dignæ, obligat ad reuelandum. Rectè item Auila, & cum eo Bonacin. tract. 6. ex variis p. 1. §. 4. num. 3. pronunciant præceptum poſſidere, in dubio an Prælatus facta reuelatione ſit adhibiturus remedium: Ideóque non obſtante tunc dubio faciendam eſſe reuelationem, à qua facienda exolueretur qui certò aut probabiliter iudicaret,

caret, nullum remedium fore adhibendum etiamſi ſiat reuelatio, vt rectè cum aliis Sanchez l.6. conſil.c. 2. dub. 17. Hæc ad varios ſimiles euentus extendere, operoſum non erit.

QVÆSITVM XXIV.

Ad quid teneatur, qui abſque idonea excuſatione reticuit quæ monitorio iuſſus erat reuelare.

RESpondeo, iuxta ſententiam valdè receptam, ſatiſque probabilem, teneri ad reſtitutionem damnorum quæ parti per eius ſilentium inferuntur. Inter omnes quidem conſtat, illud ſilentium eſſe mortale peccatum, ob materiæ grauitatem & præcepti iuſtitiam, quæ ſupponuntur. An verò ſit peccatum contra iuſtitiam, ex quo ſolo naſcitur reſtituendi obligatio, controuerſum eſt. Quanquam communiſſima doctrina affirmat hoc peccatum eſſe contra iuſtitiam, & idcirco eum qui ſine cauſa lato monitorio ſiluit, eſſe iniuſtam cauſam damnorum omnium quæ parti obtingunt ratione talis ſilentij, ac proinde teneri ad eorum reſtitutionem. Ita Auila 2. p.c. 5.diſp.4. dub. 3. concluſ.8.Nauar.in Manuali c.25.num.41. & c.17.n. 134.Aragon.2.2.q.70.art.1.Carbo q.51.de reſtitut. & quotquot affirmant, teſtem ex quo à Iudice vocatus eſt ad teſtificandum, iam intimato ſibi præcepto ſe ſubducentem, teneri ad reſtitutionem omnium damnorum parti obuenientium per eum defectum teſtificationis. Ita Lud. Vital. tract. de reis & teſtibus cog. num.

num. 45. Grauatius ad l.6.Veſtrij c.penult. n. 26. Valent.2.2.d.5.q.14.p.1.Sayrus in Claui l.10. tract.2. c. 14.num.2.Reginal.in praxi l.24.n.163. Torres t.2. in 2.2.d.52. dub. vnico n.2.& alij : quos ea ratio iuuat, quod poſito præcepto Superioris, pars cui teſtimonium commodum eſt, ius habet ne recuſetur ſibi teſtimonium;qui igitur recuſat iuſſus teſtificari, violat ius iſtud partis,atque adeò tenetur ad reſtitutionem. Aliud verò eſt, an is qui ita ſiluit obligetur quoque ad reſtitutionem mulctæ pecuniariæ quam Iudex ſi veritas per reuelationem huius conſcij innotuiſſet, impoſuiſſet reo ; qua in re variant Doctorum ſententiæ, & veriſimile admodũ eſt deeſſe quoad hoc obligationem iuſtitiæ, atque adeò non interuenire debitum reſtituẽdi. Quia ergo monitorij interpellatio ad reuelandum, non ſecus ſe habet quàm interrogatio Iudicis,ſiue iuſſum quo teſti imperat teſtificationem, planè ſi quis intimato iam ſibi ſuperioris præcepto teſtificari renuens ſe ſubducit,peccat contra iuſtitiam & eſt obnoxius reſtitutioni damnorum quæ parti ex eius ſilentio ſunt ſecuta ; idem quoque dicendum conſequenter erit de conſcio,qui per monitorium interpellatus ad reuelandum,renuerit obedire.

Hæc eſt(vt dixi) valdè communis doctrina.Nolim tamen diffiteri, oppoſitam tametſi minore autorum numero ſubnixam, eſſe admodum veriſimilem, qua ſcilicet negatur ius eſſe parti poſt interpoſitum ſuperioris præceptum, vt conſcij rem aperiant. Debent quidem conſcij parere præcepto,idque ni faciant, & obedientiam ſuperiori debitam violabunt, & in charitatem parti exhibendam. Nullum verò eſt caput,ex quo prodatur eam culpam eſſe contra iuſtitiam, qui

eſt totus & vnicus fons obligationis reſtituendi. Ita Molina tract.2.de Iuſt.diſp.83.§.*de teſte*.& d.700.n.4. Leſſius l.de Iuſt.c.13.n.76. & c.30.n.59. tametſi vacillat,ſaltem in ſpeciem n.60. Quod autem inter obnoxios reſtitutioni, in vulgatis verſiculis numerari ſoleat *non manifeſtans*, ex quo Sayrus loco allegato intulit,apud omnes certum eſſe,teſtem iuſſum teſtificari nec parentem, eſſe iniuſtam cauſam damnorum ſilentium conſequentium,& ad eorum reſtitutionem teneri,non grauatè eliditur. Nomine quippe *non manifeſtantis* in illis verſiculis, intelligendus eſt is duntaxat, qui ex officio ſuo ac munere tenebatur impedire damnum quod ſiuit accidere, cum poſſet aperiendo alicui id impedire. Quia ergo hæc ſententia, quæ teſtem iuſſum teſtificari,ſolo contra obediẽtiam & charitatem peccato inquinat, eſt admodum veriſimilis, nō auſim damnare eos,qui ad monitorij interpellationem tacentes, nulli reſtitutioni obnoxios faciunt, quamuis damna aliqua inde ſequantur parti: Non modò ſi ante promulgatum monitorium conſcij de eius futura promulgatione ſe ſubducant, (in quo euentu rectè Valent.q.illa 14.p.1.& Torres diſp. 51.citata num. 4. contra Sotum negant eſſe obligationem quicquam reſtituendi;quemadmodum qui ſe ſubducit,præſcius ſe iubendum agere tutorem,ſolam obedientiam erga Magiſtratum non ſeruat exquiſitè,& charitatem pupillo debitam violat, nihil tamen tenetur reſtituere:) ſed etiamſi lato iam monitorio conticeſcant.

CAPVT

CAPVT IV.

De exſolutione à nexibus, per contumaciam erga monitorium malè contractis.

LATO monitorio, & elapſo termino qui in eo ad reſtituendum vel reuelandum præfixus erat, vel executioni mandatum eſt quod mandabatur exequendum, vel cum mortali culpa eſt prætermiſſa ea executio. Si primum contigerit, monitorium fuit nuda comminatio, & abſque vllo virulento effectu in eo ad quem dirigebatur, euaneſcit. Audiuit enim Eccleſiam, defuitque contumacia. Quare non eſt de eo vltra hîc addendum quippiam. Si autem contigerit, monitorium ex graui culpa negligi, nec intra terminum præfixum impleri quæ mandabantur, illico incurritur excommunicatio, & contemptor factus contumax, habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus. Quia tamen qui dormit, iuuante Deo adiiciet vt reſurgat, videndum eſt qua ratione illis ſe pedicis expedire valeat, qui primùm alienatus à vita Dei & Ec-

cleſiæ commercio per contumaciam, tandem reuertitur ad cor. Reſecanda tamen hinc erunt, quæ omnium cenſurarum, ac ferè etiam quæ omnium excommunicationum ablationi ſunt communia, vt breuiùs quæ ſunt huius negotij propria, reciſis extraneis expedire liceat.

QVÆSITVM I.

Quis poßit excommunicationem monitorij neglectu intortam tollere.

RESpondeo, eum qui monitorium tulit, vel ab eo facultatem habuerit: Itémque eum qui æquè iuriſdictionem habet in ligatos monitorio ac is qui illud tulit, ſiue ſit eius ſucceſſor, ſiue ſuperior, & qui ab iſtis poteſtatem ſunt nacti. Suppono quod eſt frequentiſſimum, imo quod regulariter accidit; excommunicationem ſcilicet quæ monitorio infertur, eſſe reſeruatam. Nam ſi reſeruata non eſſet, tolli poſſet per quemcunque Sacerdotem habentem iuriſdictionem ad abſoluendum à mortalibus. Ea ergo huius excommunicationis reſeruatione ſuppoſita, aio eius tantùm eſſe auferre hanc cenſuram, vel qui tulit monitorium, iuxta illud ex cap, *paſtoralis*. de Offic. deleg. *qui ligauit, ipſe ſoluere debet*. Vel certè illius, qui cum Antiſtite qui cenſuram tulit, parem poteſtatem ſit nactus: cuiuſmodi eſt Capitulum ſede vacante, & ſucceſſor Antiſtitis. Vel denique ſuperioris eodem Antiſtite, nec minus habentis iuriſdictionem in eum qui abſoluendus

dus eſt. Eiuſmodi eſt Papa eiúſque delegatus; itémque Patriarcha, cum Epiſcopus ſuffrāganeus recuſat abſolutionem, vt notant DD. cap. *ad reprimendam*. de offic. ordin. & Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 1. titulo 3. cap. 1. num. 36. non tamen Archiepiſcopus, niſi in paucis quibuſdam euentibus in quibus habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum; nimirum quando interpoſita eſt ad eum appellatio, & vocatis partibus cognouit de appellatione. Item quando Epiſcopus admodum negligenter, vel malitioſè differret abſolutionem; & denique quando viſitans obit ſuffraganei ſui Diœceſim: nam tunc temporis, ratione officij habet ordinariam cenſuras relaxandi facultatem. Extra hos euentus, vt nihil eſt Archiepiſcopo iuris in ſubditos ſui Suffraganei, ita cenſuras à Suffraganeo intortas relaxare non poteſt. Quare neceſſe eſt, eum qui tollere velit cenſurã monitorio illatam, eſſe vel ipſum qui cenſuram tulit, vel ei iuriſdictione parem reſpectu pœnitentis abſoluendi, vel etiam ſuperiorem, aut ex commiſſione & delegatione alicuius iſtorum abſoluere.

Sic Epiſcopus executor monitorij Pontificij, abſoluit eius tranſgreſſores vbi ſatisfecerint, vt tradunt autores quos in eam rem profert Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 42. ſed eam abſolutionem, Epiſcopus executor impendit tanquam delegatus Pontificis, ſicut ad excommunicandum, ita & ad abſoluendum. Similiter Epiſcopus tametſi non executor monitorij Pontificij, abſoluit à cenſura tranſgreſſoribus eius inflicta quando occulta eſt nec deducta ad forum contentioſum; repugnantibus quidem Lazario ſ. 4. q. 14. num. 19. & paucis aliis: at meliùs affirmanti-

alicuius vibrata tollatur per abſolutionem, citetur priùs is cuius intereſt, audiatúrque an aliquid opponat quominus impendi debeat abſolutio: Tum eo audito & cauſa ritè diſcuſſa, aduocentur Notarius & teſtes, ſiue ad præſtandam cautionem (ſi res ferat) quod is cui abſolutio eſt impendenda præſtiturus ſit quæ ius partis exiget; ſiue etiam ad faciendam fidem certam de abſolutione impenſa; quia abſolutionem fuiſſe collatam non præſumitur, ſed probandum eſt, iuxta cap. *ſicut nobis*. de ſent. excommun. Has ſolemnitates, & ſi quæ ſunt aliæ, nego eſſe neceſſarias ad impendendam à monitorij cenſura abſolutionem in foro tantùm interno vel conſcientiæ; intelligendo per id forum, non præcisè iudicium ſacramenti pœnitentię, ſed etiam exercitium iuriſdictionis per impenſionem abſolutionis extra Sacramentum, abſque vſu tamen ad forum externum & contentioſum, iuxta triplicis fori diſtinctionem rectè expoſitam à Sanche l. 8. de Matrim. d. 34. num. 39. Abſoluendo igitur à cenſura monitorij in foro conſcientiæ, nihil eſt neceſſe prædictas ſolemnitates adhibere, vt ex rituali Pauli V. tradit Naldus v. *abſolutio à cenſura*. num. 15. ſed ſufficit, tranſgreſſorem monitorij, ideóque cenſura eius irretitum, ſpondere ſatisfactionem iuſtam ſi eam reipſa non exhibeat; & ſic abſque alio ſtrepitu exſolui poteſt contractis nexibus. Vult tamẽ Auila 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 3. citãs Polancũ, adhiberi tunc quoque iuramẽtum de cauendo recidiuo, & abiicienda contumacia aduerſus Eccleſiam; poſſétque is eſſe genius perſonæ quæ abſoluitur, vt firmãda eſſet in ſancta volũtate ad eũ modũ. De vanitate abſolutionis collatę abſque firmo emẽdationis propoſito, plenè Gelaſ. Papa epiſt. 4.

At

At in foro externo, vt tollatur Cenſura quam quis certò & citra ambiguitatem neglectu monitorij incurrit, eo quod offenſa ſit manifeſta, ſiue de ea conſtet per euidentiam rei, ſiue per legitimas probationes, aut confeſſionem iuridicam, neceſſe in primis eſt, reipſa & de facto parti læſæ ſatisfieri, ſi ſatisfactio exhiberi reipſa poſſit; quod conforme eſt iis quæ tradunt Iſidor. Peluſ. l. 3. epiſt. 260. & Syneſius epiſt. 67. necnon Theophilus Alexandrinus in reſponſo ad Menam Epiſcopum, prout illud eſt interpretatus Balſamon. A ſuſcipientibus Baptiſmum ſi obnoxij aliqua in re aliis eſſent, idem depoſcebat Nazianz. orat. 40. Quod ſi ſatisfactio exhiberi reipſa nequeat, neceſſe eſt adhiberi cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, de præſtanda ſatisfactione, dummodò hæ quoque cautiones adhiberi poſſint. Hæc adeò neceſſaria ſunt ad conſequendam abſolutionem à cenſura monitorij in foro externo, vt aliter impenſa abſolutio, nulla habeatur, iuxta Henriquem l. 13. c. 28. num. 1. & Sayrum l. 2. de cenſur. cap. 20. num. 33. nec eſt ambiguum quin ita ſit; ſi is qui à cenſura abſoluit, ſit ad id delegatus ſub ea conditione. At ſi delegatio facta tantùm eſſet ad abſoluendum à cenſura iuxta formam iuris, tunc Naldus in ſumma v. *abſolutio à cenſura.* & Auila 2. p. diſp. 3. dub. 5. & 9. affirmant, abſolutionem etiamſi non præſtita de facto ſatisfactione cum exhiberi poſſet, validam quidem eſſe, ſed cum graui abſoluentis peccato, eiuſdémque obligatione ad reparanda damna partis. Porrò quoad eos qui laborant vera impotentia exhibendi reipſa ſatisfactionem, aut cautiones reales, ſatis eſſe debent cautiones poſſibiles ſaltem iuratoria: ſicque impenditur abſolutio: & verè

vt habetur l. 3. ff. de teſtibus, horum inidoneorum teſtium fides, adiunctione fidelium teſtimoniorum ſuppleri poteſt. Tenentur igitur hi quoque vi monitorij reuelare, nec planè inutiliter teſtificabuntur; quamuis facilè repellendi ſint ab eo qui ſe tali teſtificatione grauatum cenſebit, cum prolata teſtificandi inhabilitate, aduerſus eos poſſit excipere.

QVÆSITVM XXI.

Conſcius negotij quod iurauit non reuelare, an ligetur monitorio ad reuelandum.

RESpondeo ligari, ſi alia ſilendi idonea cauſa non interueniat. Ita Neuizanus l. 3. Syluæ nupt. n. 45. Foler. in praxi Crim. Can. p. 2. c. 8. num. 29. Ludou. Vital. tract. de reo & teſt. per cenſur. cog. num. 14. Gutierres l. 1. qq. Can. c. 11. num. 53. & cum multis Sanctarellus tract. de hæreſi c. 9. num. 10. & c. 44. num. 11. Et ratio eſt perſpicua. Nam præceptum reuelandi iuſtum eſt & legitimum, atque adeò ei non parere peccatum eſt. At iuramentum non poteſt eſſe vinculum iniquitatis, vt dicitur cap. *quanto*, & cap. *Quintauallis*, & cap. *tua nos*, de iureiurando. Nec de mortali tantùm peccato vt ſonare videtur nomen *iniquitatis*, ſed de quocunque etiamſi minutiſſimo peccato, valet ea iuris regula 58. in 6. *non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum iuramentum*: vbi Gloſſa multa iura profert, multaque ad id ex Patribus & Conciliis proſtant apud Gratianum 22. q. 4. *ferè per totam*. Videndus etiam latè Suarez l. 2. de Iuram. c. 14. & 15. Quare

extra

extra dubium eſto, conſcios rei quam iurarunt non reuelare, teneri ad reuelandum, ſi ita iubeantur per monitorium. Neque verò iſtiuſmodi reuelatio erit inutilis, vt viſum eſt Baldo l.*nullum*.C.de teſtibus. Ait enim eum qui iurauit ſeruare ſecretum, repelli à teſtificatione tanquam inutiliter teſtificaturum, cum eſſe nequeat niſi aut falſus aut periurus. Hoc benè reiicit Anton. Sola ad noua Sabaud. decreta, tit. de tribun. compet. Gloſſa 4.num. 5. Immeritò enim pronunciat Baldus huiuſmodi hominem teſtificando fore periurum; quandoquidem iuramenti malè emiſſi religione nullatenus vrgetur. Et ideò non modò ſi ita poſcat commune bonum, ſed ob minutas quoque cauſas, ſi producatur in teſtem compellitur ferre teſtimonium, vt tradit ad Capellam Toloſanam Aufrerius q. 241.

QVÆSITVM XXII.

Num quos Iudex reuelandi obligatione eximit ligentur monitorio.

RESpondeo non ligari, ſiue expreſsè & conceptis verbis in monitorio adhibitis exprimatur aliquos eximi, ſiue id illis tacitè per Iudicem ſignificetur. Ratio eſt, quia tota vis monitorij deriuatur ex Iudicis illud ferētis voluntate. Quare quem Iudex grauare hac obligatione non intendit, erit ab ea immunis. Quemadmodum enim ſuperiùs monſtratum eſt, deeſſe obligationem detegendi quos Iudex non intendit detegi, ita quos Iudex noluerit ad detegēdum obligare,

obligare, immunes erunt ab obligatione detegendi. Neque verò valent iſta duntaxat de monitorio per ipſummet immediatum Antiſtitem conceſſo, ſed etiá cum monitorium eſt impetratum à ſummo Pontifice, iſque de more dirigit illud ad Ordinarium, facta ei poteſtate vt cauſa diligenter examinata quatenus videbitur expedire pro locorum ac temporum circunſtantiis, monitorij literas exequatur: Tunc inquam Ordinarius, ſi cenſeat ita expedire, poteſt cum aliquo conſcio diſpenſare ne monitorio Pontificio ligetur, etiamſi taceat. Si tamen Epiſcopus per fraudem ageret, & probè gnarus deeſſe iuſtam cauſam eximendi quempiam, eum nihilominus exemptũ vellet; quoad ſuum quidem monitorium peccaret, quia faceret parti iniuriam; quoad Pontificium verò, nihil faceret, & ij quos detegendi obligatione eximeret, ligarentur nihilominus monitorio.

QVÆSITVM XXIII.

Dubius de monitorij obligatione an reuelare teneatur.

RESpondeo teneri reuelare. Ita Henriq. l. 13. ſummæ c. 18. num. 4. Lopez 2. p. inſtruc. c. 9. Sayrus in Claui l. 12. c. 14. num. 34. Naldus v. *accuſare*. n. 1. & v. *reuelare*, num. 2. Ratio eſt, quia præceptum de facienda reuelatione, eſt clarè ac certò latum: cauſa autem excuſans, ſupponitur eſſe dubia. Igitur præceptũ poſſidet, vt loquuntur. Poſſidentis autẽ conditio cæteris paribus,

paribus, in dubio eſt potior ac melior. Sicut ergo ſi quis certus eſſet ſe vouiſſe, aut debitum apud aliquem contraxiſſe; dubitaret autem an votum impleſſet, vel debitum diſſoluiſſet, præſumeretur pro voto ac pro creditore, nec cenſeretur debitorem dubia ſolutione expleuiſſe debita certa, vt rectè demonſtrat Sanchez l. 1 in decalog. cap. 10. num. 12. ita cum dubium eſt an quis excuſetur à monitorio quod conſtat latum eſſe, præſumitur pro monitorio, eſtque ei parendum; ne dubia excuſatione elidatur certa præcepti obligatio. Contrarium diximus ad finem præcedentis capitis, tractantes dubium circa obligationem reſtituendi. Sed diſparitas eſt manifeſta. Nam in dubio de reſtitutione, perſona in quam fertur monitorium, poſſidet rem cuius reſtitutio petitur, eſtque par cauſa illius, & partis quæ monitorium exorauit, vt ſupponimus. Quia ergo in pari cauſa, melior eſſe debet poſſidentis conditio, vt habet regula iuris, meritò negauimus poſſeſſorem in dubio an teneatur reſtituere, ligari monitorio ad finem reſtitutionis. E contrario autem affirmamus hominem dubium an ligetur monitorio ad reuelandum, teneri reuelare, quia iſte non poſſidet, ſed poſſeſſio eſt penes præceptum reuelandi, quod liquidum eſt ac certum. Ob hanc ipſam cauſam Nauar. in ſumma c. 25. num. 49. in dubio an perſonæ à quibus aliquid acceptum eſt ſint fide dignæ, obligat ad reuelandum. Rectè item Auila, & cum eo Bonacin. tract. 6. ex variis p. 1. §. 4. num. 3. pronunciant præceptum poſſidere, in dubio an Prælatus facta reuelatione ſit adhibiturus remedium: Ideóque non obſtante tunc dubio faciendam eſſe reuelationem, à qua facienda exolueretur qui certò aut probabiliter iudicaret,

caret, nullum remedium fore adhibendum etiamſi fiat reuelatio, vt rectè cum aliis Sanchez l.6. conſil.c. 2. dub. 17. Hæc ad varios ſimiles euentus extendere, operoſum non erit.

QVÆSITVM XXIV.

Ad quid teneatur, qui abſque idonea excuſatione reticuit quæ monitorio iuſſus erat reuelare.

RESpondeo, iuxta ſententiam valdè receptam, ſatiſque probabilem, teneri ad reſtitutionem damnorum quæ parti per eius ſilentium inferuntur. Inter omnes quidem conſtat, illud ſilentium eſſe mortale peccatum, ob materiæ grauitatem & præcepti iuſtitiam, quæ ſupponuntur. An verò ſit peccatum contra iuſtitiam, ex quo ſolo naſcitur reſtituendi obligatio, controuerſum eſt. Quanquam communiſſima doctrina affirmat hoc peccatum eſſe contra iuſtitiam, & idcirco eum qui ſine cauſa lato monitorio ſiluit, eſſe iniuſtam cauſam damnorum omnium quæ parti obtingunt ratione talis ſilentij, ac proinde teneri ad eorum reſtitutionem. Ita Auila 2. p.c. 5.diſp.4. dub. 3. concluſ.8.Nauar.in Manuali c.25.num.41. & c.17.n. 134.Aragon.2.2.q.70.art.1.Carbo q.51.de reſtitut. & quotquot affirmant, teſtem ex quo à Iudice vocatus eſt ad teſtificandum, iam intimato ſibi præcepto ſe ſubducentem, teneri ad reſtitutionem omnium damnorum parti obuenientium per eum defectum teſtificationis. Ita Lud. Vital.tract. de reis & teſtibus cog. num.

num. 45. Grauatius ad l.6. Veſtrij c.penult. n. 26. Valent.2.2.d.5.q.14.p.1.Sayrus in Claui l.10. tract.2. c. 14.num.2.Reginal.in praxi l.24.n.163. Torres t.2. in 2.2.d.52. dub. vnico n.2.& alij : quos ea ratio iuuat, quod poſito præcepto Superioris, pars cui teſtimonium commodum eſt, ius habet ne recuſetur ſibi teſtimonium;qui igitur recuſat iuſſus teſtificari, violat ius iſtud partis,atque adeò tenetur ad reſtitutionem. Aliud verò eſt, an is qui ita ſiluit obligetur quoque ad reſtitutionem mulctæ pecuniariæ quam Iudex ſi veritas per reuelationem huius conſcij innotuiſſet, impoſuiſſet reo; qua in re variant Doctorum ſententiæ, & veriſimile admodũ eſt deeſſe quoad hoc obligationem iuſtitiæ, atque adeò non interuenire debitum reſtituẽdi. Quia ergo monitorij interpellatio ad reuelandum, non ſecus ſe habet quàm interrogatio Iudicis,ſiue iuſſum quo teſti imperat teſtificationem, planè ſi quis intimato iam ſibi ſuperioris præcepto teſtificari renuens ſe ſubducit,peccat contra iuſtitiam & eſt obnoxius reſtitutioni damnorum quæ parti ex eius ſilentio ſunt ſecuta ; idem quoque dicendum conſequenter erit de conſcio,qui per monitorium interpellatus ad reuelandum,renuerit obedire.

Hæc eſt(vt dixi) valdè communis doctrina.Nolim tamen diffiteri, oppoſitam tametſi minore autorum numero ſubnixam, eſſe admodum veriſimilem, qua ſcilicet negatur ius eſſe parti poſt interpoſitum ſuperioris præceptum, vt conſcij rem aperiant. Debent quidem conſcij parere præcepto,idque ni faciant, & obedientiam ſuperiori debitam violabunt, & in charitatem parti exhibendam. Nullum verò eſt caput,ex quo prodatur eam culpam eſſe contra iuſtitiam, qui

eſt totus & vnicus fons obligationis reſtituendi. Ita Molina tract.2.de Iuſt.diſp.83.§.*de teſte*.& d.700.n.4. Leſſius l.de Iuſt.c.13.n.76. & c.30.n.59. tametſi vacillat,ſaltem in ſpeciem n.60. Quod autem inter obnoxios reſtitutioni, in vulgatis verſiculis numerari ſoleat *non manifeſtans*, ex quo Sayrus loco allegato intulit,apud omnes certum eſſe,teſtem iuſſum teſtificari nec parentem, eſſe iniuſtam cauſam damnorum ſilentium conſequentium,& ad eorum reſtitutionem teneri,non grauatè eliditur. Nomine quippe *non manifeſtantis* in illis verſiculis, intelligendus eſt is duntaxat, qui ex officio ſuo ac munere tenebatur impedire damnum quod ſiuit accidere, cum poſſet aperiendo alicui id impedire. Quia ergo hæc ſententia, quæ teſtem iuſſum teſtificari,ſolo contra obediētiam & charitatem peccato inquinat, eſt admodum veriſimilis, nō auſim damnare eos,qui ad monitorij interpellationem tacentes, nulli reſtitutioni obnoxios faciunt, quamuis damna aliqua inde ſequantur parti: Non modò ſi ante promulgatum monitorium conſcij de eius futura promulgatione ſe ſubducant, (in quo euentu rectè Valent.q.illa 14.p.1.& Torres diſp. 52.citata num. 4. contra Sotum negant eſſe obligationem quicquam reſtituendi;quemadmodum qui ſe ſubducit,præſcius ſe iubendum agere tutorem,ſolam obedientiam erga Magiſtratum non ſeruat exquiſitè,& charitatem pupillo debitam violat, nihil tamen tenetur reſtituere :) ſed etiamſi lato iam monitorio conticeſcant.

CAPVT

CAPVT IV.

De exſolutione à nexibus, per contumaciam erga monitorium malè contractis.

LATO monitorio, & elapſo termino qui in eo ad reſtituendum vel reuelandum præfixus erat, vel executioni mandatum eſt quod mandabatur exequendum, vel cum mortali culpa eſt prætermiſſa ea executio. Si primum contigerit, monitorium fuit nuda comminatio, & abſque vllo virulento effectu in eo ad quem dirigebatur, euaneſcit. Audiuit enim Eccleſiam, defuítque contumacia. Quare non eſt de eo vltra hîc addendum quippiam. Si autem contigerit, monitorium ex graui culpa negligi, nec intra terminum præfixum impleri quæ mandabantur, illico incurritur excommunicatio, & contemptor factus contumax, habendus eſt ſicut Ethnicus & Publicanus. Quia tamen qui dormit, iuuante Deo adiiciet vt reſurgat, videndum eſt qua ratione illis ſe pedicis expedire valeat, qui primùm alienatus à vita Dei & Ec-

cleſiæ commercio per contumaciam, tandem reuertitur ad cor. Reſecanda tamen hinc erunt, quæ omnium cenſurarum, ac ferè etiam quæ omnium excommunicationum ablationi ſunt communia, vt breuiùs quæ ſunt huius negotij propria, reciſis extraneis expedire liceat.

QVÆSITVM I.

Quis poßit excommunicationem monitorij neglectu intortam tollere.

RESpondeo, eum qui monitorium tulit, vel ab eo facultatem habuerit: Itémque eum qui æquè iuriſdictionem habet in ligatos monitorio ac is qui illud tulit, ſiue ſit eius ſucceſſor, ſiue ſuperior, & qui ab iſtis poteſtatem ſunt nacti. Suppono quod eſt frequentiſſimum, imo quod regulariter accidit; excommunicationem ſcilicet quæ monitorio infertur, eſſe reſeruatam. Nam ſi reſeruata non eſſet, tolli poſſet per quemcunque Sacerdotem habentem iuriſdictionem ad abſoluendum à mortalibus. Ea ergo huius excommunicationis reſeruatione ſuppoſita, aio eius tantùm eſſe auferre hanc cenſuram, vel qui tulit monitorium, iuxta illud ex cap. *paſtoralis.* de Offic. deleg. *qui ligauit, ipſe ſoluere debet.* Vel certè illius, qui cum Antiſtite qui cenſuram tulit, parem poteſtatem ſit nactus: cuiuſmodi eſt Capitulum ſede vacante, & ſucceſſor Antiſtitis. Vel denique ſuperioris eodem Antiſtite, nec minus habentis iuriſdictionem in eum qui abſoluendus

dus eſt. Eiuſmodi eſt Papa eiúſque delegatus; itémque Patriarcha, cum Epiſcopus ſuffrāganeus recuſat abſolutionem, vt notant DD. cap. *ad reprimendam*. de offic. ordin. & Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 1. titulo 3. cap. 1. num. 36. non tamen Archiepiſcopus, niſi in paucis quibuſdam euentibus in quibus habet iuriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum; nimirum quando interpoſita eſt ad eum appellatio, & vocatis partibus cognouit de appellatione. Item quando Epiſcopus admodum negligenter, vel malitioſè differret abſolutionem; & denique quando viſitans obit ſuffraganei ſui Diœceſim: nam tunc temporis, ratione officij habet ordinariam cenſuras relaxandi facultatem. Extra hos euentus, vt nihil eſt Archiepiſcopo iuris in ſubditos ſui Suffraganei, ita cenſuras à Suffraganeo intortas relaxare non poteſt. Quare neceſſe eſt, eum qui tollere velit cenſurā monitorio illatam, eſſe vel ipſum qui cenſuram tulit, vel ei iuriſdictione parem reſpectu pœnitentis abſoluendi, vel etiam ſuperiorem, aut ex commiſſione & delegatione alicuius iſtorum abſoluere.

Sic Epiſcopus executor monitorij Pontificij, abſoluit eius tranſgreſſores vbi ſatisfecerint, vt tradunt autores quos in eam rem profert Barboſa de poteſt. Epiſc. allegat. 96. num. 42. ſed eam abſolutionem, Epiſcopus executor impendit tanquam delegatus Pontificis, ſicut ad excommunicandum, ita & ad abſoluendum. Similiter Epiſcopus tametſi non executor monitorij Pontificij, abſoluit à cenſura tranſgreſſoribus eius inflicta quando occulta eſt nec deducta ad forum contentioſum; repugnantibus quidem Lazario ſ. 4. q. 14. num. 19. & paucis aliis: at meliùs affirmanti-

bus, Nauarro in Manuali,c.27.num.260.Toleto l.1. inſtruct.c.42. num.13. Roderico in ſumma p.1.c.8.1. num.4.Bonacina tract.6.ex variis p.1.§.10.num.2. Id verò referendum eſt ad Iuriſdictionem in Tridentina Synodo ſeſſ.24.cap.6.de reform.Epiſcopis conceſſam ad huiuſmodi effectum. Concedit enim Epiſcopis S. Synodus facultatem abſoluendi à caſibus Pontificiis occultis, quibus ſemper eſt annexa cenſura Pontifici item reſeruata, vt Nauarrus ſupra num. 261. admonuit.Quantum autem eſt ex vi poteſtatis eo Tridentini loco conceſſæ Præſulibus, ſine vlla ad tempus aliquod arctatione,poſſunt Epiſcopi abſoluere in foro interno à cenſura Pontificia, eos quoque qui per annum à die vibrationis in illa hæſerint; tametſi id Epiſcopis, etiam quoad cenſuram non niſi generaliter à Pontifice latam, negant pleríque DD. ad cap. *quærenti.* de offic.deleg. & cum Nauarro c. 27. num. 40.Toleto l.1.inſtruct.c.17.Sayro l.2.de cenſur.c.20. num.9.Lazarius ſ.4.q.13.num.6.Et ita ſanè res habebat ante Tridentinum. At poſt Tridentinum, verum eſt quod dixi,quantum quidem eſt ex vi Concilij. In dubio denique an quis incurrerit in cenſuram monitorij Pontificij,Epiſcopus ex tacita Pontificis conceſſione, ratione dubij, relaxare poteſt cenſuram illam,ſi fortè contracta eſſet, vt alia occaſione docet Sayrus l.3.de cenſ. c.2. num.29.

Apage verò nuperum errorem, recitatum c. 1. ad quæſitum 11. quo abſolutio à cenſura monitorij ad cautelam tribuitur poteſtati laicæ. Videri poſſint aſtipulati ei errori Gloſſa & Panorm. ad cap.*paſtoralis*.de offic.ordin.& c. *à nobis*.de ſent. excom.dicentes laicũ in extrema neceſſitate poſſe abſoluere ab excõmuni-

catione.

catione. Quod ſecutus Ripa tract. de peſte parte 2. principali partic. 3.n.46. numerat id tanquã decimum peſtis priuilegium quoad res iudiciales: addens tamen num. 51. ſi æger lue contactus, & in eo articulo per laicum vinculis excommunicationis exſolutus conualeſcat, debere adire pro abſolutione à cenſura per laicum ablata Iudicem Eccleſiaſticum, alioqui relapſurum in cenſuram priſtinam. Hæc eadem ſimplicitate à Ripa traduntur, qua ibidem num. 48. & 49. cum Gloſſa, *& omnibus* (vt ait) *ſcribentibus*, affirmat in illamet neceſſitate, laicum poſſe abſoluere à peccatis, cum eadem repetendæ apud Sacerdotem confeſſionis obligatione. Quod quàm ſit falſum, nihil attinet dicere. Nec vllus Theologorum emunctæ naris eſt ſuffragatus, ſed ferè ſoli, nec omnes Iuriſperiti; vt mirum ſit tam auerſam à vero doctrinam, omnibus tribui ab hoc autore; cuius tamen bona mens & animus purus, in illa ipſa hallucinatione veniam à benigno lectore facilè extorquet.

QVÆSITVM II.

Quomodo cenſura monitorio conſerta, ſit tollenda in foro interno & externo, & non ante ſatisfactionem reipſa exhibitam.

RESpondeo, in foro interno nihil eſſe neceſſe, vt cenſura monitorij tollatur, adhibere ſolennitates præſcriptas cap. *ſolet*, de ſent. excommun. in 6. vbi mandatur, vt priuſquam excommunicatio in gratiam

alicuius vibrata tollatur per abſolutionem, citetur priùs is cuius intereſt, audiatúrque an aliquid opponat quominus impendi debeat abſolutio: Tum eo audito & cauſa ritè diſcuſſa, aduocentur Notarius & teſtes, ſiue ad præſtandam cautionem (ſi res ferat) quod is cui abſolutio eſt impendenda præſtiturus ſit quæ ius partis exiget; ſiue etiam ad faciendam fidem certam de abſolutione impenſa; quia abſolutionem fuiſſe collatam non præſumitur, ſed probandum eſt, iuxta cap. *ſicut nobis*. de ſent. excommun. Has ſolemnitates, & ſi quæ ſunt aliæ, nego eſſe neceſſarias ad impendendam à monitorij cenſura abſolutionem in foro tantùm interno vel conſcientiæ; intelligendo per id forum, non præciſè iudicium ſacramenti pœnitentię, ſed etiam exercitium iuriſdictionis per impenſionem abſolutionis extra Sacramentum, abſque vſu tamen ad forum externum & contentioſum, iuxta triplicis fori diſtinctionem rectè expoſitam à Sanche l. 8. de Matrim. d. 34. num. 39. Abſoluendo igitur à cenſura monitorij in foro conſcientiæ, nihil eſt neceſſe prædictas ſolemnitates adhibere, vt ex rituali Pauli V. tradit Naldus v. *abſolutio à cenſura*. num. 15. ſed ſufficit, tranſgreſſorem monitorij, ideóque cenſura eius irretitum, ſpondere ſatisfactionem iuſtam ſi eam reipſa non exhibeat; & ſic abſque alio ſtrepitu exſolui poteſt contractis nexibus. Vult tamẽ Auila 2. p. c. 7. diſp. 3. dub. 3. citãs Polancũ, adhiberi tunc quoque iuramẽtum de cauendo recidiuo, & abiicienda contumacia aduerſus Eccleſiam; poſſétque is eſſe genius perſonæ quæ abſoluitur, vt firmãda eſſet in ſancta volũtate ad eũ modũ. De vanitate abſolutionis collatę abſque firmo emẽdationis propoſito, plenè Gelaſ. Papa epiſt. 4.

At

At in foro externo, vt tollatur Cenſura quam quis certò & citra ambiguitatem neglectu monitorij incurrit, eo quod offenſa ſit manifeſta, ſiue de ea conſtet per euidentiam rei, ſiue per legitimas probationes, aut confeſſionem iuridicam; neceſſe in primis eſt, reipſa & de facto parti læſæ ſatisfieri, ſi ſatisfactio exhiberi reipſa poſſit; quod conforme eſt iis quæ tradunt Iſidor. Peluſ. l. 3. epiſt. 260. & Syneſius epiſt. 67. necnon Theophilus Alexandrinus in reſponſo ad Menam Epiſcopum, prout illud eſt interpretatus Balſamon. A ſuſcipientibus Baptiſmum ſi obnoxij aliqua in re aliis eſſent, idem depoſcebat Nazianz. orat. 40. Quod ſi ſatisfactio exhiberi reipſa nequeat, neceſſe eſt adhiberi cautionem pignoratitiam, vel fideiuſſoriam, de præſtanda ſatisfactione, dummodò hæ quoque cautiones adhiberi poſſint. Hæc adeò neceſſaria ſunt ad conſequendam abſolutionem à cenſura monitorij in foro externo, vt aliter impenſa abſolutio, nulla habeatur, iuxta Henriquem l. 13. c. 28. num. 1. & Sayrum l. 2. de cenſur. cap. 20. num. 33. nec eſt ambiguum quin ita ſit; ſi is qui à cenſura abſoluit, ſit ad id delegatus ſub ea conditione. At ſi delegatio facta tantùm eſſet ad abſoluendum à cenſura iuxta formam iuris, tunc Naldus in ſumma v. *abſolutio à cenſura.* & Auila 2. p. diſp. 3. dub. 5. & 9. affirmant, abſolutionem etiamſi non præſtita de facto ſatisfactione cum exhiberi poſſet, validam quidem eſſe, ſed cum graui abſoluentis peccato, eiuſdémque obligatione ad reparanda damna partis. Porrò quoad eos qui laborant vera impotentia exhibendi reipſa ſatisfactionem, aut cautiones reales, ſatis eſſe debent cautiones poſſibiles ſaltem iuratoria: ſicque impenditur abſolutio: & verè

Q 5 tunc

tunc confertur, ſed ita tamen vt ſi impotentia abeat, nec exhibeatur ſatisfactio debita, reueniat homo in ſtatum priorem & cenſura reuiuiſcat, vt tradit Soto in 4.d.22.q.2.art.3. Ritus externi inter abſoluendum in externo foro ſeruandi, ſunt tacti paulo ante, legique de eis poteſt Nauar. in ſumma c. 26. num.7.8. & 9. ac Rodericus in ſumma p.1.c.83. à num.1.

QVÆSITVM III.

Egeátne abſolutione, qui poſt contractam monitorij cenſuram, rediens ad cor ſatisfecit, aut remiſſionem à parte obtinuit.

RESpondeo, egere omnino. Ac primùm quod attinet ad ſatisfactionem ſubſecutam, faciet illa quidem vt homo non vltra peccet, prorogando iniuriam erga partem: Tamen conſtat non poſſe per ſatisfactionem exhibitam, tolli ſiue peccati maculam iam inuſtam, ſiue cenſuram iam contractam: Sed ſicut vt tollatur peccatum neceſſe eſt interuenire abſolutioné ſacramentalé, ita vt tollatur céſura, exigitur abſolutio ab ea: Imo hoc plus operæ eſt in cenſura tollenda, quod peccatum tolli poteſt per contritionem perfectam, qua includitur ordo ad claues & abſolutionem iuridicam in Sacramento. At excommunicatio ſemel contracta, per nullum excommunicati actum tolli poteſt, ſed ſola Iudicis abſolutione relaxatur. Nimirum quoad peccatum, ne innumeris diſcriminibus quibus obnoxij perpetuò ſumus, homo ſacerdote plerunque

runque deſtitutus æterno exitio ſubiaceret, neceſſaria fuit benignitas illa qua votum ſacramentalis abſolutionis dum facultas non ſuppetit, adiunctam habet gratiæ infuſionem, & emũdationem à peccato, ſaluo onere ſubiiciendi peccatum clauibus cum facultas ſuppetet & ſubiiciendi præceptum vrgebit. Pro excommunicatione autem, quia ex ea ſuperſtite homo non addicitur exitio æterno, nihil fuit neceſſe prouideri huiuſmodi ſupplementum, vt homo ab ea in voto, & aliter quàm per abſolutionem reipſa impenſam exolueretur. Itaque quicquid reus ex ſe contulerit ac etiamſi ſatisfecerit, adhibenda tamen eſt abſolutio à cenſura. Et ita deciditur c. 1. de decimis in 6. & cap. *de quod vult Deo.* de Iudic. vbi Ripa n. 23. docet id eſſe vbique vſu receptum. Sed malè num. 24. ait id tantùm valere in foro Eccleſiæ, non autem in foro poli. Reuera enim in quocunque foro ita res habet, vt notat Anton. Maſſa tract. de obligat. in forma Cameræ p. 3. q. vltima n. 12. Inſigni miraculo confirmatam quandoque fuiſſe neceſſitatem abſolutionis poſt iam exhibitam ſatisfactionem, produnt Illeſcas p. 2. Pontif. hiſtor. c. 14. & Ludou. Granat. 2. p. introd. in ſymbol. cap. 27. §. 7. Narrant enim accidiſſe aliquando, vt æger ad extrema deductus, ſacro pane ad eum allato refici aliquandiu non potuerit, eo quod ſacræ panis exuuiæ tam tenaciter patenæ adhæreſcerent, vt nulla vi & induſtria ſacerdotis auelli poſſent, & in os iacentis inferri. Anxio ſuper eo facto, & ſtupore defixo ſacerdoti, venit in mentem vt ægrum rogaret, an excommunicationis alicuius contractæ nec per abſolutionem ſublatæ, ſibi conſcius eſſet. Æger primùm, negare; quod ita reuera exiſtimaret; contractam abs ſe aliquando

quando ob non diſſolutum debitum excommunicationem, peracta tandem ſolutione euanuiſſe; ídque mox veluti ſecurus, nec inde timendum quicquam ratus Sacerdoti expoſuit. At Sacerdos deprehenſa hac nexuum pridem contractorum nec diſſolutorum perſeuerantia, ritè aptatum ægrum abſolutione à cenſura impertiit. Quo facto manus ad ſacrum panem patenæ applicitum admouit, & ſine vlla difficultate prehendentem ſecutus diuinus cibus, illatus eſt ori ægrotantis; apertiſſimè docente Deo, vt ſemel ab Eccleſiaſtica poteſtate iniecta vincula, malè afficere hominem deſinant, neceſſariam eſſe illiuſmet poteſtatis quæ ea innexuit manum, nec perſonæ meliorem animum, vel exhibitam ab ea iuſtam ſatisfactionem, ad diſſolutionem talium nexuum ſatis eſſe. Tradit hanc ſententiam Ioannes Gagneius 2. Cor. 2. ad illud, *cui aliquid donaſtis*, vbi idem ſatis clarè habet Theophylactus.

Iam quod condonatio vel remiſſio partis quæ monitorium impetrauit, non ſit ſatis ad tollenda ſemel iniecta monitorij vincula, perſpicuum eſt ex eodem fundamento quo id de exhibitione ſatisfactionis monſtrauimus. Nimirum quia ad ſublationem cenſuræ ex quo contracta eſt, exigitur iuriſdictio, qua conſtat partem deſtitui. Aliud verò eſſet, ſi ageretur de tempore ante contractam cenſuram. Nam ſi tunc pars iniuriam remitteret propter quam decernitur monitorium, vel condonaret ſatisfactionem debitam, manifeſtum eſt non fore incurrendam cenſuram; quia vt incurratur, pendet à Iudicis voluntate. At Iudex non intẽdit ferire noxium niſi vt parti ſatisfaciat tollatúrque inducta erga eam inæqualitas. Quia igitur

partis

partis condonatio aut remiſſio, inæqualitatem illam expleret, euerteretur cenſuræ fundamentum, ſubtraheretúrque Iudici ad illam vibrandam materia, atque adeò etiam animus. Verùm ex quo cenſura ob ſuperſtitem iniuriam vibrata eſt, ſicut pars non habet iuriſdictionem vllam in reum, ita neque poteſt illum à cenſura ſemel contracta liberare, ad quod neceſſarium eſt iuriſdictionis exercitium.

QVÆSITVM IV.

Num abſolutio à cenſura monitorij, poſſit accipi per interpoſitam perſonam.

RESpondeo poſſe, dummodò hæc abſolutio non alligetur abſolutioni à peccatis & Sacramento pœnitentiæ, per voluntatem eius qui abſoluendi poteſtatem fecit. Nonnulli quidem Iuriſperiti, negarunt abſolutionem hanc à cenſura, poſſe obtineri per procuratorem. Ita Innoc. in cap. *cùm deſideres*, de ſent. excom. Panorm. Hoſtienſis, & alij, vt notat Victorellus ad l. 1. ſummæ Toleti c. 14. meritò addens, contrariam ſententiam communem eſſe, pro qua profert Sylueſtrum, Hugolinum, & Sayrum, præter ipſum Toletum qui c. illo 14. num. 4. pro ea adduxerat Archidiaconum cap. *eos qui*, de ſent. excom. in *6*. & Ioannem Andream c. *qui ad agendum*, de procur. in *6*. Quod autem Iuriſperitos allegatos abripuit in contrariam ſententiam, fuit non ſatis animaduerſa diſparitas inter abſolutionem à peccatis, & abſolutionem à cenſura. Nam iudicium

cium humanum, cui conſimile eſt quod exercetur in abſolutione à cenſura, poteſt inter abſentes perfici; quia nec illud iudicium, nec iſta abſolutio exigunt ex neceſſitate formam vocalem, directam ad reum per pronomen *te*, ſimpliciter & abſque limitatione prolatum, quod deſignat perſonam præſentem. Hoc autem neceſſarium eſt ad abſolutionem ſacramentalem à peccatis, vt docemur ex vſu Eccleſiæ perpetuo, quo ex veritate formæ ſacramenti pœnitentiæ, vſurpatum ſemper eſt, vt abſolutio non niſi præſenti concederetur. At abſolutio à cenſura, quia ad huiuſmodi formam non arctatur, abſenti ſæpè eſt indulta. Quo pacto Scotus in 4. d. 17. *ferè in fine*, ſcribit de S. Thoma Cantuarienſi poſcente à ſummo Pontifice abſolutionem ex Anglia; vtique abſolutionem à cenſura. Diſertè quoque S. Cyprianus epiſt. 13. abſens abſoluit à cenſura nonnullos. Et S. Gregorius, vt habetur *cap. quanto*. 2. q. 5. Epiſcopum abſentem abſoluit ab excommunicatione.

Hinc liquet, quorſum dixerim abſolutionem à cenſura monitorij poſſe accipi per interpoſitam perſonam, dummodò eius impendendæ facultas non ſit alligata ſacramento pœnitentiæ; quod contingit, cum is qui abſoluit, vtitur poteſtate delegata, habétque vſum Iuriſdictionis arctatum ad forum Sacramenti pœnitentiæ. Liberum enim fuit deleganti, hoc aut illo modo reſtringere vſum facultatis à ſe conceſſæ. Cum igitur poteſtatem duntaxat facit, vt abſolutio à cenſura impendatur concomitanter ad abſolutionem à peccatis, clarum eſt abſolutionem à cenſura nō poſſe accipi per internuncium; ob eam quam præmiſi neceſſitatem præſentiæ localis in eo qui à peccatis abſoluitur.

abſoluitur. At ſi is qui abſoluit à cenſura,non ſit delegatus alterius qui eum duntaxat ad abſoluendum in foro ſacramenti pœnitentiæ arctauerit ; vel certè ſi qui abſolutionem impendit ex delegatione,acceperit ſimpliciter & abſolutè poteſtatem ad impertiendam abſolutionem,aut ad abſoluendum in foro conſcientiæ,quod ſupra attigi aliud eſſe à foro ſacramenti pœnitentiæ ; tunc nihil eſt neceſſe , eum qui abſoluitur adeſſe , aut cognoſci à Iudice abſoluente, ſed res tractari & confici poteſt per internuncium , aut procuratorem. Nec rarò expedire poteſt vt ita fiat, vt famæ rei ad bonam frugem redeuntis conſulatur , nec manifeſtetur occultus monitorij tranſgreſſor. Porrò procuratorem tranſmiſſum ad accipiendam abſolutionem ab his vinculis, Sayrus l. 2. de cenſur. cap. 21. n. 14. monet debere inſtrui ſpeciali mandato.

QVÆSITVM V.

An cenſura monitorio inducta tolli poſsit ſub conditione.

RESpondeo 1. poſſe tolli ſub conditione de præſenti,aut de præterito.Ratio eſt,quia actus ex intentione his conditionibus affecta , non aliter ſe habet quàm ſi fieret ex intentione cuiuſuis conditionis experte & prorſus abſoluta. Hæ quippe conditiones, non ſuſpendunt intentionem cui apponuntur , quia ſunt de facto poſitæ ; & actus qui illis nititur,non titubat nec eſt quaſi anceps & ambiguus ad eſſe aut

non

non eſſe. Vnde cõditiones prædictæ modò verè ſint poſitæ, non ſuſpendunt abſolutionem, nec eam vel inualidam vel illicitam reddunt, niſi aliud obſtet. Nihil enim vetat, impendi abſolutionem à cenſura, *ſi reſtitutionem debitam præmiſeris*; vel *ſi habes animum reſtituendi, cum facultas ſuppetet*. Aliter tamen pronunciandum eſt, de illo modo exprimendi conditionem præſentem per modum futuræ. V. g. poſſet quis ita concipere intentionẽ tollendi cenſuram. *Abſoluo te, ſi Deus videt te cras illud facturum*. Vel, *abſoluo te iam nunc, ſi verum eſt te cras illud facturum*, qui modi loquendi redolent futuritionem: reuera tamen conditio quam exprimunt, non eſt futura, ſed præſens, quia iam nunc ponitur veritas futuræ actionis; id eſt iam nunc verum eſt, te poſtea hoc facturum vel non facturum. Et ſimiliter, iam nunc Deus videt ſíſne cras id effecturus. Quare conditiones iſtę ſunt reipſa de pręſenti, nec ſuſpendunt actum cui apponuntur. Vt propterea difficile ſit rationem reddere, cur appoſitio huiuſcemodi conditionum in intentione conficiendi ſex prima ſacramenta, pugnaret cum validitate Sacramenti, vt pugnare affirmat Ægidius de Coninch 3. p. q. 64. n. 88. argumentatus ex eo quod ſacramentum penderet à conditione futura contingenti, eſſétque in ſuſcipientis poteſtate (cum conditio vt ſæpè accidit ab eo pendet) poſtea efficere vt ſacramentum validè aut inualidè fuiſſet collatum. Sicut quouis tempore præcedente impletionem conditionis ab ipſo pendentis, in poteſtate eius eſt facere, vt Deus viderit ipſum hoc illúdve facturum, & vt verum fuerit, ipſum effecturum hoc illúdve de quo propoſitio de futuro pronunciabat. Hoc argumentum eſt valdè infirmum.

Nam

Nam conditiones de quibus agimus, ſunt reuera præſentes vt dixi, nec ſuſpenderent ſacramentum cuius confectioni apponerentur: quia Sacramentum haberet iam nunc, quicquid ad eius confectionem eſt neceſſarium. Dependentia autem obiectiua à termino futuro qui certò ponetur, non pugnat cũ vera actualitate abſoluta, ac nullo modo ſuſpenſa, actus tendentis in talem terminum: alioqui actus diuinus quo noſtra actio liberè futura prænoſcitur, ſuſpenſus eſſet, quod conſtat dici non poſſe. Itaque conditiones prædictæ ſunt verè præſentes & reipſa poſitæ, quamuis tendant in aliquid futurum. Et quamuis donec illud futurum à ſuſcipiente pendens, ponatur reipſa, liberum ſit ſuſcipienti ponere illud aut non ponere, tamen reipſa non efficiet niſi horum duorum alterutrum: hoc eſt, vel eum futurum terminum ponet in rerum natura; atque ita ſacramentum iam nunc fuerit validum; vel non ponet, atque ita Sacramentum fuerit inualidum, nec vlla eius ſuſpenſio interuenerit. Quare perſpicuum exiſtimo, appoſitionem prædictarum conditionum, non pugnaturam cum ſacramenti validitate, tametſi ſacrilegè apponerétur, & cum obligatione repetendi ſacramentum ſub conditione, ob incertitudinem reſpectu noſtri plerunque exorituram, fuiſſetne reuera ſuſceptum ſacramentum; ac ne ſalus hominis ex incerto harum ſententiarum circa talis ſacramenti valorem, incerta penderet, ſi ſacramentum eſſet neceſſarium ad ſalutem comparandam. Quod ſi ſpeculatiuè loquendo, & abſtrahendo à peccato operantis, confectio ſacramentorum cum illis conditionibus de quibus agimus eſſet valida, multo magis neceſſe eſt id admittere de abſolutione à cen-

ſura;quamuis addiderim aliter cenſendum de illis eſſe, (vtique quoad honeſtatem & excluſionem culpæ à ſic operante)quàm de conditionibus præteritis,aut iis quæ ita ſunt præſentes vt nihil futurum reſpiciant. Præteritas quippe & præſentes conditiones, admiſi poſſe abſque labe(cum ita res fert)apponi abſolutioni à cenſura, quod negandum eſt de illis conditionibus, *ſi Deus videt te cras hoc facturum*,vel *ſi verum eſt te facturum quod ſpondes*. Nam quamuis ſint conditiones præſentes, nec niſi in ſpeciem ſint de futuro, tamen earum appoſitio eſſet præter morem receptum, & ingeneraret incertitudinem de ſublatione cenſurę,proindéque non vacaret peccato.

Reſpondeo 2.cenſuram monitorio inductam non poſſe licitè tolli ſub conditione de futuro,quæ ſublationem cenſuræ ſuſpendat vſque ad poſitam ipſam conditionem. Si tamen quis talem conditionem apponeret,abſolutionem à cenſura validam fore.Quod dico talem conditionem illicitè fore huic abſolutioni apponendam,non admittunt Hugol.tab.1.de cenſur. c.12.§.1. & Sayrus l.2.de cenſur.c.16. num.4. *in fine*. dummodò conditio non ſit friuola & impertinens, cuius appoſitio clauium contemptum ſaperet. Vt ſi diceretur, *abſoluo te, ſi Titius ſpuerit*. Sed quod dixi magis placet, quia *actus legitimi*, vt habet regula iuris in 6.*conditionem non recipiunt*. Atque ita Panorm.c.*de quibus*,de baptiſ.Fore autem talem abſolutionem verè validam & ablaturam cenſuram, negauit Syluester v.*abſolutio*,3.num.1.& Toletus l.1.ſummæ c.14.num. 5.Contrarium meritò aſſerunt Henriq.l.13.c.29.n.4. Auila 2.p.cap.7.diſp.3.dub.15.Suarez t.5.3.p.d.7.ſ.8. num.7.& 11.& Sayrus alios adducens,citato cap.16. num.4.

num. 4. Quidni enim ſi cenſura ferri potuit ſub tali conditione de futuro, nimirum dicendo, *percello te excommunicatione niſi hoc feceris cras*; poterit ſub eadem conditione impendi abſolutio, ita vt non ſortiatur effectum, ſitque ſuſpenſa vſque ad impletionem conditionis? Nimirum ſententia iuridiça (qualis eſt hæc abſolutio) humano modo ita ferri poteſt, vt maneat ſuſpenſa vſque ad impletionem alicuius conditionis; quod liquet ex Iudiciis forenſibus: non quod actus ex parte ſubiecti non ſit abſolutus, hoc eſt non quod reuera non ſit actu in voluntate Iudicis poſitiua volitio exercendi iuriſdictionem; ſed quod non habeat vim donec conditio reipſa accedat & executioni mãdetur, vt habetur ex l. *ſi ſtipulatus.* ff. de verb. obligat.

An verò hinc concludere liceat, abſolutionem quoque à peccatis quę confertur in ſacramento Pœnitentiæ, eſtque ſimiliter ſententia iuridica, poſſe validè impendi ſub conditione de futuro, ſuſpendente non modò effectum formæ ſacramentalis (vt malè ſupponit Valent. 3. p. d. 7. q. 1. p. 3.) ſed etiam ipſam formam quæ per intentionem formanda & quaſi conſecranda eſt, atque adeò totum ſacramentum, viderint Scholaſtici. Sanè quæ pro inualiditate abſolutionis à peccatis, ſub tali conditione conceſſæ; atque adeò pro diſcrimine talis abſolutionis à cenſura quæ validè impenderetur, ab abſolutione à peccatis quam fore irritam volunt, proferuntur à Suare t. 5. 3. p. d. 7. ſ. 8. num. 8. Ægidio Coninck 3. p. q. 64. num. 87. & Vaſque 3. p. q. 84. artic. 3. dub. 5. num. 6. eiuſmodi ſunt vt facilè diſiiciantur. Nam ſicut matrimonium quia conſiſtit in humanis actibus moraliter durabilibus poteſt confici cum intentione ſuſpenſa, ita vt abſque nouo conſenſu

R 2 perficiatur

perficiatur cum primùm conditio impletur, vt tradit Sanchez l. 5. de matr. d. 8. n. 5. & l. 5. in decalog. c. 4. n. 88. quod non habet Baptiſmus & ſimilia ſacramenta, quorum partes eſſentiales non ſunt actus humani moraliter durabiles, & capaces per conditionem appoſitam ſuſpendi ad eam moram; ita etiam dici poſſet, ſacramentum Pœnitentiæ quia conſtat humanis actibus moraliter durabilibus quouſque retractentur, validè confici poſſe ſuſpenſum vſque ad conditionis impletionem, vt de communiſſima ſententia vidimus fieri poſſe quoad abſolutionem à cenſura, cuius diſcrimen hac in parte ab abſolutione à peccatis perobſcurum eſt, ne dicam aſſignatu impoſſibile. Quamuis ſit extra controuerſiam, eum qui à peccatis ſub conditione de futuro abſoluere vellet, (ſicut ſub tali conditione, iuxta nos valida, iuxta pleroſque autem etiam licita eſt abſolutio à cenſura) temerè omnino facturum, nec abſque graui peccato & repetēdi ſacramenti obligatione receſſurum à ſententia communiſſima, inualidam ſtatuente eam abſolutionem: cui ſententiæ omnino inhærendum eſt in praxi, quicquid ſit de probabilitate aut etiam veritate ſpeculatiua contrariæ ſententiæ, cuius lubrico & incertitudini committere gratis velle pœnitentis ſalutem, improuidentiſſimi eſſet hominis plus iuſto tribuentis ratiocinationibus ac commentationibus ſuis.

PARS

PARS SECVNDA.

De cauendo Monitorij contemptu, & extimeſcenda gladij Eccleſiaſtici per excommunicationem exſertione.

PROLOQVIVM.

ABVSIONEM planè grauem, nec minùs latè fuſam, qua Eccleſiæ Rectoribus commiſſus à Deo ſpiritualis gladius paſſim vileſcit, corrigere conſilium eſt; iis propoſitis, quæ animaduerſionem Eccleſiaſticam non contemptui habendam, ſed cuicunque ſapienti extimeſcendam eſſe perſuadeant. Quam in rem neceſſarium in primis erit quæ ſit huius gladij exſertio, & quanta bona amittat qui eo feritur, aperire,

Tum diuinum ſuffragium, quâ dictis quâ factis exhibitum, proferetur. Accedet ſenſus Sanctorum, timorem fidelibus hac in parte facientium. Nec eorum qui foris ſunt, ſimilem in diſſimiliter ſimili cauſa dimittemus. Tandem quæ fuerint propoſitæ abuſionis cauſæ veſtigabimus, vt iis mederi, & inde enaſcens malum auertere liceat. Hæc eſt ſeries huius Opellæ, quantum attinet ad ſuadendum iuſtum metum exſertionis gladij Eccleſiaſtici, in quo pleroſque nunc mortalium grauiſſimè hallucinari, experientia (heu nimium!) prodit. Ad tractationis verò complementum, addemus corollarium, quatenus timenda ſit iniuſta per Eccleſiaſticum hunc gladium animaduerſio. Cætera quæ ad eum ſpectant, ſpecies inquam eius & cauſæ, diſcrimen quoque ab aliis cenſuris, quas item ob culpas exſerendus ſit, aliáque huiuſmodi, quod immenſis tractationibus diſcuſſa proſtent, non niſi parcè, & quatenus neceſſitas planè feret, attingemus. Punctum propoſitum ab aliis ferè prætermiſſum, bonis autem moribus maximè commodaturum, & Eccleſiaſtici regiminis vigori in mentibus fidelium roborando peropportu

opportunum, iuuat excutere, vrgentibus iampridem multis, quibus ea Eccleſiaſtici gladij contemptio creat cordolium: Nec ſine cauſa, nam imminere inde extremum fidei diſcrimen, S. Birgitta lib. 4. reuelationum, cap. 33. *ſub finem*, diſertè admonuit. *Profundos* iam olim *ſingultus*, Turpionis Lemouicenſis Epiſcopi hanc ob cauſam, memorat & laudat S. Odo, epiſtola ad ipſum Turpionem, qua ei inſcribit Opus Collationum.

CAPVT I.

Seponitur excommunicatio impropria, vel ſecundùm quid dicta. Statuitur de ſolius antonomaſticè dictæ excommunicationis horrore diſſerendum.

1. NON ſuſcipio incutere horrorem cuiuſuis & quomodolibet dictæ excommunicationis, ſed eius tantùm quæ propriè & ſimpliciter excommunicatio dicitur. Iungo illa duo, quia interdum vox *excommunicationis* adhibetur ad denotanda aliqua,in quæ ratio legitima excommunicationis nullo modo cadit. Itaque tunc excommunicatio impropriè ſumitur. Aliàs autem vox *excommunicationis* tribuitur alicui ſegregationi, quæ eſt quidem propriè dicta excommunicatio,ſed aliqualis tantùm, & non ſimpliciter dicta, ſiue plena & integra noxij ſegregatio à cæteris. Exemplis omnia hæc illuſtremus, vt quæ dimittenda hîc nobis ſint, quæ verò vrgenda,fiat perſpicuum.

Irra

Irrationalium ac Dæmonum excommunicatio, impropria.

Impropriè omnino, nec niſi catachriſticè excommunicatio dicitur, ea quæ interdum in animalia irrationalia, vel plantas, aut dæmones, aut res planè inanimas intorquetur. Exempla dabo capite 12. Sic enim alicubi locuſtæ & bruchi, alibi delphines, aut anguillæ, vel ſerpentes, aut muſcæ, aliquando etiam plantæ, vel plantarum rami, excommunicationem ſubiiſſe dicuntur. Verùm per vocis abuſum dici, adhiberi circa huiuſmodi ſubiecta excommunicationem, dicam pleniùs citato loco. Breuitérque ratio eſt, quia irrationalia non ſunt delicti vel emendationis capacia, ac proinde non poteſt in ea cadere excommunicatio propriè dicta, quæ non irrogatur niſi propter culpam cauendam, vel emendatione tollendam. Itaque excommunicatio qua irrationalia feriri dicuntur, non eſt verè excommunicatio, ſed duntaxat imprecatio & execratio aduerſus Dæmonem talium rerum motorem, addita ad Deum precatione, vt eas perdat vel auertat.

2. Nec aliter accipiendú eſt, quod interdum dicitur adhiberi excommunicationem aduerſus Dæmonem. Qua ratione in vita S. Bernardi lib. 2. cap. 6. narratur, incubum Dæmonem miſeræ mulieri annos iam multos infeſtum, anathematizatum fuiſſe à S. Bernardo, & duobus Epiſcopis, ac plebe vniuerſa, extinctis candelis quas omnes aſtantes geſtabant manibus, & præmiſſa omnium adſcriptione in charta anathematis. Manifeſtum eſt, hanc non eſſe veram excommunicationem. Nam ſatanas non eſt particeps Eccleſia-

ſticæ communionis;quare ea priuari non poteſt. Feritur ergo duntaxat execratione & maledictione, adiunctis ad Deum precibus vt eius conatus impediat, nóſque defendat; vt rectè notarunt Sanchez l. 2. in Decal. cap.42.num.32. & Suarez tomo 5. 3.p. d.5. ſ. 1.num.2. qui id illuſtrat ex eo quod ſimili vocis laxitate,hæreſes dicũtur anathematizari; vt in profeſſione fidei à Pio IV. præſcripta, & infinities in Conciliis:quod non eſt aliud quàm illas hęreſes ſubiici execrationi. Nam qui fidem profitetur, plerunque non is eſt qui poſſit excommunicatione percellere; ipſæque hæreſes cum non ſint ſuppoſita rationalia, non poſſunt excommunicatione propriè dicta feriri.

Item hominum,à laicis; vel nudè per mortãle peccatum.

Quinetiam plerunque,homines quoque dicuntur fieri anathema,cum nulla poteſt eſſe ſuſpicio intortæ veræ excommunicationis, ſed tantùm maledictionis vel execrationis, cui per abuſum nomen excommunicationis tribuitur. Sic mulier pia,calici quem dabat monaſterio, iuſſit inſculpi anathema,non irrito effectu.Nam calicem exportans Epiſcopus,graues pœnas dedit,vt ſcribit Petrus Damiani opuſc. 34.cap.1. Neque tamen mulier,vel aurifex ſtringere poterant verum anathema. In eundem ſenſum eſt accipiendum cum Baronio anno 1097. n. 51. quod quibuſdam ſepulchris adſcriptum legitur, vt qui ea violare præſumpſerit, *ſit excommunicatus, & habeat partem cum Cain,& Iuda proditore.*Item quod alibi legitur,vt qui hoc vel illud circa ſepulchrum tentarit, *ſit maledictus &*

& in perpetuum anathemate obſtrictus. Ac etiam quod in Regiis quibuſdam diplomatibus, adhibitum huiuſmodi munimentum legitur. *Si quis hanc noſtram donationem infregerit, anathemate condemnetur, vt cum Iuda traditore partem habeat.* Similes formulas à priuatis appoſitas donariis, ſæpè occurrit legere; cum tamen ſatis ſupérque liqueat, perſonas illas poteſtate Eccleſiaſtica ad veram & propriè dictam excommunicationem inferendam, non fuiſſe præditas. Erant ergo formulæ tantùm imprecatoriæ & maledictiones, aduerſus eos qui tentare quippiam aduerſus rectè conſtituta, non reformidarent.

3. Prætereà, per impropriam vocis acceptionem, ſtatus peccati mortalis apud aliquos dicitur excommunicatio, & quilibet mortali peccato ſordens, excommunicatus appellatur. Sic loquuntur Gabriel in 4.d.18.q.2.artic.1. Viguerius de ſacramento Ord. verſic.14. Couarr. in cap. *Alma mater*.p.1.initio num.6. & latè Salianus lib.6. de Timore cap.27. Fauet apertè Syluester V. *excommunicatio*, 3.num.1. Nam inter effectus excommunicationis, numerat priuationem regni cœlorum, in quam tamen nemo incurrit niſi ratione peccati mortalis. Sed neque hæc excommunicatio, eſt vera & propriè dicta. Nam quamuis ad excommunicationem ſimpliciter dictam præſupponatur mortalis culpa, tamen non idcirco idem formaliter eſt, eſſe excommunicatũ, & ſordere mortali peccato. Imo poteſt aliquis iam nitere per contritionem, & tamẽ retinere vinculum excommunicationis priùs contractum, eóque non diſſoluto, conſequi beatitudinem; qua de re fusè infra cap.3. ſub finem. Deinde à quo ferretur hæc excommunicatio in quemcunque

peccatorem?

peccatorem? Reſpondet Maior in 4. d. 18. q. 2. *in illationibus ex concluſione tertia*, peccatorem excommunicari à ſeipſo. Addit tamen Maior, eam excommunicationem, eſſe duntaxat minorem; quatenus ſcilicet peccator ob grauem culpam quam admiſit, arcetur à participatione Sacramentorum. Idem habet Gloſſa cap. *ſiquidem*. de ſent. excom. Hæc tamen ſunt manifeſtè falſa. Nam ridiculum eſt, aſſerere, poſſe aliquem à ſeipſo excommunicari: quia ad excommunicandum exigitur iuriſdictio in perſonam cum vi coercitiua. Quis autem ſibi ſubeſt, & à ſe vi coërcetur? Optimè hoc excutiunt Soto in 4. d. 22. q. 2. artic. 2. & Gabriel in 4. d. 18. q. 2. artic. 2. *litera L*. Ex Iuriſperitis, Gloſſa cap. *quoties*. 1. q. 7. & Panorm. in cap. 1. de raptor. num. 12. & in cap. *vniuerſitatis*. de ſent. excom. num. 13. Quare ratum eſto, neminem poſſe à ſeipſo excommunicari. Itaque quod apud creditum Proſperum l. 2. de vita contempl. c. 7. laudantur qui in ſeipſos voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, non eſt accipiendum de excommunicatione quæ ſit iudicialis ſententia, ſed de abſtinentia à participatione Sacramentorum, qua quiſque ſuæ indignitatis conſcius, mulctare ſe cum laude poteſt, donec idoneus ad Sacramentorum vſum euadat. Quod addebat Maior, eam excommunicationem quam in ſe intorquet peccator, non eſſe niſi minorem, æquè reiiciendum eſt. Aliud quippe eſt, reddi indignum Sacramentis, quod contingit peccatori per mortale peccatum; aliud autem, ſpeciali prohibitione Eccleſiæ arceri à Sacramentis ſuſcipiendis, quod facit excommunicatio minor. Itaque aliquãdo homo, iam per contritionẽ purgatus ab ea inhabilitate ad ſacramentorum vſum

quam

quam ex natura rei,peccando contraxerat;adhuc manet inhabilis ad Sacramentorum ſuſceptionem ratione cenſuræ nondum ablatæ. Sunt igitur inhabilitates illæ,rationis longè diuerſæ, nec vna eſt permiſcenda cum alia, vt malè faciunt qui peccatorem quia ex natura rei arcetur à Sacramentorum ſuſceptione, aiunt irretiri minori excommunicatione.

Suſpenſio & interdictum, excommunicatio impropria.

4. Denique per impropriã acceptionem excommunicationis, & obtorſionem illius vocis, aliquando & ſuſpenſio & interdictum, vocantur excommunicationes. De ſuſpenſione id notauit Maiolus lib. 3. de irregul. cap. 21. *in fine*, ex cap. *quidquid.* 1. q. 1. & ex diſt. 23. cap. *Eccleſiaſtica*, vbi Gloſſa & DD. Idem habet Bernardus Diaz in praxi Canon. cap. 33. De interdicto nomine excõmunicationis expreſſo, extat exemplum apud Cantipratanum l. 2. Apum cap. 40. num. 7. vbi dicitur, Vrbem Sueſſionenſem fuiſſe ſuppoſitam excommunicationi, quod ſtatim exponitur de Interdicto. Eadem eſt notio excommunicationis apud Ademarum S. Eparchij Monachum, in Chronico anno 994. verbis illis. [Sæpè idẽ Alduinus (*Lemouicenſis Epiſcopus*) pro nequitia populi, nouam obſeruantiam conſtituit; ſcilicet Eccleſias & Monaſteria ceſſare à diuino cultu, & ſancto ſacrificio, & populum quaſi paganum à diuinis laudibus ceſſare. Et hanc obſeruantiam, excommunicationem cenſebat.] In Concilio item Bituricenſi, actione 1. Odelricus Monachus ſententiam rogatus aduerſus perturbatores Epiſcopatus

tas Lemouicenſis, rationem ac formam eiuſdem publicæ excommunicationis, hoc eſt interdicti, proponit ſeueriorem quàm vnquam indixerit Eccleſia. Refert Baronius anno 1034. num. 18. [Niſi de pace acquieuerint, (*inquit Odelricus*,) ligate omnem terram Lemouicenſem publica excommunicatione, eo videlicet modo, vt nemo niſi Clericus aut pauper mendicans, aut peregrinus adueniens, aut infans à bimatu & infra, in toto Lemouicinio ſepeliatur, nec in alium Epiſcopatum ad ſepeliendum portetur. Diuinum officium per omnes Eccleſias latenter agatur, ſed Baptiſmus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam, ſigna ſonent in Eccleſiis omnibus, & omnes proni in faciẽ preces pro tribulatione & pace fundant. Pœnitentia & viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes Eccleſias, ſicut in Paraſceue nudentur, & cruces ac ornamenta abſcondantur, quia ſignum luctus & triſtitiæ omnibus eſt. Ad Miſſas tamen quas vnuſquiſque Sacerdotum ianuis Eccleſiarum obſeratis fecerit, altaria induantur, & iterum poſt Miſſas nudentur. Nemo in ipſa excommunicatione (*hoc eſt durante interdicto*,) vxorẽ ducat. Nemo alteri oſculum det. Nemo Clericorum, aut laicorum, vel habitantium aut tranſeuntium in toto Lemouicinio, carnem comedat, neque alios cibos quàm illos quibus in Quadrageſima veſci licitum eſt. Nemo laicorum aut Clericorum tondeatur, neque radatur, quouſque diſtricti Principes & capita populorum, per omnia ſancto obediant Concilio.] Vides excommunicationem publicam, dici pro interdicto, & quidem peculiaris & ſeueræ admodum formæ. Satis de excommunicatione impropriæ.

Propria

Propria ſed ſecundùm quid tantùm, excommunicatio; monaſtica, & quæ minor dicitur.

5. Iam verò propria quidem, ſed non plena, atque adeò non niſi ſecundùm quid dicta excommunicatio, ea eſt, qua pars tantùm communionis inter fideles intercedentis remouetur; v.g. collocutio, aut diſcubitus ad eandem menſam. Quo pertinet excõmunicatio illa quæ apud D. Baſilium legitur in ſerie pœnarum n. 15. [Si quis veſpere poſt *Pater noſter*, inueniatur colloquens, excommunicetur.] Item illa quam S. Benedictus in regula cap. 24. his verbis decernit. [Secundùm modum culpæ, & excommunicationis, vel diſciplinæ debet extendi menſura. Qui culparum modus in Abbatis pendeat iudicio. Si quis tamen frater in leuioribus culpis inuenitur, à menſæ participatione priuetur. Priuati autem à menſæ conſortio, iſta erit ratio, vt in oratorio pſalmum aut antiphonam non imponat, neque lectionem recitet vſque ad ſatisfactionem. Refectionem autem cibi, poſt fratrum refectionem ſolus accipiat; vt ſi verbi gratia fratres reficiunt ſexta hora, ille frater nona. Si fratres nona; ille veſpera, vſque dum ſatisfactione congrua veniam conſequatur.] Hæc excommunicatio, vt ibi notat Peres, ne excedat culpam quæ reuera leuis eſt, non poteſt cenſeri eſſe excommunicatio maior, aut plena. Nonnulli eam vocant excommunicationem Monaſticam, eámque contradiſtinguunt Eccleſiaſticæ; vt videre eſt in Conſtit. Camaldul. lib. 1. cap. 23.

6. Cauendum tamen eſt, ne Monachi putentur fuiſſe prorſus expertes excommunicationis ſimpliciter dictæ.

dictæ. Id enim falsò aſſereretur. Sanè S. Iſidorus in regula cap. 28. excommunicationem ſimpliciter dictam, vſurpatam inter Monachos fuiſſe demonſtrat, prout eum intellexit Gratianus, regulam illam referens 11. q. 3. cap. *cum excommunicato.* Idem habetur ex Caſſiano lib. 2. de inſtit. c. 16. & expreſſiſſimè ex S. Benedicto in reg. cap. 25. verbis illis quæ Anton. Peres ibi num. 6. & 7. & cap. 26. num. 6. & cap. 23. num. 12. affirmat accipi debere de propriè dicta excommunicatione, intorquenda per ſuperiores Iuriſdictione Eccleſiaſtica potientes, nec ad aliam excommunicationem trahi poſſe: quod item monuerat Turrecremata. [Is autem frater, qui grauioris culpæ noxa tenetur, ſuſpendatur à menſa ſimul & ab oratorio: nullus ei fratrum in vllo iungatur conſortio, neque in colloquio. Solus ſit ad opus ſibi iniunctum, perſiſtens in pœnitentiæ luctu: ſciens illam terribilem Apoſtoli ſententiam dicentis: traditum huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Cibi autem refectionem ſolus percipiat, menſura vel hora qua prouiderit ei Abbas competere. Nec à quoquam benedicatur tranſeunte, nec cibus qui ei datur.] En apud Monachos propriiſſimam excommunicationem.

Monaſtica ergo excommunicatio, Eccleſiaſticæ excommunicationi ſimpliciter dictæ contradiſtincta, quæ frequentior fuit apud Monachos, ea eſt, quæ nulla interna communione priuat excommunicatum, ſed tantùm parte aliqua externæ communionis. V.g. conuictu in eadem mẽſa, addito ferè ſemper auctario aliquo pœnatum; puta recluſione in cella ad dies aliquot,

quot,humicubatione,ac ſimilibus aſperitatibus,vt videre eſt apud Smaragdum ad caput 23.reg.S.Benedicti.Eiuſdem rationis fuiſſe aliquando,excommunicationem in Eccleſia receptam pro fidelibus minora peccantibus,cenſet Gazæus ad librum 10.Inſtit. Caſſiani c.*16*. colligítque ex eo quod Apoſtolus iuſſerit fidelibus,vt ſubtraherent ſe ab omni fratre inordinatè ambulante:itémque ne cum rebellibus commiſcerentur,quod ſi quis frater eſſet fornicator,aut auarus, aut maledicus, aut ebrioſus, cum huiuſmodi nec cibum ſumerent.Hæc tamen illatio, non videtur adeò ſolida. Nam ſenſus multorum tulit, criminoſos illos de quibus meminit Apoſtolus, vigente tunc diſciplina Chriſtiana, fuiſſe ſimpliciter ac plenè excommunicatos. Quare aptius exemplũ excommunicationis prædictæ ad monaſticam accedentis,videtur peti poſſe ex cap.*in loco*.5. q. 4. vt ibi Gloſſa indicauit, & expreſſiùs tradidit Archid.ibi,& in cap. *præſenti*. 5. q. 2. ac Suarez t.5.3.p.d.4.ſ.5.num.*26*.

7. Pertinet etiam ad excõmunicationem nõ plenam, ea excommunicatio Eccleſiaſtica, quam paſſim vocant minorem. Eſtque in eo ſita, quod alicui directè vetetur participatio Sacramentorum, vt habetur cap. penult.de ſent.excomm. Hæc ſola ex partialibus excommunicationibus quas excogitare licet permultas,& quarum aliquas vidimus viguiſſe apud Monachos, ab Eccleſia inter cenſuras omnibus fidelibus communes inſtituta eſt,& frequenti vſu recepta.Imo olim nomine excommunicationis ſimpliciter & abſolutè dictæ,hæc ſola intelligebatur,vt patet ex cap. *Engeltrudam*.3. q. 4. notarúntque Martinus Pereſius de tradition.p.3. tit. de excommun.§.1.*ſub finem*, &

Auila 2.p.c.1.diſp. 2. Nimirum tunc fideles quia feruebant ſpiritu,plus horrebant arceri à ſolis ſacramentis ,quàm nunc ſeneſcente fide timeant prohiberi ambitu vniuerſo Eccleſiaſticæ communionis : ideóque nomen excommunicationis abſque alio addito dictę,applicabant ad illam diminutam nec niſi ſecundùm quid dictam excommunicationem , quam nunc paſſim dicimus excommunicationem minorem.

Et impropriè, & ſecundùm quid dicta excommunicatio hinc ſeponenda.

8. Omnes toto hoc capite propoſitæ excõmunicationes,ſeponendæ ſunt à præſenti tractatione:quia illę quas improprias eſſe monſtrauimus,longè abſunt à ratione veræ excõmunicationis , cuius terrori apud fideles incutiendo anniti volumus.Illæ verò alię quas ſecundo loco recenſuimus,tametſi ſint excommunicationes propriè dictæ, non tamen niſi ſecundùm quid:quia non arcent ab omnibus communionibus, quę fidelibus cum fidelibus intercedunt.Præterquàm quòd illæ quas vocauimus monaſticas,non pertinent ad omnes fideles. Poſtrema verò quæ in omnes poteſt cadere, nunc non eſt adeò frequens ac olim, nec circa eam viget abuſio cui euellendæ conſultum cupimus. Nunc ſanè , contra quam olim factum vidimus , vox *excommunicationis* , abſolutè & ſimpliciter dicta,denotat ſolam excommunicationem maiorem, vt habetur ex cap. penult. de ſenten. excom. ibique cum Gloſſa tradunt DD. nominatímque Panorm. num. 2. Angelus v. *excommunicatio.* 2. §. vltimo. Syluest.

Syluest. v. *excommunicatio.* 1. num. 18. Nauar. in Extrau. de datis & promiſſis, notab. 4. n. 8. & plerique omnes apud Sayrum lib. 1. de Cenſur. c. 4. num. 19.

CAPVT II.

Præſuppoſitio neceſſaria; In quo ſit ſita propriè & ſimpliciter dicta excommunicatio, de cuius horrore agendum eſt.

1. VT poſſimus grauia mala quæ per excommunicationem antonomaſticè dictam inferuntur aperire, & abuſum quo parui fit, eradicare, præmittendum neceſſariò eſt, in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter dicta. Nam niſi notio eius proponatur, & in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter dicta perſpiciatur, impoſſibile eſſet, timoris quem incutere quærimus, ſtimulum idoneum adhibere.

Excommunicatio, communicationis priuatio.

1. Excommunicatio idem eſt quod communicationis vel communionis priuatio. *Communionis* autem vel *communicationis* nomina, inter Chriſtianos longè alium vſum olim habuere, quàm nunc habeant. Nam olim voces illæ, ad denotandam ſocietatem rerum ſacrarum, & pertinētium ad humanæ vitæ commercia, vſurpabantur: quod prolatis variorum Conciliorum decretis confirmat Albaſpinæus lib. 1. obſeru. ſacr.

obſeru. 1. Sed abſtineo eo labore tanquam minùs neceſſario, cum nihil ſit frequentius in priſcis Conciliis & antiquorum Pontificum decretis, quàm vt communio aut communicatio eo modo vſurpata reperiatur. Illuſtriſſimus eſt locus ex Concilio Arelat. 2. can. 12. quo ſic habetur. [De his qui in pœnitentia poſiti vitam exceſſerunt, placuit nullum communione vacuum debere dimitti, ſed pro eo quod honorauit pœnitentiam, oblatio eius recipiatur.] Nemo non videt, quam ibi communionem dicat Concilium; nempe admiſſionem oblationum quas cognatio pœnitentis vita functi, eius nomine, vti Teſtamento cauerat, exhibebat Eccleſiæ. Liquidiſſimum igitur eſt, cõmunionem eo loco vſurpari pro ſocietate inter fideles. Et quia fidelium alij, ad ordinem vt Tertullianus loquitur, hoc eſt ad clerum, alij ad plebem pertinent, & laici dicuntur: aliter autem fideles ſocietatem habent cum Clericis, aliter cum laicis: & cum Clericis diuerſi gradus diuerſimodè; (nam in aliis participamus cum Epiſcopo, quem vt Epiſcopum agnoſcimus, in aliis cum Sacerdote, & ita de cæteris:) idcirco duplex huiuſcemodi communio, generatim diſtincta iam olim eſt. Nimirum communio *Eccleſiaſtica*, quæ etiam aliquando reperitur dicta *Sacerdotalis*, & communio *laica*. Clericus ille potiebatur communione Eccleſiaſtica ſui gradus propria, qui nulla functione ad ipſum attinente, nullo munere aut honore ſui gradus proprio, prohibebatur: Qui inde excidebat, ex toto vel ex parte, eadem proportione excidebat communione. Interdum verò abſque deiectione è communione Eccleſiaſtica, Clericus fruebatur tantùm communione peregrina, quæ iuxta Albaſpinæum ſupra

pra obſeruatione 3. & Ludouicũ à Cerda in Aduerſ. ſacris cap. 138. num. 13. Clericis externis indulgebatur cum abſque literis formatis adueniebant, aut cum ſuberat occaſio ſuſpicandi eſſentne formatæ, ſynceræ, vt ſatis apertè traditur can. 32. Apoſtol. etiamſi aliter de ea communione philoſophantur, Sancteſius repetit. 10. & Lindanus l. 4. panopl. cap. 58. & Bellarminus ac Vaſquez mox adducendi. Communionem laicam, aliqui interpretantur de ſumptione Euchariſtiæ ſub ſola panis ſpecie, prout eam ſumere poterant laici. Ita Bellarminus l. 4. de Euchar. c. 24. addit tamen dari quoque ſolitum laicis vſum calicis ſi voluiſſent, ſed non niſi in Eccleſia, & abſque contactu calicis, cum tamen ſpeciem panis, & manu exciperent, & domum aſportarent. Verùm inde ſequitur communionem laicam non fuiſſe neceſſariò ſub vna ſpecie, qualem tamẽ fuiſſe Clericorum criminoſorum communionem, & idcirco dictam laicam, vult Bellarminus, vel minus conſequenter locutus, vel denominationem laicæ communionis tribuens communioni ſub vnica panis ſpecie, quia quandoque vſurpabatur tali modo à laicis. Ibidem Bellarminus, laicam communionem cenſet eandem fuiſſe cum peregrina: & annuit Vaſquez 3. p. d. 216. num. 35. ratus dici peregrinam communionem, non quod eſſet peregrinorum, ſed quod eſſet peregrina, ſiue aliena à Clerico. Alij laicam communionem exponunt de ſumptione Euchariſtiæ extra cancellos altaris. Ita Durantus l. 2. de ritibus cap. 55. Pamel. ad epiſtolam 52. S. Cypriani n. 37. Suarez 3. p. q. 73. artic. 4. VValterus cœna 3. cap. 14. Verior autem interpretatio quæ eſt Lindani lib. 4. panop. cap. 58. communionem laicam accipit pro eo,

vſu ſocietatis fidelium qui laicis concedebatur, quod videntur ferre multi canones quos Durantus ſupra profert num.7.& Albaſpinæus l.1.obſeruat. ſacr. obſeru.4. Aliter quippe fideles laicis, aliter clericis iunguntur:& aliorum commercium eſt cum perſonis ſacris, aliorum cum profanis & laicis. Eſt in eam rem pulcher locus apud S. Cyprianum epiſtola ad Antonianum cum agit de Trophimo Epiſcopo, quem negat reſtitutum vt locum Sacerdotis vſurparet,ſed tantùm vt tanquam laicus communicaret:hoc eſt,vt eadem cum cæteris conſociatione frueretur qua paſſim laici fideles.Huic interpretationi communionis laicę, opponit Ludouicus à Cerda in Aduerſ.ſacris cap. 141. num. 13. locum ex Concilio Prouinciali Rothomagenſi,celebrato anno 1581. tit. de Epiſcoporum Officiis num. 11. quo damnantur Sacerdotes qui à multis annis initiati, laicam tantùm communionem ſumunt. Vbi apertè, communio laica idem eſt quod participatio Euchariſtiæ ſub ſola panis ſpecie. Verùm locus à Neotericis autoribus ſic expreſſus,non poteſt antiquam communionis laicæ notionem repræſentare. Germanam communionis peregrinæ notionem, & quantopere à laica differat,iam ſupra tradidi.

2. Hæc cum eſſet antiqua notio communionis & communicationis, nunc tamen eædem voces longè ſtrictiùs accipiuntur;nempe tantùm pro ſumptione Euchariſtiæ. Cauſas veſtigat Bayus, lib. 2. de Euchar. cap. 18. Sed breuiter ratio eſt, quòd præcipuum bonum, τὸ τέλειον καὶ τὸ ἀγαθὸν, vt loquitur S.Baſilius ad Amphilochiũ cap.4.& 22.& Concil.Ancyran.cap. 4.5.& 6.quo participare in hac vita poſſunt fideles,ſit corpus Chriſti,ſpeciebus velatum. Inde ergo factum

eſt,

eſt, vt communicationis, & communionis nomina ad eam participationem ſint reſtricta. Sicut nomen *Papa*, olim commune omnibus Epiſcopis, ſenſim ad ſolius Romani Pontificis, tanquam aliis longè præcellentis, deſignationem arctatum eſt. Et nomen Bibliorum ex ſe commune quibuſuis libris, ad nomenclationem ſacrorum librorum vſu receptiſſimo eſt reſtrictum. Similiter ergo, quia præſtantiſſima pars ſocietatis fidelium, in eiuſdem panis Euchariſtici communicatione verſatur, non abs re eius ſumptio cum cæteris fidelibus, dicta eſt antonomaſticè *communicatio*, vel *communio*. Eáque ex cauſa, olim Epiſcopi aduenientibus externis quibuſcum ſocietatem habere ſtatuebant, mittebant ad eos ſacram Euchariſtiam, tanquam conteſſerationis mutuæ ſymbolum. Et eſſe ſanè Euchariſtiam, ſymbolum vnitatis membrorum in Eccleſiæ corpore ſub Chriſto capite, dicam infra agens de excluſione excommunicati ab Euchariſtia. Meritò igitur Euchariſtiæ vſus dicitur communio. Non me latet, Iſidorum Peluſiotam lib. 1. epiſt. 228. aliò referre cauſam cur Euchariſtia dicatur communio. [Diuinorum (inquit) ſacramentorum perceptio, idcirco communio appellata eſt, quia nobis coniunctionem cum Deo conciliat, nóſque regni ipſius conſortes ac participes reddit.] Non improbo hanc doctrinam. Sed quod dixi, eſt receptiſſimum.

Duæ hæ communiones ſiue communicationes, ſe habent vt includens & incluſum. Nam poſterior hæc communio vt ex dictis liquet, eſt pars prioris communionis quæ ſuo ambitu comprehendit vniuerſam fidelium ſocietatem, & omnia in quibus commercium mutuum ac conſociationem habere poſſunt. Et

ab ea ſic amplè dicta, non autem à ſola poſteriore communione, præcisè & vt ſic accepta, petitum eſt nomen excommunicationis propriè & ſimpliciter dictæ. Id vt perſpicuum fiat, paulò altiùs rem arceſſere operæpretium videtur, & quæ inter fideles viatores, ac etiam inter viatores & vita functos, intercedere communio poſſit, eſt præmittendum.

Communicatio fidelium, externa, interna, mixta.

3. Recolendum igitur eſt, quod ex doctrina Apoſtoli eſt vulgatiſſimum, fuſéque tractatum agendo de Chriſto capite, Eccleſiam eſſe corpus quoddam politicum, cuius ſinguli fideles ſunt membra. Sicut ergo inter membra eiuſdem corporis, non poteſt non intercedere multiplex communicatio, ita eiuſdem fidelium cœtus partes, non poſſunt communicationem inter ſe multiplicem non habere. Eſt itaque vt S. Thomas notauit Opuſc. 5. ad 9. ſymboli articulum, fidelium communicatio, quædam in rebus externis purè humanis & ciuilibus, quarum ſcilicet in communi vita eſt vſus; cuiuſmodi ſunt, ſalutationes, collocutiones, conuiuia, aliáque huiuſmodi: ſiue quæ occaſione fori ciuilis ſecularis aut Eccleſiaſtici adhibentur, quæ dici poteſt communicatio forenſis, vt quæ in Iudicis, Aduocati, Tabellionis, Actoris, Tutoris, ſimilíve quopiam munere continetur. Prætereà verò eſt communicatio quædam in rebus ſacris, & vel ad cultum Dei, vel ad animæ ſanctificationem ſpectantibus. Quæ communicatio, pro multiplici genere rerum in quibus verſatur, aut externa eſt, aut interna, vel ex ambabus commixta. Externam voco, communem cum

cum aliis fidelibus vſum Sacramentorum, & ſacrificij incruenti frequentationem cum aliis, dimiſſo interno fructu inde oriundo, & precisè attendendo externam illam oculis corporeis patentem communicationem. Eodem reducitur ſocietas in ſolemnibus precibus, & doxologiis pſalmíſque pangendis. Interna verò communicatio, ea eſt qua fideles per fidem internam qua diuinitùs colluſtrantur, & multo nobilius arctiúſque per charitatem cœlitus ſibi infuſam conſequenter ad gratiam ſanctificantem, connectuntur inter ſe inuicem, & cum Chriſto omnium capite, à quo viuificum influxum communem, & vitæ ſuccum recipiunt. Hanc bonorum internorum communitatem, conſequitur communicatio meritorum, non quidem quoad gratiæ ſanctificantis & præmij eſſentialis participationem; (ſic enim mereri aliis, Chriſti ſolius fuit,) ſed quoad exorationem ſpecialis prouidentiæ diuinæ, ac protectionis, quæ quibuſdam ratione aliorum obtingit, etiam citra impetrationem, in formali, & ad hoc directa oratione fundatam; tantúmque quia ſunt membra connexa, quorum quæ bona ſunt, obiectiuè mouent Deum, vt eorum intuitu velit aliis benè. Quo pacto communionem Sanctorum in ſymbolo expreſſam accipit Alanus lib. de ſacrif. cap. 31. nec ſine fundamento in Scriptura, vt dico tractans literas fraternitatis in Opere de pietate heteroclita. Scotus quodlib. 20. diſtinguens fructum operum bonorum ſpecialiſſimum qui immanet operanti, & ſpecialem qui transfunditur in eum cui aliquid impetratur, addit alium tertium fructum quem vocat generaliſſimum, qui in totam Eccleſiam deriuatur propter Sanctorum communionem, éſtque is ipſe fructus quem nunc ex-

poſuimus. Agnoſcunt illum eodem modo Adrianus quodlib. 8. artic.3. Gabriel lect. 26. in Canon.& alij apud Couarruuiam in c. *alma mater.* p.1.§.5. num.5. Malè autem Sayrus l.1.de cenſur.cap.5.num.12. exiſtimat hanc Sanctorum communionem ferre,vt vnus pro alio mereatur & ſatisfaciat, etiamſi neuter de eo cogitet. Id enim quoad ſatisfactionem, abſque fundamento affirmatur. Quoad meritum autem, ſi de merito propriè dicto eſſet ſermo, repugnaret ſtatui hominis puri. Meritum verò congruum, non poteſt formalem merentis intentionem excludere. Quare ſufficit, eam Sanctorum communionem,exponere vt fecimus. Communicatio denique, mixta ex externa & interna,dicitur illa in qua aliquid ad vtranque propoſitam communicationem pertinens, reperitur. Sic communes Eccleſiæ preces & communia ſuffragia per ſatisfactionum communium applicationem, cum ſint corporis ſenſibilis atque viſibilis, aliquo ſemper ſenſibili conueſtiuntur, eive adiunguntur, vt pertingant ad eos quibuſcum communicantur. Et ferè eodem modo res habet, quoties priuatus quilibet, ſuarum precum aut ſatisfactionum fructum transfundit in alium. Minùs verò aptè Brulefer in 4.d.18.quæſito 6.& ibid.Vorrilongus q.vnica,artic.3. ad 1.huius tertiæ communicationis exemplum proferunt communionem in Sacramentis.

Ex his variis communicationibus inter Eccleſiæ membra intercedentibus,& conflantibus adæquatam & totalem communionem eorum, aliquæ non ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ vt eas poſſit abrogare, vnde non priuat illis excommunicatum; aliquæ verò ſubſunt poteſtati Eccleſiæ, & eas reipſa abrogat excommu

communicato. Recurramus ſingulas, eodem ordine quo ſunt propoſitæ.

Externa communicatio prior, ſpectans ſocietatem humanam, adempta excommunicato.

4. Communicatio quoad opera humanæ ſocietatis atque conuictus, ſubeſt abſque dubio poteſtati Eccleſiæ. Si enim poteſtas politica iuſtè ſegregat aliquos à quibus poſſet corporum contagium in alios deriuari, vt leproſos, aut lue contactos, quanto magis qui peſtes eſſe animorúm deprehenſi fuerint, poterunt procul amandari? Sic exilium quod in variorum criminum culpam irrogatur, ita plectit noxium, vt etiam conſulat iis à quibus morbida illa ouis ſecluditur. Et qui factioſi, aut ſeditionum incentores ſunt, meritiſſimò extorres fiunt, vt publicæ tranquillitati proſpiciatur. Hoc ſi ad ſtatus politici indemnitatem iure decernitur, quanto magis cum æterna cõmunitatis ſalus idem depoſcet, infligi valebit per Eccleſiaſticam poteſtatem, quæ nec in ſuo genere eſt infirmior, nec minùs intenta in bonum eorum quibus inuigilat? Non dubitabit de iuſtitia & conuenientia huius ſegregationis improborum à cæteris, quiſquis attenderit ad virulentiam & damna conuictus vitioſorum. Pleraque in eam rem protuli in Morali diſt. 4. à num. 438. Nunc addo inſignem locum S. Chryſoſtomi, in Pſalmum 4. ad illud. *ſingulariter in ſpe.* Sic autem habet. [Illud, *ſingulariter*, non eſt paruæ virtus doctrinæ. Quid eſt autem *ſingulariter*? Seorſum ab improbis. Hanc enim pacem (inquit) apud te præclarè habui, & ſeparatim habito, fugiens homines improbos, ac corruptos.

ruptos. Et iure profectò. Quemadmodum enim corpora ſæpè à corrupti aëris lue infecta, pereunt; ita etiam anima ſæpè damnum accipit ex malorum congreſſione: & quemadmodum ſanus oculus quando laborantem aſpexerit, afficitur, & qui eſt ſcabie refertus, iis etiam qui ſani ſunt eam impertit: ita etiam ſæpè contingit in conſuetudine improborum hominum. Et ideo etiam ſuaſit Chriſtus non ſolùm eos qui ſunt tales fugere, ſed etiam excindere, ſic dicens. *Si oculus tuus dexter, te ſcandalizat, erue eum, & eiice à te*; Non dicens de oculo; (quid enim mali fecerit oculus, ſi ſit ſanus animus?) ſed de amicis neceſſariis, & qui ſint nobis loco horum membrorum, & nos lædunt, hæc conſtituit, iubens eorum amicitiam etiam cõtemnere, vt ſua ſalus efficiatur tutior. Quamobrem ipſe etiam rurſus progrediens dicit. *Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniquè agentibus non ingrediar.* Quinetiam Hieremias eum dicit beatum, qui ſedet ſeparatim, & tollit iugum ab adoleſcentia. Iàm verò etiam Prouerbia, multa de ea re verba faciunt, dicentia, & ſuadentia omnibus, non ſolùm declinare, ſed etiam reſilire ab iis qui mala conſulunt, & non cum illis verſari. Si enim quæ ſunt naturalia, ſæpè mutant naturam ex mala conſuetudine, quanto magis quæ ſunt arbitraria, & noſtrę voluntatis? Color enim, & ſanitas ineſt nobis natura: Sed ea nõnunquam corrumpuntur ex alio habitu contrario, & rurſus appetitus ciborum, & eum ſępè perdidimus vitio ęgritudinum. Multa etiam alia licet videre eiuſmodi, quę accidunt. Quod ſi ea quæ ſunt naturalia, mouentur, multo magis ea quę ſunt volũtatis facilius mutantur ad vtrumlibet. Ne parum damni afferre exiſtimemus malorum

conſuetu

conſuetudinē: ſed ante omnia, eos qui tales ſunt, vitemus, etiamſi ſint vxores, etiamſi amici, etiamſi quilibet. Nam hoc etiam malos illos perdidit, Salomonem inquam, & Samſonem. Quinetiam totum genus Iudaïcum ſic periit. Neque enim ita feræ pungunt vt hominum improbitas. Illæ enim venenum apertè pręſe ferunt: hi autem inſenſibiliter, & abſque vllo ſtrepitu, virus quotidie immittunt, de animi robore quotidie paulatim detrahentes. Quocirca etiam impudicum aſpectum Deus amolitur, dicens. *Qui reſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo*; propterea quòd ſit facile & procliue exitium. Tu autem ſi in ciuitate aliqua ſis habitaturus, de aëre curioſè inquiris, an non ſit ſalubris, non temperatus, non ſiccus. De anima autem rationem initurus, non es ſollicitus de eorum conſuetudine, qui cum ea ſunt congreſſuri, ſed temerè & inconſideratè eam omnibus permittis? Dic tu mihi quomodo veniam aſſequeris, qui eam ſic negligis?]

5. Ex Iſidoro Peluſiota, locum illuſtriſſimum in hanc ipſam rem ſignaui prædicto loco: nunc appono alium ex libro 4. epiſt. 157. vbi explicat quid ſit illud à Moyſe mandatum Sacerdoti. *Super omni anima mortua, non ingredietur.* Sic ergo ſcribit ad Anatolium. [Hoc vult dicere. Cum anima mortua, nihil tibi eſto commercij. Nam quod illud *non intrabis*, valeat idem, quod *non communicabis*, (vel *nihil rei habebis cum ea*) audi quid Sara dicat Abrahamo. *Ingredere ad ancillam meam, & liberos ex ea procrea.* Quod autem corpus mortuum neminem polluat, (naturales enim res extra culpam ſunt) diſce à legiſlatore ipſo, Moyſe inquam, qui per vmbras & ſymbola veritatem adumbrauit,

brauit. Nam ille ipſe qui hęc præcepit, oſſa Ioſephi ex Ægypto ablata, circumuectauit. Ad quem, non iniuriâ quis dixerit: Quid agis ô Moyſe? quid ita facis ipſe, quæ prohibes aliis? Quid ea aggrederis quibus interdicis? Imo etiam quid facis ea, quæ lege lata vetuiſti? Dicam tibi quiſpiam ſcripturus videtur, tanquam ei qui primus omnium, violes legẽ. Non violo, non ſoluo (inquit) legẽ à me latam. Sed per hoc oſtendo, rem ipſam quæ per ſcripturam, ac verba legis ſignificatur, diligenter eſſe attendendam. Ego enim eum qui caſtitatem coluit, pro mortuo non habeo. Ego eum, qui fratres à quibus inſidiæ ſibi ſtructæ fuerant, beneficiis affecit, defunctum neſcio. Viuit Deo, vt nobis interim ad tempus videatur eſſe mortuus. Sed & vobis hortator ſum, vóſque ſedulò moneo, vt nõ ſolum fugiatis peccatum, rem videlicet mortuam, & mortis conciliatricem, verùm etiam, vt ne cum peccantibus quidem, vllum habeatis commercium. Nam naturales quidem defectus, extra culpam, & crimen verſantur. At qui ex libera voluntatis electione proficiſcuntur, illi demum accuſationem, & animaduerſionem merentur. Atque hanc meam fuiſſe mentem, inuenietis facilè, ſi verba quibus vſus ſum, probè examinaueritis. Non enim dixi: *ad hominem*, vel *ad corpus mortuum*; ſed *ad animam*. Anima namque peccans, morietur.] En quantum ſit periculum & damnum à commercio vitioſorum.

Sigillatim, quid ea priuatio contineat.

6. Meritiſſimò igitur Eccleſia interdicit iis in quos animaduerſionis ſuæ gladium exerit, commercio

cio cæterorum, & prima hac communione, ita vt nefas ſit excommunicatis frequentare alios, vel eorum conuictu quomodolibet potiri, vt ſanciunt benè multa iura quæ collegit Gratianus 11. q. 3. & 24. q. 1. Videndum prætorea caput *nuper*, ad cap. *ſi aliquando*, de ſent. excomm. Quæ iura, iis quoque qui ſani ſunt, interdicunt omni commercio excommunicatorum. Vt autem aliquid diſtinctiùs dicamus, vetatur in primis allocutio excommunicati, etiamſi is non reſpondeat: Vel etiamſi tátùm ei præbeamus aurem, & ipſe ſolus loquatur: ídque, etiamſi collocutio fiat ſecretò, non publicè: vel etiamſi fiat tantùm per nutus & ſigna, vt ex variis Doctoribus affirmat Ricciullus l. 4. de iure perſon. extra Eccleſ. cap. 46. Ne ipſam quidem honorificam ſalutationem, ſiue verbo ſiue ſcripto poſſe impendi excommunicato, habetur ex multis textibus quos profert Couar. in c. *alma mater*. p. 1. §. 1. n. 1. colligitúrque ex illis verbis B. Ioannis, *nec aue ei dixeritis*. Tametſi autem non deſunt DD. qui contrarium opinentur, tamen verius id eſſe, cenſet Suarez t. 5. 3. p. d. 15. ſ. 1. num. 3. Eidem excommunicato, exhiberi non poſſe reuerentiam, caput aperiendó vel aſſurgendo, tradunt Palud. in 4. d. 18. q. 6. artic. 2. Syluest. v. *excommunicatio*. 5. num. 3. Præpoſ. dub. 14. de excom. num. 95. Peres ad cap. 25. reg. S. Bened. num. 2. vbi tamen excipit Prætorem ac ſimiles; addítque, neminem prohiberi reſalutare excommunicatum, cíve in neceſſitate reſcribere, quia hoc eſt debitum ſoluere, quod etiam Ethnicis debetur. Statuit quidem de his paulo laxiùs Comitolus l. 6. reſol. moral. q. 31. num. 5. non ſine aliorum quorundam ſuffragio. Tamen alij, nec numero nec autoritate impares, omnem planè in hoc
genere

genere indulgentiam reſcindunt, & excommunicatum, veluti truncum inter mortales verſari volunt, omni planè cum eo communicatione reſciſſa, intra ambitum virium legis humanæ interdicentis communicatione cum excommunicatis. Legeſis quos circa hanc communicationem quadripartito diſtributam profert Ricciul. c. illo 46. qui ibidẽ c. 56. n. 12. negat licere ſoluere debita excõmunicato, etiamſi fas ſit repetere ab eo debita, vt rectè ſtatuit Gloſſa ad c. *nos Sanctorum*. 15. q. 6. contra quoſdã Iuriſperitos ridiculè aduerſantes. Saltem verò fas eſſe negare excommunicato debiti ſolutionem, probabile agnoſcit multos ad id adducens Leſſ. l. de Iuſt. c. 16. n. 77. & idem vt probabile tradũt Naldus v. *excommunicatio*. n. 32. & Molina tract. 2. d. 759. Abſolutè verò idem docet Medina C. de reſtit. q. 3. cauſa nona, quoad debita ſolo verbo contracta, vt promiſſione aut ſtipulatione, etiamſi iuramento firmata. Sunt quoque qui contractus cum excommunicato celebratos, non modò pronuncient illicitos, quod eſt regulariter certum, ſed etiam nullos & inualidos. Ita enim illis videtur̃ ſequi, ex prorſus interclusa communicatione cum excommunicatis.

Adhæret excommunicato, vbilibet.

7. Prorſus inquam. Eſt enim decretum planè vniuerſale quoad omnes excommunicatos ſimpliciter, æquè obſeruandum ab omnibus fidelibus. Itaque communis doctrina, vt notat Naldus v. *excommunicatio*. num. 29. interdicit communicatione cum excommunicato, etiamſi dormiente, aut verſo in furorem. Item æquè cum eo qui ſit alibi excommunicatus, ac cum eo qui fuerit perculſus excõmunicatione

in

in hac parœcia,vel Diœceſi:quia excommunicatio,vt ait Panorm.in c. 1. de Treuga & pace, eſt ſicut lepra, quæ non clauditur territorio,ſed ſequitur perſonam. Subſcribunt Roſella v. *excommunicatio*, *6*. §. *39*. Sylueſt.ibid.5.§.*26*. Couarr.in c.*alma mater*.p.1.§.2.n.*6*. Philiarcus 1.p.de offic.Sacerd. l.3.cap.13. Quare qui ſunt conſcij quod Caius ſit alibi excommunicatus, tenentur hîc eum vitare, non modò priuatim quod omnes admittunt, ſed etiam publicè, dummodò tamen vt vult Auila 2.p.cap.*6*. diſp.11.dub.2. acceſſerit hîc denunciatio, vel notorietas facti, excommunicatum reddentis vitandum, inducta per ſententiam iudicis. Fuit autem planè neceſſarium,ſtatui vt excommunicatus alicubi, iuberetur carere vbique communicatione fidelium : alioqui non poſſet perfectè & conuenienter obtineri effectus per excommunicationem intentus.Quod demonſtrant illa Iſidori Peluſiotæ l. 3. epiſt. 259. cum expoſtulat de contrario abuſu hac in parte.[Ex Eccleſia eiicere, promptum ac facile eſt,ſed emendationem non habet. Nam ſi ei qui optimo iure ab aliquo condemnatus eſt, ad omnes etiam alias Eccleſias aditus clauderetur,cunctique vnà cum eo qui ſententiam tuliſſet, indignationem conciperent, fortaſſis ille caſtigatus meliorem mentem indueret. Nunc autem, ſimul atque quiſpiam ab aliquo condemnatus eſt, ab alio perſæpè colitur, & obſeruatur, aliáque ei Eccleſia patet & ſatellitium, & munera, eique qui eiectus eſt,in quæſtũ cedit loci commutatio.] Subdit quanta inde rerum euerſio, & zeli in Antiſtibus probis reſtinctio conſequatur. Autor libri de 12.abuſionibus,qui & apud S.Cyprianum legitur, & t.*9*. Auguſtini,tractans abuſionem decimam, inde

probat excommunicatum ab vno Antiſtite, debere æquè apud omnes, priuari fidelium commercio, quod Leuit. 21. ſummus Sacerdos vetetur viduam aut repudiatam ducere vxorem. Sic enim ſignificatum putat autor ille, ſummum inter Chriſtianos Sacerdotem, (quæ ſæpè eſt apud veteres Epiſcopi nomenclatura) non debere excipere, repudiatos ab alio Antiſtite. Et ita ſanxerat magnum Concilium Nicænum c. 5. Idem quoque præſcribitur apud Gratianum c. *ſi quis Presbyter*. 7. q. 1. ex Concilio Antiocheno cap. 3. Quare Syneſius in horrenda illa Andronici deuotione quæ legitur apud ipſum Syneſium epiſt. 58. fidenter denunciat omnibus Eccleſiis, niſi ſciſſam velint Chriſti veſtem, vt diras in Andronicum intortas, ratas habeant, eúmque deuitent. Non eſt autem quod quis miretur, quomodo vnus Antiſtes poſſit perſonas alterius territorij obſtringere ad fugiendum conſortium eius quem ipſe excommunicauerit. Nam iura omnibus communia, & ab vniuerſali poteſtate lata, ita decreuerunt; vt rectè notarunt Maior in 4. d. 18. q. 4. & Gabriel ibid. q. 3. *litera* T. Nec aliud voluerat Scotus in 4. d. 19. q. 1. num. 16. malè reiectus à Dominico Soto in 4. d. 22. q. 2. artic. 1. Mens enim Scoti, perſpicuè eſt quam propoſui.

Et quoad omnes Chriſti oues.

8. Eſt prætereà decretum de cauendo excommunicati conſortio vniuerſale, quia omnes Chriſti oues attingit, & obligat. Omnes enim oues, quotquot ſunt in Chriſti caula, Paſtoribus quibus Paſtor æternus gregem ſuum credidit, ſubeſſe humiliter debent; & quas

quas illi ſegregauerint oues morbidas, ni & ipſæ contaminari & alieno contagio ſordere velint, debent auerſari. Nec dubitarem pertinuiſſe ad laxationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & eneruationem vigoris in Paſtoribus, vel ad conculcationem audacem ſacrarum legum, ſi verum eſſet quod ſcribunt Iuretus ad epiſtolam 62. Iuonis Carnotenſis, & Sauaro ad l. 1. Sidonij epiſt. 11. nempe liberum fuiſſe apicibus humanarum dignitatum, dignari menſa quoſuis excommunicatos, & ea ipſa ad Regiam menſam admiſſione, exſolutos fuiſſe excommunicationis nexibus. Sed hæc eſt perſpicua hallucinatio, cui non ſuffragatur Concilium Toletanum 12. cuius cap. 3. nititur Sauaro. Nam eo capite, ſermo duntaxat eſt, de illis qui excommunicati fuerant quia in Regem deliquerant. Rege autem placato, & ſatisfacta (vt aiunt) parte, mirum non fuit, remitti eo ipſo, pœnam excommunicationis inflictam. Sic Prætextatus Epiſcopus Rothomagenſis, iudicio 45. Epiſcoporum excommunicatus tanquam maieſtatis reus, habitus eſt planè exſolutus, cum primùm Rex Guntrannus illum ad conuiuium admiſit, vt ſcribit Gregor. Turon. l. 7. hiſtor. c. 16. Videndus in eam rem Iuo Carnot. epiſt. 62. & 171. Ratum igitur eſto, magnos quoque qui ſunt in terra, teneri non communicare cum excommunicatis.

9. Quinetiam Epiſcopus qui excommunicationem vibrauit, eadem lege aſtringitur, nec poteſt cum eo quem excommunicauit, communicare ante exſolutionem legitimam; vt cum communi Doctorum ſententia, rectè ſtatuit Couarruuias in cap. *alma mater*. p. 1. §. 2. num. 2. iuxta caput *cum deſideres*. de ſent. excommun. Id ni ſeruet Epiſcopus, peccabit, & mi-

nori excommunicatione,lata in communicantes cum excommunicatis, irretietur. Non habet quidem ipſe in ſe vim coercitiuam, vt notum eſt. Tamen eo ipſo quod excommunicatione aliquem perculit, ex vi inſtitutionis talis cenſuræ, & iure communi, conſequitur in Epiſcopo, obligatio illum euitandi quem ipſemet excommunicauerit.Nec ſi cum eo communicet, eo ipſo abſoluit illum.Contrarium namque ſtatuitur cap.*cum deſideres*. de ſent. excommun. Facultas quoque quam concederet communicandi cum excommunicato, nulla eſſet, vt rectè ſtatuit Barboſa de poteſt.Epiſc. allegat.41. num.37. Ipſe item Papa, niſi id expreſsè intendat, non abſoluit etiamſi cum excommunicato communicet: vt habetur Clement.*ſi ſummus*. de ſent. excommun. Neceſſarium igitur eſt, vt Antiſtes Summo Pontifice inferior, beneficium abſolutionis, in actu (vt ſic dicam) ſignato impendat, priuſquam ſine noxa communicet cum eo quem excommunicauit.Idque ad Superiorem quoque excommunicantis,rectè extendit Prępoſitus q.2.de Cenſur. dub.5. Semper tamé excipitur Papa,vt eſt manifeſtú, notántque Abbas & Felinus cap.*nulli*.de ſent.excommun.Eſt locus 1.Conſtit. Apoſtol. c.40. qui contrarium ſonare videtur quoad Antiſtites ſummo Pontifice inferiores,quàm hîc ſanxerimus. Sic enim habet Clemens,alloquens Eccleſiæ præfectos. [Cum iis igitur quos propter peccatum excommunicaſtis, habete & congreſſus, & conuictum, curantes, conſolantes, fulcientes, illúdque dicentes: *Inualeſcite remiſſæ manus, & ſoluta genua*. Conſolari enim oportet lugentes, & eis qui parui animi ſunt alacritatem animi addere, ne immoderato dolore ad amentiam tendant.]

Verùm

Verùm hic locus non repugnat iis quæ diximus. Accipiendus enim eſt,de ea Epiſcopi communicatione cum excommunicato, quæ fit ad opem ei ferendam, iuuandúmque,vt qui dormit adiiciat vt reſurgat,qua ratione communicatio cum excommunicato, affulgente ſpe profectus,non eſt illicita.

10. Aſtringuntur præterea eadem lege cauendi excommunicatum, alij qui item ſunt excommunicati. Tenentur enim inuicem non communicare,quicquid dicat Gloſſ.c.*deuotam*.27.q.1.Andreas item Fruſius carm. 228. increpans hæreticos ob liberam cum excommunicatis communicationem,prodit ſe eſſe in ſententia Gloſſæ:ſic enim canit.

Quos contumaces Paſtor excommunicat,
Fas eſt apud vos colloqui,conuinere,
Negotiari liberè cum cæteris:
Quamuis prohibeat Paulus hæc,vt promptius
Reſipiſcat ille.Facite ſed vos,vt lubet.
Hunc duco vobis eximendum ſcrupulum,
Poſſitis omnes vt ſimul conſueſcere,
Cum ſitis excommunicati,omnes ſimul.

Argumentum Gloſſæ in hanc rem, ductum eſt ex eo quod non interdicatur excommunicatis communicatione cum infidelibus, ſed cum ſolis fidelibus, quos inter non numerantur excommunicati. Verùm nihil eſt neceſſe, quemcunque excommunicatum eſſe propriè infidelem, vt per ſe liquet. Et quanquam plerique,ex iis in quos excommunicatio vibratur,deſtituantur vera fide, vt ſi à fide defecerint per hæreſim vel apoſtaſiam;tamen quia debito & obligatione fideles ſunt,& per defectioně illam impiam non ſunt ſubducti Eccleſiaſticæ poteſtati,meritò ad eos quoq;

extenditur lex Eccleſiaſtica de vitandis excommunicatis, quæ vniuerſalis eſt, & neminem Eccleſiæ ſubiectum excludit, vt habetur cap. *Apoſtoli*. 11.q.3. aliiſque iuribus.

Non tamen quoad non baptizatos.

11. De ſolis illis infidelibus nihil hac in parte edixit Eccleſia, in quos ob defectum initiationis & characteris per Baptiſmum ſuſceptum impreſſi, nullum ius habet, cuiuſmodi ſunt Pagani atque Iudæi, quibus Sayrus l.1.de cenſur.c.8.num.6.rectè addit Catechumenos, quia nondum ſunt baptizati. Ait quidem Nazianzenus, ſanctiſſimam parentem ſuam Nonnam, Ethnicos non ſecus vitaſſe ac excommunicatos. Laudat enim eam orat. 19.[Quod nullius vnquam Gentilis fœminæ, quamuis alioqui honeſtiſſimæ, ac propinquiſſimæ, manibus manum iniecerit, aut labra labris miſcuerit. Immo, nec cum his qui à prophana, & impura menſa veniebant, non modò ſponte, ſed ne coacta quidem, ſal commune habuerit, nec impuram, & ſacrilegam domum aduerſus conſcientiæ legem, aut pertranſire vnquam, aut conſpicere ſuſtinuerit, nec aurem, & linguam res diuinas partim accipientem, partim proloquentem, Ethnicis narrationibus, ac Theatricis cantilenis contaminari paſſa ſit. Nihil enim prophani, ſacris conuenire ſtatuebat.] Hoc S. Nonna, fecit ex abundantia iuſtitiæ. Abſolutè autem loquendo, non tenemur vitare eos qui ſunt prorſus extra Eccleſiam, vt benè tradit S. Chryſoſtom. hom. 25. in ad Hebr. Hi enim ſunt foris, de quibus non eſt Eccleſiæ iudicare, ſed de fidelibus tantùm, iuxta illud Apoſtoli

1.Cor.

1. Cor. 5. quod eſt in hanc rem peremptorium edi-ctum. [*Scripſi vobis in epiſtola,ne commiſceamini fornicariis: non vtique fornicariis huius mundi ; aut auaris, aut rapacibus,aut idolis ſeruientibus,alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis non commiſceri,ſi is qui nominatur frater inter vos,eſt fornicator, aut auarus , aut idolis ſeruiens , aut maledicus , aut ebrioſus,aut rapax;cum eiuſmodi nec cibum ſumere. Quid enim mihi de iis qui foris ſunt iudicare? Nonne de iis qui intus ſunt vos iudicatis. Nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit. Auferte malum ex vobiſipſis.*] id eſt , ſolliciti tantùm eſtote de domeſticis fidei vitandis, cum deliquerint , non de externis , qui meæ ſententiæ non ſubiacent. Itaque communio quæ negatur Ethnicis 2.conſtit. c.42.& 43. eſt communio in ſacris, non autem communio humana in qua verſamur. Cum autem excommunicati dicuntur habendi ſicut Ethnici, ſenſus eſt , habendos eſſe prorſus impios ; ſicut ſunt Ethnici,quamuis neque fideles teneantur vi huius legis de qua agimus,vitare Ethnicos;neque ipſi Ethnici teneantur vitare excommunicatos. Potuiſſet quidem excommunicatis mandari , vt ne cum Ethnicis quidem ac ſimilibus planè extra Eccleſiam poſitis communicarent , & ita in raro aliquo euentu edixit Eccleſia, vt eorum communicatione abſtineretur , c. *poſtulaſti*.de Iudæis.Tamen generaliter loquendo,nihil tale mandatum eſt excommunicatis ; ſed tantum decretum eſt , vt abſtinerent communicatione fidelium , ſaltem qui iure & obligatione ſunt fideles; quos item omnes aſtrinxit lex de vitando excommunicato.

Legis propoſitæ violatio, quanta.

12. Quanta autem ſit vitandi obligatio, ſeu ſub quo peccato prohibeatur humana hæc communicatio cum excommunicato, tam ipſimet quàm aliis fidelibus, nihil definio. Satis quippe eſt, admitti peccatum violatione huius edicti. Et quãquam graues DD. non niſi venialem noxam in ea violatione agnoſcant; (Multos profert Gabr. in 4. d. 18. q. 3. & Henriq. l. 13. cap. 8. teſtantes eſſe communem doctrinam:) Tamen ſi res ſpeculatiuè ſpectetur, & materia non ſtatuatur modica, id eſt ſi longa & notabilis ſit communicatio, non apparet, quare Eccleſia non modò non potuerit graui obligatione & ſub graui culpa ad id aſtringere, quod videtur certum, ſed etiam ita non voluerit, vt notant aliqui apud Gabrielem ſupra *litera L*, & Præpoſitus dub. 15. de excom. num. 99. Sed qualiſcunque tandem ſit huius interdicti violatio, ſatis eſt quod peccatum contineat, vt meritò cenſeatur refugienda.

Antiquus rigor mollitus.

13. Hic erat antiquus rigor excommunicationis; ſed molliuit eum neceſſitas ex continuis ac innumeris animarũ periculis ſuborta. Itaque Gregorius VII. vt refert Iuo Carnotenſis epiſt. 186. & habetur etiam cap. *quoniam*. 11. q. 3. pleraſque perſonas de quibus mox, obligatione huius legis exemit. Confirmauit Gregorij decretum, ſucceſſor eius Vrbanus, vt refert Bertoldus in Chronico, ad annum 1089. Necdum tamen eo deuentum erat, quo Iuo citata epiſtola volebat,

bat,optábatque Gerſo lect.4. de vita ſpirit.coroll. 14. propoſ.2.nimirum vt ij tantùm excommunicati vitarentur ex obligatione, qui nominatim eſſent Eccleſiaſtico gladio percuſſi, ac vt tales denunciati. Tandem verò Martinus V. in extrauag.*ad euitanda*,quam tulit in Conſtantienſi Concilio, indulſit fidelibus, vt poſſent communicare cum excommunicatis quibuſcunque;demptis notoriis Clericorum percuſſoribus, & iis qui eſſent denunciati nominatim;id eſt publicè notati ſententia,quæ eſſet non modò lata, ſed etiam promulgata. Addit Nauarrus in ſumma cap. 27. num. 35. notab. 3. eos qui ſunt notoriè excommunicati, etiamſi non ſint denunciati,eſſe vitandos, etiam poſt Martini V.conſtitutionem.Idem habent Concordata Galliæ,*rubrica de excommun.non vitandis*. Hoc tamen meritò reiiciunt Gutierres l.1.qq. Can. c. 1.à num.14. Zerola in praxi v. *excommunicatio*, cap. de cauſa formali excomm. dub. 3. adducens Sotum ac Couarruuiam,communitérque recentiores.Sed reiiciendus ſimiliter eſt Soto in 4.d.25. q.1. artic. 1.*poſt 3.concluſ.* & artic.3.verſ. *in ordinatione*.& d.20.q.1.artic.5.concluſ.2.affirmans, hæreticos ac ſchiſmaticos, etiamſi nominatim denunciati non ſint, aut notorij percuſſores Clericorum,eſſe tamen excommunicatos vitandos. Hoc dico eſſe reiiciendum : quia eſt contra expreſſam determinationem Martini Pontificis. Fuſiùs hoc confirmant Azor t.1.l.8.c.13. q.7. Suarez t. 3. in 3.p.d.18.ſ.1.& d.21.de fide,ſ.3.à num.3.Sanchez lib. 2.in Decal. c.9.num.3. qui addit, ne eos quidem hæreticos qui generaliter tantùm denunciantur, vt in primo articulo Bullæ cœnæ pleroſque expreſſos videmus,vitandos neceſſariò eſſe,quia non denuncian-

tur nominatim, quod tamẽ Martinus V. ad neceſſitatem euitationis requirit. Imo quamuis quis denuncietur ſordens crimine cui annexa eſt excommunicatio, vt cum quis denunciatur hæreticus, tamen niſi ipſa cenſura ſpecialiter & expreſsè denuncietur, id eſt, donec expreſsè denuncietur, illum non modò tali peccato ſordere, ſed etiam ob illud excommunicationem incurriſſe, exiſtimant Sanchez ibid. num. 4. & Nauar. miſcell. 47. de orat. num. 2. ac Iacobus de Graffis p. 1. deciſ. l. 4. c. 11. num. 5. talem excommunicatum non eſſe è numero vitandorum, eo quod cenſura ipſa non ſit formaliter & expreſſe denunciata: quod putant requiri à Pontifice, vt quis teneatur excommunicatum vitare. Sed hoc meritò reiiciunt Henriq. l. 13. c. 5. n. 4. Auila 2. p. c. 6. diſp. 2. dub. 3. concluſ. 3. Suarez d. 21. de fide ſ. 3. num. 7. & Bonacina q. 2. de excom. p. 1. §. 1. num. 2.

Non tamen penes ipſum excommunicatum.

14. Quamuis autẽ illa Martini Pontificis conſtitutione, temperatus ad eum modum ſit graues omninò ob cauſas, rigor antiquus omni cum excommunicatis communicatione interdicens, tamen eadem Conſtitutione expreſsè cautum eſt, nullum ius nouũ condi quoad ipſos excommunicatione perculſos, quibus Pontifex conteſtatur, nullum abs ſe concedi fauorem, aut pœnæ antiquitus conſtitutæ remiſſionem, ſed eodem loco relinqui quo erant ante editam eam conſtitutionem. Idcirco quamuis aliis in quos mucro gladij Eccleſiaſtici non eſt exſertus, fas ſit vi illius conſtitutionis, frui commercio humano cum quibuſ-

uis excommunicatis,dummodò non denunciatis, vel notoriis Clericorum percuſſoribus: Ipſi tamen rei, quantumuis non denunciati,æquè aſtringuntur aliorum commercium vitare, ac priùs aſtringebantur, vt notant Couar.in cap.*alma mater*.p.1.§.2.num.11.Gutierres l.1.qq. Can.c. 1. num.36. & Nauar.l.de horis Can.c.21.num.17. & 18. qui de contraria peruerſitate,meritò expoſtulat. Non poſſunt inquam, qui excommunicatione ſunt percuſſi, ſe ingerere,& communicationem cum aliis occipere: tametſi ab aliis ad communicandum ſollicitati vel inuitati, poſſint abſque culpa cum eis communicare;ne fauor innoxiis factus,ſit irritus, inutilitérque bonis ſit indultum vt communicare poſſint,ſi penes alterum extremum vetetur communicatio. Auſpicari tamen, & per ſe inire cum aliis communicationem, nequeunt excommunicati, etiamſi non ſint ex illis quos vitandos eſſe diximus: quia communicandi conceſſio, eſt fauor aliis tantùm factus. Quare quantum eſt.ex ipſis,abſtinere tenentur cæterorum commercio,per ſe loquendo,& ſeclùſa inde fortaſſis ſecutura occulti ſui probri grauis detectione, quem euentum benè excepit Philiarcus 1.p.de offic.ſacerd.lib.3.c.13. & Caſtro l.2. de lege pœnali cap. 15. & multi apud Lazarium ſect. 4. q. vlt.num.7.Excipiuntur item quidam euentus,qui eſſent ſupra vim legis humanæ rationabilis, cuiuſmodi eſt Eccleſiaſtica. Idcirco enim non interdicitur excommunicato etiamſi denunciato, communicatione cum perſonis carne coniunctiſſimis, cuiuſmodi ſunt parentes, & liberi non emancipati, ſiue legitimi,ſiue naturales, (de adoptiuis res eſt ambigua:) itémque dominus & famuli,etiam conductitij,durâte tempore conductionis.

conductionis. Cum his inquã perſonis non eſt ablata excommunicatis facultas communicandi, ſpectando quod ordinariè accidit, & dimittendo quod in nonnullis euentibus quoad has quoque perſonas conſtitutum eſt ab Eccleſia. Quæ hîc minutè concidere, præſens inſtitutum non fert. Diligenter autem excutiuntur à cenſurarum tractatoribus, & latè quoque à Ricciullo l.4.de iure perſon.extra Eccleſ. à cap.45.ad 55. Cæterum hæ perſonæ, præ aliis cum quibus lex non communicandi viget, vix faciunt numerum: & vt Gabriel in 4. d. 18.q. 3. *litera H*, rectè conſiderat, hæ ipſæ perſonæ tenentur vitare coniunctos excommunicatos, quoad eam omnem communionem quam illis ſine peccato negare poſſunt, ſi ita ferat cenſuræ aggrauatio, vt non infrequenter contingit.

Poſterior communicatio externa in humanis, excommunicato adempta, forenſis.

15. Satis de primo membro communicationis in rebus humanis, qua interdicitur per excommunicationis decretum. Eiuſdem communicationis membrum alterum, complectitur actiones forenſes. Quo nomine non intelligitur Teſtamenti confectio. Nam poſſe ab excommunicato condi Teſtamentum, rectè aſſerunt Mol. tract. 2. de Iuſt. diſp. 137. Suarez t.5.3.p.d. 15. ſ. 9. Selua de beneficiis 3. p. quæſt.4.num.4 adducens Federicum de Senis, Bartolum, Ananiam, Calderinum, & latè Iacobus de Beluiſo, tractatu de hoc argumento. Quanquam repugnát Gloſſa c.*decernimus*, de ſent.excom.in 6.& Hoſtienſis cap.pia, de except. in 6. ac Gulielmus Benedictus repetit.ad c.*Raynutius*.de Teſtam.§.*mortuo Teſtatore*.n. 288.

288.& Naldus v. *Excommunicatio*, num. 28. Nomine ergo actionum forenſium quibus excommunicato interdicitur, intelligendum eſt forenſe miniſterium quodcunque, eo duntaxat excepto, quo excommunicatus compelli poteſt iudicio ſe ſiſtere vt reus, in quacunque cauſa ſua, vel agere ad ſe purgandum in cauſa ſuę excommunicationis. Extra eam quippe cauſam, non poteſt eſſe actor, in vllo ſiue Eccleſiaſtico ſiue temporali iudicio: ac ne per procuratorem quidem agere poſſe, affirmat Naldus v. *actio.* num. 5. quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. In quibuſdam item criminibus enormibus, vt in hæreſi, ac vt Delrio 5. Mag. ſ. 6. contendit, in maleficio, excommunicatus admittitur vt accuſator, quamuis non vt actor. Cæteris omnibus forenſibus miniſteriis interdicitur excommunicato, ita vt ne arbiter quidem ex cap. *veritatis.* de dolo & contum. & aliis iuribus ac DD. apud Gigantem q. 14. de penſ. num. 5. imo nec arbitrator eſſe poſſit, vt cum Panormitano & Ioanne Andrea affirmat Molina tract. 5. de Iuſtit. diſp. 39. num. 6. Non poſſe item eſſe procuratorem alterius vel Aduocatum, tradunt multi apud Grauatium ad librum 7. Veſtrij c. 1. num. 29. Nimirum vetatur excommunicatus communicare cum aliis. Huiuſmodi autem miniſteria, communicationem humanam inferunt, & quidem in re magni inter homines momenti. Perſpicuè igitur ſequitur, excommunicatum omnibus illis functionibus arceri. Valétque id etiam de excommunicato occulto, vt Naldus ſupra notat. Tametſi fas nunc eſt partibus, operam eius interpellare, dummodò non ſit excommunicatus vitandus. Ad hunc locum pertinent quæ latiſſimè perſe-

quitur

quitur Marianus Socinus ad c. *ſacris*, de ſent.excommun.Ricciullus l.4. de iure perſonarum extra Eccleſ. à cap.17. ad 40. Item huc ferè pertinent duæ illæ ſupra ſexaginta excommunicatorum pœnæ, quas ſigillatim appendit Rebuffus comment. ad Concordata tit.de excommun. & varia quæ de damnis excommunicationis addenſat Gigas de penſionibus q.36. à num.6.& Chaſſanæus in conſuetud. Burgun. rubr.1. §.6.à num. 15. Ad inſtitutum præſens ſufficit iſta libaſſe.

In hac meta priuſquam ex humana communicatione ſuperiùs propoſita excedam, moneo inter humana opificia,interdici excõmunicatis, pictura ſacrarum imaginum. Sic enim habet 8. Synodus Actione 10.can.7.quo etiam vetantur excommunicati, docere diſciplinas humanæ ac diuinæ ſapientiæ.

Priuatio communicationis externæ in ſacris inflicta excommunicato:& in primis Sacramentorum.

16. Pergo ad ſecundam communicationem externam poteſtati Eccleſiæ ſubiacentem, quæ excommunicatione adimitur.Ea eſt communicatio externa in ſacris,quę continetur receptione Sacramentorum, itémque ſacramentalium prout applicationem aliquã ſuffragiorum communium ab Eccleſia habent: nec non frequentatione ſacrificij incruenti, itémque aſſiſtentia præſtita officiis diuinis, & precibus ſolemnibus,ac publicis vel priuatis coniunctim factis. Quod ſi qui excommunicatur ſit idoneus alicuius ſacramenti miniſter, interdicit ei Eccleſia tali adminiſtratione, vt & ſacrificij ac diuinorum officiorum publicà

ca & ſolemni celebratione,ac etiam diuini verbi prædicatione coram fidelibus. Dixi hæc omnia comprehendi externâ communicatione in ſacris, quia eam præciſè ſpectaui prout conſtitutá externis illis actionibus,vel quaſi actionibus pertinentibus ad diuinum cultum aut animæ ſanctificationem,etiamſi omni interno fructu vacuæ eſſent. Vniuerſa igitur hæc communicatio vetatur per excommunicationem, & quidem ſub peccato quod ex genere ſuo mortale eſt, ex omnium ſententia. Recurramus per ſingula.

17. Quod nefas ſit excommunicato, ſuſcipere quodcunque Sacramentum,traditur cap. *cum illorum*, & cap. *ſi quem*,de ſent.excom.rectéque Nauar.ad cap. *Fratres*,de pœnit.diſt.5.num.38. admonet,eam receptionem cum immani ſacrilegio eſſe coniunctam: quod liquet ex graui irreuerentia qua Sacramentum, res vtique ſancta, à tali ſuſcipiente contaminatur, quantum eſt ex eius iniquitate. Nominatim autem quod excommunicatus arceatur ab Euchariſtiæ ſuſceptione,tradit pulcherrimè S.Chryſoſtomus in Pſal. 49.ad illud,*ſi videbas furem*, ſic ſcribés:[Si videris aliquem eorum qui tecum congregantur fornicantem, & ad ſacramenta accedentem, dic ei qui eſt Miniſter diſtributionis eorum: Hic eſt indignus ſacramentis, arce prophanas manus.Hic enim nec iuſtitias quidem enarrare dignus eſt, conſidera quò eius procedet punitio, quando ſacram etiam menſam auſus fuerit attingere.]Arceri vult profanas manus,alludés ad vſum antiquum, quo Euchariſtia in viri communicantis manus inferebatur. Et meritò ſanè ab Euchariſtiæ participatione remouetur excommunicatus. Nam Euchariſtia, vt ex Patribus aſſerit Rupertus in c.6. Ioannis,

Ioannis, vulgariſſimúmque eſt ex S. Auguſtino D. Cyprianum allegante, ſymbolum vnitatis corporis Chriſti. Qui ergo ſegregatur à conſortio fidelium, iure quoque ab vnitatis ſymbolo remouetur: & quidem ita, vt duplici mortali peccato contaminetur, ſi in eo ſtatu accedat. Quamuis enim non ſit duplex peccatum, communicare abſque confeſſione, eo quod tunc confeſſio non præcipiatur per ſe, ſed tantùm ratione communionis, vt rectè ſtatuunt Vaſq. 3. p. d. 208. num. 24. & Suarez t. 4. 3. p. d. 35. ſ. 3. contra Canum releƈt. de pœnit. p. 4. tamen ſi peccatum tale ſit, vt non modò inuehat defeƈtum gratiæ, ſed etiam ſpecialiter ſit ei annexa ex præcepto Eccleſiæ repulſa à communione, (quale eſt peccatum propter quod quis excommunicatione perculſus eſt,) non dubito quin excommunicatus ſuperſtite ea labe ad Euchariſtiam accedens, duplici mortali peccato contaminetur; altero contra legem de perceptione Euchariſtiæ in gratia, altero contra legem de abſtinendo ab Euchariſtia per tempus excommunicationis. Sicut dupliciter peccat, qui ſe ingurgitat quo tempore indiƈtum erat ieiunium. Nam & Temperantiam, & Eccleſiaſticam ieiunij legem violat. Et ita rectè in præſenti negotio Bonacina q. 6. de Euchar. p. 1. num. 34. contra Vaſquem 3. p. d. 207. num. 5. cui ſuffragatus videtur Diana parte 2. traƈt. 14. reſolut. 22.

18. Vnica tantùm proferri poteſt cauſa, excuſans excommunicatum à peccato in ſacramenti alicuius ſuſceptione: Nimirum neceſſitas auertendi graue ſpirituale aut temporale damnum, quod alioqui indeclinabiliter ingrueret. Extra eum euentum, excommunicatus ſacrilegè ſuſciperet ſacramentum, quamuis

validè;quia excommunicatio nihil ad ſacraméti ſubſtantiam neceſſarium intercludit. Idque quidquid Vaſquez dicat tract.de excommun.dub.4.num.9.valet quoque quoad Sacramentum pœnitentiæ, quantum eſt ex vi ſolius excommunicationis; & ſecluſo mortali peccato in ipſa ſacramenti ſuſceptione admiſſo,quod totum ſacramétum euerteret;nec illud duntaxat informe redderet, ſed planè nullum & neceſſariò iterandum,vt optimè aſſerunt Palud.in 4.d. 14.q. 4.Adrianus q.1.de clauibus, Syluest. v. *excommunicatio.* 3.num.1.Soto in 4.d.22.q.1.artic.1.dub.vltimo,& Angles in 4.q.de excommun.artic.3. difficult.1. concluſ.2.contra Angelum v. *confeſſio.*5.num.10. Caietanum, v. *abſolutionis impedimenta.*& Auilam 2. p. c. 6. diſp. 3. dub. 4. qui confeſſionem excommunicati de ſua excommunicatione conſcij, cenſent informem, ſed validam & non iterandam: eo quod nuſquam ab Eccleſia irritetur, etiamſi prohibeatur. Verùm quid neceſſe eſt irritari Sacramentum illud ab Eccleſia, cum ex natura rei ſit nullum, ob defectum doloris legitimi,& peccatum mortale quod in ipſa ſuſceptione admittitur? Eſſet tamen ſacramentum illud validum,ſi ſeponeretur ab eius ſuſceptione,mortale peccatum per ignorantiam probabilem,vel ob neceſſitatem grauem quæ excuſaret à ſcelere excommunicatum recipientem abſolutionem à culpa, tametſi ſuperſtite cenſuræ vinculo. Tunc enim vt rectè affirmant Couarr.in c. *alma mater*.p.1.§.6.num.7. Sayrus l.2.de cenſur.c.2.n.3.& Ægidius de Coninck diſp.de Excommun.num.28.nihil deſideratur ad valorem ſacramenti pœnitentiæ requiſitum; non materia, non forma,non intentio: nec in Miniſtro deſideratur Iu-

 riſdictio,

riſdictio, quam ſubiecti iniquitas præpedire non potuit. Sic igitur res habet quoad ſuſceptionem Sacramentorum per excommunicatum; quæ reſolutio ad omnia Sacramenta pertinet, præterquam ad Baptiſmum, de quo non poteſt hîc quæri, cum is qui baptizatus nondum eſt, excommunicari nequeat. Quod ſi excommunicatus tenetur abſtinere receptione Sacramentorum, Miniſter quoque Sacramentorum tenetur ea negare, & cum eo non communicare in tali negotio: ex vi quidem cenſuræ, ſi ſit excommunicatus vitandus; Ex vi autem iuris diuini naturalis, ſi is qui excommunicatione perculſus eſt, indignè petat Sacramentum & cum ſcelere.

Item Sacramentalium.

19. Iam verò excommunicatum priuari vſu Sacramentalium, prout fœtorum (vt ſic dicam) applicatione aliqua communium ſuffragiorum, perſpicuum eſt ex ſuffragiorum illorum intercluſione, de qua poſtea. Eſt hæc vox *Sacramentalium*, ſatis ambigua. Apud Lucam Tudenſem lib.2.contra Albigenſes cap. 2. Sacramentalium nomine intelligitur lotio pedum exemplo Chriſti, ac peregrinatio. Apud alios eo nomine intelliguntur minura ſacramenta Catechumenorum, puta ſal, panis benedictus & huiuſmodi alia. Scholaſtici, quoſcunque ſacros ritus Sacramentis aut ſacrificio adiunctos, & ad eorum conuenientem celebrationẽ ex Eccleſiæ inſtitutione vſurpãdos, *Sacramentalia* appellãt nõ excluſis ſacris veſtibus ac tẽplis. Alij non paucas præterea obſeruantias ſactas inter ſacramentalia numerãt, vt aquam luſtralẽ, & alia pleraque

que quibus Eccleſia ſuam benedictionem impertiit. Immenſus eſt circa ſacramentalia Thomas VValdenſis tomo 3. Priuantur itaque ſacramentalibus excommunicati, quatenus Sacramentalia ex Eccleſiæ inſtitutione adiunctam habent vim aliquam moralem ex incluſis intra ea communibus Eccleſiæ ſuffragiis. Eſto non prorſus prohibeantur illis vti veluti materialiter ſumptis. V. g. non prorſus vetatur excommunicatus, eſſe in templo, vel in eo priuatim orare. Quod autem Tertullianus lib. de pudic. c. 4. & 14. ait, excommunicatos à limine & omni tecto Eccleſiæ ſubmoueri, accipiendum eſt de abſentia à templo tempore ſacri; aut diuinorum officiorum. Ius item aſyli in templo, ſaluum eſt excommunicato, vt rectè affirmat Couarr. 2. var. c. 20. num. 11. Suarez tract. 2. de relig. l. 3. c. 10. num. 3. & latè Gambaçurta l. 4. de immunit. Eccleſ. cap. 10. num. 4. Sed hic eſt fauor templi, non autem excommunicati.

Ac ſacrificij incruenti.

20. Prohiberi excommunicatum aſſiſtere ſacrificio Miſſæ, per ſe loquendo, eſt extra controuerſiam, vt conſtat ex cap. *Epiſcoporum*, de priuil. in 6. & ex cap. *illud.* de Cler. excommun. miniſtr. & cap. *is qui*, ac cap. *alma mater.* de ſent. excom. in 6. Et eſt ſanè hæc, inſignis communicatio in diuinis rebus. Vnde iura quibus generatim vetamur communicare cum excommunicatis in rebus diuinis, cuiuſmodi ſunt cap. *reſponſo.* & cap. *nuper.* & cap. *alma mater.* de ſent. excom. in 6. hac maximè communicatione interdicunt. Cauſam cur excommunicati repellantur à præſentia

ſacrificij, aperit his verbis S.Chryſoſtom.hom.*61*. ad popul. [Qui ſunt in peccatis priores eiiciuntur. Sicut enim ad menſam veniente domino, ſeruos qui dominum offenderunt adeſſe non oportet, ſed procul arceantur: ita ſcilicet & hîc, dum profertur ſacrificium & Chriſtus immolatur & ouis dominica.] Olim quippe, graues illi criminoſi excommunicabantur. Porrò hæc prohibitio, non modò attingit excommunicatum, ſed etiam cæteros fideles qui interſunt ſacrificio. Communicant enim cum iis quos habent in auditione ſacri ſocios. Itaque ſacerdos vetatur ad altare accedere, ſi adſit excommunicatus vitandus. Si autem iam conſecrauerit, inchoatum ſacrum perficere tenetur. Quid conſilij dederit S. Anſelmus, ſacerdoti in cuius ſacrificium ſe ingerebat Comes excommunicatus, apud eum videre licet lib. 1. epiſt. *56*. Cæteri fideles præter Camillum ſiue adminiſtrum, quia non vrgentur obligatione illa perficiendi ſacrificij, cum primùm aduertunt excommunicatum vitandum ſuperueniſſe, & obſtinatè hærere in æde ſacra, tenentur abſcedere.

Necnon diuinorum Officiorum.

21. Eadem ratio eſt de cæteris diuinis Officiis. Quo nomine antonomaſticè deſignantur horæ Canonicæ, cap. *dolentes*. de celebr. Miſſar. & in Concilio Aquiſgran. 1. cap. 131. Præterea tamen in hoc negotio, nomine *diuinorum officiorum* veniunt quæcunque orationes & benedictiones, à ſacris Miniſtris ex Eccleſiæ inſtitutione ſolemniter & ex officio factæ, ac nominatim proceſſiones quas Eccleſia ex antiquiſſi-

mo

mo vſu obit, vt videre eſt apud Serarium in opere de eo argumento,& apud Stephanum Durantum lib. 2. de ritibus cap.10. In nullo actuum prædictorum, poteſt excommunicatus communicare cum aliis: hiſque incumbit obligatio ſecedendi, ſi excommunicatus ſuperueniat, nec arceri aliter queat. Vetatur item excommunicatus orare priuatim cum aliis, orationem cum eis coniungendo, v.g. alternatim recitando horas Canonicas, aliáſve aliquas precationes. Quæ prohibitio correlatiua eſt, & eum quoque obſtringit, qui non eſt noxius. Et ideo can.10. Apoſtolorum, & aliis iuribus quę ad eum canonem profert Binius, poſt Couarruuiam & Suarẽ quos citat, quiſquis preces cum excommunicato coniunxerit, ac vel ſi in domo id fecerit, iubetur excommunicari. Eſto, qui ita officium diuinum cum excommunicato recitaret, ſatisfaceret legi de ea recitatione, vt aſſerit Maior in 4.d.12. quæſt. 6. ad 3. Non interdicitur tamen, ea priuata oratione in præſentia excommunicati quæ ſeorſim ab alia funditur, nec cum ea iungitur in vnam communem, vt notauit Caietanus in ſumma v. *excommunicatio*, ſub finem; inde inferens, ſi duo in eodem cubiculo ſeorſum conſidentes, audito pulſu campanæ ad ſalutationem Deiparæ ibidem flectant genua & ſeorſim orẽt, talem orationem non vetari ob præſentiam excommunicati, concomitanter quidem, ſed tamen diſparatè & abſque vnione cum cæteris, fundentis precationem. Colligere verò indidem poſſumus, non vetari fidelibus, recitare in præſentia excommunicati orationem ad Deiparam, quæ initio concionis ſolet recitari: quia quamuis excommunicatus qui adeſſe ſupponitur, eam quoque orationem recitet, tamen ora-

tiones illæ aſtantium, non vniuntur in vnam communem; vnde nulla ibi cernitur communicatio. Suppoſui, excommunicatum poſſe adeſſe concioni, quia reuera nō eſt officium diuinum. Vnde Gentiles quoque & infideles, ab ea non arceantur, vt ſanxit Conc. Carthag.4.cap.84. Multorum Canonum apparentem circa hoc diſſonantiam, conciliat Albaſpinæus l.2.obſeruat.c.29. Quæ autem Iſid.Peluſ. l.2.epiſt.253. habet, non pertinent ad excluſionem profanorum à concione ſacra, ſed ab euulgatione imprudenti myſteriorum; quam non eſt neceſſe fieri in concione, imo abſtinendum ea propalatione eſt, cum adſunt inidonei. Vides ex his non minui dedecus excommunicati, ex eo quod permittatur adeſſe concioni, cum Gentiles quoque permittantur illi intereſſe, quia poteſt conducere ad tangendum & emolliendum cor, nec venit nomine diuini Officij.

22. Repulſa ab offerendis per excommunicatum oblationibus, vt diuina officia pro eo fiant, decernitur in cap. *ſacris*. de ſent. excom. Ab Vgolino autem Tab.2. cap.9. §. 4. extenditur cum ad oblationes per alios pro ipſo factas in finem prædictum, quia qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur; Tum etiam ad oblationes factas non vt diuina officia pro eo fiant, ſed ſimpliciter eleemoſynæ nomine. Militant enim hîc rationes omnes, quibus Philo confirmat ſanctitatem legis vetantis inferri in ſacrarium oblationes meretricis. Id manaſſe ab Apoſtolis teſtatur Clemens Romanus lib.3.conſtit.c.8.& l.4.c. 5. & 6. & 7. Traditur autem hiç vſus apertè in Concilio Illiberitano cap.28.verbis illis.[Epiſcopum placuit, ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.] Quod

non

non eſſe accipiendum de omittente communionem in ſacro, ſed de excluſo à communione corporis Chriſti, & à cœtu fidelium, rectè conuincit Suarez tract.2.de relig.l.1.c.6. num. 4. Idem ſtatutum eſt in magno Concilio Nicæno cap. 27. in editione Alphonſi Piſani. Idoneam ſic ſtatuendi cauſam, ſuppeditant verba illa Iuonis Carnotenſis epiſt. 186. [Donationes, & conceſſiones excommunicatorum, quibus nec dicendum eſt, aue, propter infirmos vitandas eſſe conſulimus: quia licet Apoſtolus dicat, *omnia mũda mundis*, conſequenter tamen addit, *ſed malum eſt homini qui per offendiculum manducat*. Vnde etiam in epiſtola ad Corinthios. *Si quis* (ait) *vocat vos infideliũ, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam. Siue ergo manducatis ſiue bibitis, omnia in gloriam Dei facite. Sine offenſione eſtote Iudæis, & gẽtibus, & Eccleſiæ Dei, ſicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.* Hæc eſt Apoſtolica, & ſana doctrina. Quare talium donationes vel conceſſiones vitandæ ſunt: non quòd Dei creatura, ex eis munda immunda fiat, quia Domini eſt terra & plenitudo eius; ſed ne ſimplicium ex hoc infirmetur conſcientia, cum talibus coniecturis exiſtimãt, bonis eorum malefacta placere, vel quæ prius abhorrebant, mala non eſſe. Simili de cauſa diuinæ leges pariter & humanæ, refutant, & vitant eorum teſtimonia, & iudicia; non quod non aliquando vera teſtificentur, & iuſta decernant, ſed vt tali repulſa confutati, ab errore ſuo deſiſtant.] Cæterum inſulsè Vorrilongus in 4.d.19.q.vnica, artic. 1.concluſ.2.exiſtimat, oblationes excommunicati quamuis ob ea quæ protulimus, nequeant

queant in Eccleſia recipi, poſſe tamen recipi domi. Hoc vides concidere ex Iuonis diſcurſu. Deinde iura abſolutè vetant recipi oblationem excommunicati, ſaltem eius qui notus ſit, prout hanc reſolutionem, limitant Innoc. Anton. & Abbas in cap. *cum voluntate.* de ſent. excom. adducti à Troilo Maluetio tract. de oblationibus, 2. p. num. 2. quæ iura nunc reſtringenda ſunt ad excommunicatum vitandum, ſi eius qui oblationes recepturus eſſet, obligatio ad eas repellendas, attendatur.

Quæ ſpeciales ſacrorum miniſtrorum excommunicatorum priuationes, quoad ſacra: vt Sacramenta miniſtrandi.

23. Omnis prædicta communicatio in ſacris, qua excommunicato interdici hactenus aſſerui, eſt communis quorumvis fidelium. Addebam verò, eſſe aliam communicationem in ſacris, qua quilibet idoneus Sacramenti alicuius miniſter, impeditur durante excommunicatione qua irretitus ſit, illud adminiſtrare. Sicut etiam ſacerdotes excommunicati, vetantur celebrare ſacrificium incruentum, & diuina officia ſolemniter aut publicè recitare, vel prædicare fidelibus verbum Dei.

Et quidem, miniſtrum excommunicatum prohiberi Sacramentorum adminiſtratione, conſtat ex cap. *latores*. de Clerico excom. miniſtr. Ratio manifeſta, ex reuerenti & digna ſacramentorum adminiſtratione, ſuffragatur. Et poteſt quidem in nonnullis euentibus, grauis neceſſitas laxare huius interdicti rigorem,

quippe

quippe inductum per legem humanam rationabilem, quę in illis euentibus euigeſcit. Potéſtque ea grauis neceſſitas, ſe tenere vel ex parte miniſtri excommunicati, ſi videlicet magnum malum ei intentetur niſi ſacramentum adminiſtret, (tunc enim fas ei eſſe miniſtrare, ſtatuit cum multis Auila 2.p.c.6. d.8.dub. 5.) vel certè ex parte paſſi innoxij ſacramento indigentis, & alio miniſtro deſtituti, præſertim ſi ſit in mortis articulo. Nam tunc fas eſſe excommunicato miniſtrare ſacramentum indigenti, rectè aſſerit Gutierres adducens multos l.1. qq. Canon. c.1. num.65. malè reclamante Couarruuia in cap. *alma mater.* p.1. §.6. num.8. Hæc igitur rectè quidem dicuntur. Tamen nemo non videt, ea eſſe per accidens. At per ſe loquendo, miniſter excommunicatione irretitus, prohibetur ſacramẽtorum adminiſtratione, eámque contra edictũ Eccleſiæ vſurpans, ſacrilegus eſt: non modò quia ſupponitur ſordere labe mortali, cũ qua tractare ſancta impium eſt, (hæc enim labes ſaluo excõmunicationis nexu tolli poſſet,) ſed etiam directè, vi interpoſitæ ab Eccleſia prohibitionis, quæ miniſtros quoque matrimonij, hoc eſt ipſos coniuges, comprehendit; vt tradit Sanchez l.7. de matr. diſp.9. n.3. & Suarez t.5.3.p.d. 11.ſ.1. num.13. contra Præpoſitum dub. 8. de excomm. num.51. De Parocho excommunicato, an poſſit vt teſtis authenticus aſſiſtere matrimonij celebrationi, variant ſententiæ. Negat Auila, & inde irritari matrimonium cenſet 2. p. cap. 6. diſp.3. dub. 1. concluſ.5. ſed reclamat & meritò Sanchez l.3. de matrim. diſp.21. num.4. quia hæc non eſt adminiſtratio ſacramenti, ſed nuda conditio, tametſi eſſentialiter requiſita ad celebrationem validam, vbi decretum Tri-

dentinæ Synodi eſt promulgatum. Quoad ſacramentum verò Pœnitentiæ extra mortis articulum, ne valida quidem foret adminiſtratio eius per excommunicatum, vt rectè affirmat Reginaldus lib. 32. praxeos cap. 2. num. 7. éſtque hæc reſolutio extendenda, etiam ad abſolutionem à venialibus, contra Vaſquem 3. p. q. 93. art. 1. dub. 6. num. 8. quia Eccleſia à qua eſt omnis iuriſdictio in foro interno, multat excommunicatum omnimoda priuatione iuriſdictionis in eo foro.

24. Quamuis autem nonnulli DD. de quocunque miniſtro excommunicato pronuncient, eum prohiberi miniſtrare quæcunque ſacramenta; tamen mollior nunc ſententia benigniùs ſentit de excommunicato tolerato, quem negat quidem poſſe ſe ingerere ad ſacramenti cuiuſcunque adminiſtrationem, admittit tamen poſſe illud adminiſtrare ſi adeatur, etiam abſque neceſſitate: ſiue ſit paſtor, ſiue non ſit. Nam miniſter huiuſmodi, non peccat ſi requiſitus ius dicat, ſiue miniſtret: neque item fideles eum adeuntes & iure ſuo vtentes, peccant, ſiue aduerſus legem de non communicando, quæ poſt Martinum V. non vrget; ſiue ob cooperationem in peccatum miniſtri; non enim vlla ibi cernitur cooperatio ad peccatum, quia non peccat miniſter toleratus, ſi requiſitus miniſtret. Ita Sanch. l. 7. de Matr. diſp. 9. num. 8. Ledeſma 1. 4. q. 5. artic. 6. dub. 12. Præpoſitus dub. 12. de excom. num. 81. & 82. & ferè conſentit Suarez t. 5. 3. p. d. 11. ſ. 4. num. 9. Verùm hæc indulgentia Eccleſiæ, in fauorem fidelium conceſſa, mollitionem continet rigoris quem ex ſe inueheret excommunicatio, vt dictum eſt de externæ communicationis cum toleratis conceſſione.

Item

Item ſacrificandi & ſolemniter celebrandi officia.

At nullo modo mollitus eſt antiquus rigor, quoad vetitam ſacrificij celebrationem per quemcunque ſacerdotem excommunicatum. Nam iura id ſeuerè vetantia, vt cap.*ſi celebrat,* de cler.excomm.miniſtr.perſeuerant in rigore antiquo, qui tantus eſt, vt S. Thomas 3. p. q. 83. artic.6. ad 2. exiſtimet, ſi ſacerdoti in ipſo altari, iam inchoato canone, dummodò non inchoata conſecratione, ſubeat recordatio contracti à ſe vinculi excommunicationis, abrumpendum ei eſſe ſacrificium, ſi abſque infamia aut graui ſcandalo poſſit fieri abruptio. Si verò iam cœpta eſſet conſecratio, perficiendum eſſet ſacrum vſque ad ſacrificij conſumptionem, at non vlteriùs; vt in ſimili ſtatuunt DD. de celebrante coram excommunicato nolente ſecedere. Eſt enim planè par, aut etiam maior ratio, ne Sacerdos excommunicatus ſacrificet; quàm vt Sacerdos planè liber à tali vinculo, non ſacrificet præſente eo qui excommunicatione irretitur.

25. Æquè arcetur excommunicatus à celebratione ſolemni & publica diuinorum officiorum. Ita enim perſpicuè fert prohibitio qua excommunicatus vetatur communicare in ſacris cum cæteris. Diſertè quoque idem mandatur cap.*illud.* de cler.excom. miniſtr.& cap.*nuper.*de ſent.excom. Nomine porrò *officiorum,* in hoc negotio, veniunt quoque benedictiones quæcunque & orationes publicæ, vt rectè notauit Præpoſitus dub.9. de excom.num.53. Aliud verò eſt de priuata officij recitatione. Nam is qui ad eam alioqui tenebatur, æquè ad eam aſtringitur, non obſtante

ſtante excommunicatione. Probat hoc ex pleriſque iuribus Durantus l.3.de rit. cap.22.num.11. & ſuffragantur multi DD.apud Sanchem 7.opuſcul. c.2.dub. 54. contra aliquos apud Couarruuiam 3. var. cap.13. num.8.Accedit ratio. Nam ſi homo tenetur ad officij recitationem vi ordinis ſacri aut religioſæ profeſſionis,conſtat fundamentum obligationis recitandi,non tolli per excommunicationem. Si autem aſtringebatur ad recitandum vi beneficij,perſtat obligatio:quia quamuis excommunicatus non faciat fructus ſuos, tamen per eum ſtat quominus fructus percipiat. At iuxta regulam iuris in 6. [Damnum quod quis ſua culpa ſentit, ſibi debet non aliis imputare.] Accedit quod homo non obſtante excommunicatione, retinet beneficij titulum & poſſeſſionem.Quare perinde ſe habet ac is qui priuatur fructibus defectu reſidentiæ. Hunc verò nemo eximit onere recitandi horas Canonicas, ratione beneficij cuius titulum & poſſeſſionem retinet,etiamſi culpa ſua careat fructibus.Paſſim dicitur, excommunicatum in priuata officij recitatione debere omittere *Dominus vobiſcum*, eo quod hæ voces ſonent communicationem cum aliis;vt docet Petrus Damiani Opuſc. 11. Doctores tamen non ignobiles,excommunicatum,in priuata recitatione ea verba proferentem, liberant à culpa,vt Auila 2.p.c.6. diſp.4.dub.6.nec multum abeſt Ægidius de Coninck tract.de excom.dub.7.num.54. Nimirum qualiſcunque expreſſio communicationis,non eſt communicatio,quæ ſola vetatur.

Ac etiam concionandi.

26. Ad extremum, excommunicatus vetatur

prædicare

prædicare verbum Dei. Negant hoc Henriquez l. 13. c. 7. & Sayrus l. 2. de cenſur. cap. 3. n. 14. qui etiam denunciatis excommunicatis, conciones permittunt. Soto autem in 4. d. 22. q. 1. artic. 4. concluſ. 2. concedũt excommunicatos non vitandos poſſe munus concionandi obire. Verùm hi autores, ſine idoneo fundamento reſtringunt ius vniuerſale, vetans excommunicatum cæteris communicare in ſacris, quod certè fit tractando Dei verbum. Itaque occluditur ea in parte os excommunicato. Et meritò. Eſt enim ſpiritualiter leproſus, qui in lege os habere opertum iubebatur, patente reliquo corpore, quod quid ſignificaret, accipe ex Origene hom. 8. in Leuitic. [Quid eſt hoc quod omnes corporis partes nudas habere præcipitur, & os ſolùm operire iubetur? Nónne palam eſt & in aperto poſitum, quod ei qui in lepra peccati eſt, clauditur ſermo, clauditur & os, vt fiducia ſermonis, & docendi authoritas excludatur? Peccatori enim dixit Deus. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & adſumis teſtamentum meum per os tuum?* Clauſum ergo habeat os peccator, quia qui ſeipſum non docuit, docere alium non poteſt: & ideò os ſuum iubetur operire, qui malè agendo, loquendi perdidit libertatem.] Hæc porrò in excommunicatum cadere, tradit apertè Origenes in ſequentibus. Prohibetur ergo excommunicatus, prædicare Dei verbum. Quamuis enim ea illi miſericordia non negetur vt poſſit audire verbum Dei; & concioni ab altero habitæ intereſſe ob vtilitatem ſuam, non tamen ſimiliter ei conceditur, vt ob aliorum communem vtilitatem habeat concionem; ſecluſa tamen extrema aut valdè graui neceſſitate ſpirituali proximorum: Itémque niſi eſſet excommunicatus

non

non vitandus, qui vi muneris teneretur ad concionandum, nec haberet quem ſibi ſubrogaret; ab auditoribus autem pro ſuo iure vrgeretur ad concionandum. Tunc enim non obſtante excommunicatione, poſſet habere concionem.

Priuationum communicationis in ſacris, acceſſio ſpectans beneficia, & munera Eccleſiaſtica.

27. Acceſſio priuationum communicationis in ſacris, cenſeri poteſt, quod excommunicatus & ab munere quocunque Eccleſiaſtico, & à beneficio ſuſpenditur, impedita acquiſitione dominij reddituum Eccleſiaſticorum, iuxta probabiliſſimam ſententiam Couarruuiæ 3. var. c. 13. num. 8. & valdè multorum quos profert Ricciullus l. 4. de iure perſon. extra Eccleſ. c. 14. num. 2. quamuis num. 39. fatetur, hodie ex vſu multorum locorum, excommunicatum non omnibus fructibus, ſed ſolis diſtributionibus priuari. Cęterum in ſententia valdè communi, qua excommunicatus non facit fructus ſuos, beneficiarius excommunicatus, ſi penſione grauetur, non eximitur ab eius ſolutione, quamuis fructus non percipiat. Ita Toletus l. 1. inſtruct. Sacerd. cap. 13. num. 16. & Gigas tract. de penſion. q. 64. ac Gutierres l. 1. qq. Canon. cap. 1. num. 125. ſe tamen reſtringens ad penſionarios Eccleſiarum Cathedralium. Addit Gigas q. illa 64. & ex multis textibus confirmat, excommunicatum quoad omnia onera haberi pro non excommunicato. Quod excommunicatus priuetur diſtributionibus, & quidem

dem tametſi non ſit denunciatus,& ſententia hoc expreſsè non ferat, tradit ibidem Gutierres n. 95. ſubſcribitque Moneta in opere de diſtribut. p. 2. q.15. à num.18.

28. Contrahit prætereà excõmunicatus, inhabilitatem vt ad Eccleſiaſticum beneficium vel eligi ipſe poſſit,vel alios eligere,eíſve beneficium conferre,aut quomodolibet ad beneficij adeptioné ab alio faciendam concurrere. Explico. Non poteſt in primis, excommunicatus cõferre beneficium, ſiue per ſeipſum, ſiue per Vicarium non excommunicatum,quod rectè ſtatuit Rebuffus ad cap.*poſtulaſtis.* de Cler.excomm. miniſtr.num.58. & Ricciullus l.4. de iure perſon. extra Eccleſ. c.3.num.3. Item non poteſt eligere alium ad beneficium. Valent porrò iſta,ſiue excommunicatus conferre & eligere debeat ſolus, ſiue cum aliis. Tunc enim repulſo excommunicato collationem vel electionem per ſolos innoxios eſſe faciendam,docent paſſim DD. cap.vnico *ne ſede vacante.* lib.6. Quod ſi excommunicatus,ſimul cum aliis eligat,aut conferat, actus eſt nullus, vt probat Rebuffus ſupra num. 90. additque num.102.& 103.idem dicendum eſſe de inſtitutione.Rurſúſque n.120.idẽ habet de nominatione.Ioannes Andr.& paſſim DD.cap.*nobis.* de iure patron. idem docent de præſentatione ad beneficium; quod de præſentatione facta per patronum Eccleſiaſticum excommunicatum,eſt extra dubium, vt videre eſt apud Couarruuiam in c.*alma mater.*p.1.§.7.v.9. De patrono laico,idem latè ſtatuit Ricciullus libro illò 4.c.4. contra Rebuffum ſupra n.103. & 104. Quia verò præſentatio fit ratione officij priuati, perinde erit ad eius nullitaté, ſiue patronus præſentans ſit excommuni

communicatus publicus, ſiue occultus, vt tradit Rebuffus conſil. 53. quamuis aliter ſe habeat res in collatione, quia fit ratione officij publici, vnde quamdiu excommunicatus non eſt declaratus, valet collatio per eum facta, iuxta commune effatum petitum ex l. *Barbarius*.ff.de offic.Præt. Nulla præterea eſt permutatio beneficij facta per excõmunicatum. Porrò omnia prædicta, non tantùm valent de beneficiis ſtrictè ſumptis, ſed etiam de latè dictis, non excluſis præbendis & quibuſuis iuribus ſpiritualibus competentibus ex inſtitutione Canonica, vt cum Suarez, & Alterio tradit Ricciullus libro illo 4.cap.3.num.5.

29. Iam quod excommunicato conferri nequeat beneficium, ſiue latè ſiue preſsè acceptum, nec ad id eligi poſtulari, nominari, præſentari validè poſſit; certa & communis eſt doctrina, quam latè ſtabiliunt Azor t.2.l.6.c.7.Suarez t.5.3.p.d.13.& Ricciullus dicto libro 4. cap.6. & ratio eſt clara. Interdicitur enim excommunicato, communicatione cum fidelibus. Non poteſt autem quis potiri beneficio, abſque communicatione. Item beneficium ferè datur propter munera Eccleſiaſtica. Ab his verò arcetur qui eſt excommunicatione perculſus. Neque verò vt prædicta valeant, neceſſe eſt excommunicatum eſſe denunciatum vel publicum. Quinimo ratum eſſe debet, excommunicatum nullo ex modis prædictis poſſe validè obtinere beneficium, etiamſi qui reuera eſt excommunicatus, habeatur liber ab eo vinculo, & ſic ferat vulgaris ſenſus: Itémque vt cum Gloſſa & Couarruuia ſtatuit Leſſ.l.de iuſtit. c.35. num. 154. etiamſi ipſe excommunicatus contractam abs ſe excommunicationẽ, inuincibiliter ignoret, & eam quoque neſciant

qui

qui aliquo ex prædictis actibus erga excommunicatum fungi volent. Nimirum ignorantia inuincibilis ex vtrauis parte interueniat, non tollit obicem obtinendi beneficij, ſed tantùm liberat à noua culpa & pœnis eam conſecuturis. Nihil porrò refert, quacunque ex cauſa tentet excommunicatus irrepere in beneficium: id eſt, ſiue ex cauſa permutationis, ſiue ex cauſa reſignationis. Imo etiamſi reſignatio & permutatio anteceſſiſſent excommunicationem, ipſa tamen ſubſecuta, præpeditur ius quod tribuendum ſupereſt. Non refert quoque, quod beneficium detur in titulum aut commendetur. Nam excommunicatus, æquè ineptus eſt ad munia ob quæ beneficium tribui poteſt quocunque modo. Eadémque ex cauſa, excommunicatus eſt incapax literarum ad beneficia vacatura, vt rectè aſſerit Gigas de penſion. q. 14. qui addit, incapacem quoque eſſe penſionis datæ titulo Eccleſiaſtico; annuúntque Vaſqnes, Suares, & Henriques, quos adducit & malè deſerit Præpoſitus dub. 11. de excommun. num. 64. Acceptatio quoque beneficij ante excommunicationem oblati, vel collati, nulla eſt ſi fiat tempore excommunicationis, vt tradunt Hurtado diſp. 6. de excom. difficult. 3. & Couarruuias ac Ægidius quos adducit. Quamuis autem abſolutio ſequẽs, tollat excommunicationem cum qua quis eſt adeptus beneficium, adeptio tamen nulla manet, éſtque opus noua beneficij adeptione: quia abſolutio ita tollit vinculum præſens, & quæ ad illud nunc conſequuntur, vt tamen non tollat præcedentem beneficij incapacitatem. Et ita rectè Garſias p. 1. de benef. cap. 5. num. 10. Sayrus l. 2. de cenſur. c. 5. num. 5. & Ægid. Coninck diſp. de excomm. num. 74.

 30. An

30. Annectitur inſuper excommunicationi, priuatio omnis iuriſdictionis in vtroque foro Eccleſiaſtico, id eſt tam externo & contentioſo, quàm interno, quod pœnitentiæ forum appellatur. Quæ priuationes antiquis licet iuribus ſtatutæ, etiamnum tamen durant: quia per ius nouum à Martino V. latum, nullus fauor excommunicatis ipſis eſt factus. Quare excommunicati quicunque, atque adeò etiam tolerati, & qui ſe excommunicatos prorſus ignorant, propoſitis fauoribus potiri nequeunt. In gratiam tamen fidelium, concedit Eccleſia, vt valeant omnia ab excommunicato occulto geſta, vt latè proſequitur Caſtro lib. 2. de lege pœn. cap. 15. poſt concluſ. 2. quòd ad excommunicatum toleratum extendunt Henriq. lib. 13. cap. 8. num. 6. & Auila 2. p. c 6. diſp. 6. dub. 3. adducens Nauarrum ac Gutierrem; nec malè, quatenus fauores illi non in excommunicati tolerati, ſed in cæterorum commodum poſſunt cedere.

Clauſula priuationum communicationis externæ, humanæ, ac ſacræ.

Quæ ad duarum propoſitarum communicationum excluſionem excommunicato inflictam pertinent, pulchrè omnino Conc. Lemouicenſe anno 1034. celebratum non ſine auctario nunquam in Eccleſia vniuerſaliter recepto, & ſeueritatis planè inſolitę his verbis expreſſit, agens de excommunicatis priuatim, vltra interdictum, quod ibi dicitur excommunicatio publica. [Hi tales, & priuatim excommunicentur, vt ſint ſegregati à communione corporis & ſanguinis Domini. In Eccleſiam intrandi, nullam habeant licentiam.

tiam. Cum Chriſtianis non comedant neque bibant, neque ambulent; carnem non comedant, vinum non bibant, non tondeantur neque radãtur, ad nullas orationes proficiſci præſumant. Si infirmi fuerint, non viſitentur à Clerico; morientes in ipſa excommunicatione non ſint de loco leuati in quo mortui fuerint, nec cooperiantur lino, neque petra, neque aliqua munitione; ſubſtantiam eorum nullus pro animabus eorum in eleemoſynam accipiat.] Porrò quod tot & tantas quoad ſacra priuationes excommunicato inflictas conſiderans Maiolus lib. 3. de irregular. cap. 21. *initio*, affirmat, quemlibet excommunicatum eſſe irregularem, reiiciendum eſt, quia non conſonat iuri; in quo nuſquam eiuſmodi irregularitas proditur. Quinimo iure ſtatutum habemus, vt excommunicatus in excommunicatione celebrans, fiat irregularis: quod falsò ſtatueretur, ſi ipſa excommunicatio iam inuexiſſet irregularitatem, vt ait Maiolus.

Communicatio fidelium merè interna, non ſubeſt Eccleſiæ, nec per eam excommunicato adimitur.

31. A communicatione merè externa in rebus humanis & ſacris excommunicato erepta, progredior ad merè internam, quæ iuxta aliquos partim ſubeſt diſpoſitioni Eccleſiæ & excommunicato eripitur, partim non poteſt ab Eccleſia tolli, & ideò ſalua manet ei qui excommunicatur. Communicatio enim interna in fide, gratia, virtutibúſque infuſis, non poteſt tolli vlla homini extrinſeca poteſtate creata. Solus

 homo

homo poteſt eam ſibi grauiter peccando eripere. Eſtque id inter peccatoris mala non poſtremum, quod qui per gratiam erat ſocius Angelorum bonorum & ſanctorum hominum, frater fiat draconum & ſocius ſtruthionum; & quod eſt miſerabiliſſimum, ſola ſua voluntate eò deueniat. Hæc igitur communicatio non poteſt per Eccleſiam concedi aut tolli. Vnde non modò qui iniuſtè percelluntur excommunicatione, ſi ſint in gratia, retinent hanc communicationem cum aliis ſanctis, ſed etiam cum iuſtè fuere perculſi, in poteſtate eorum eſt, communicationem iſtam reſumere interuentu contritionis, priuſquam ab Eccleſia exoluantur. Supponitur quidem ad iuſtam excommunicationem grauis culpa, proindéque anteceſſit excommunicationem, interclusio huius communicationis. Ipſa tamen excommunicatio nequaquam intulit huiuſmodi interclusionem, ſed homo ſolus eam ſibi malè creauit, non Eccleſia illi inuexit aut inuehere potuit.

32. Non me latet quorundam opinatio, quam ex aliquibus anterioribus retulit Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 1. dub. 2. nec niſi ſub dubio reliquit. Præter priuationem ergo gratiæ atque virtutum, exiſtimat ea ſententia, induci poſſe priuationem communitatis meritorum, conſequentis internam gratiæ & virtutum communicationem: quæ priuatio, dici poteſt priuatio neceſſitudinis conſurgentis ex communi poſſeſſione bonorum ſpiritualium & internorum. Bona quippe illa interna, poſſunt ſub duplici conſideratione ſpectari: nempe & vt bona interna ac propria ſubiecto cui inſunt, & vt ſimilia iis quæ inſunt aliis fidelibus, ratione quorum ſimilium bonorum exiſtit inter fide-

les

les illos neceſſitudo atque cognatio; ita vt homines iiſdẽ talibus bonis potientes, cenſeantur eſſe eiuſdem cognationis, imo familiæ, & quod etiam arctius & intimius eſt, eiuſdem myſtici corporis Chriſti Domini. Duplex namque eſt Chriſti corpus, vt ſcitè dixit Petrus Damiani ſerm. de S. Magdalena; vnum quod verbum aſſumpſit ex Virgine, alterum pro quo talis aſſumptio facta eſt, quod nos ipſi ſumus, ſiue Eccleſia Catholica. Eo ipſo ergo quod quis ab Eccleſia inter ſuos numeratur, & agnoſcitur vt domeſticus fidei, ſimul conſeritur corpori Chriſti myſtico per dotes ſupernaturales quas propoſuimus; gratiam inquam atque virtutes, fitque membrum de membro, vt Apoſtolus loquitur, & induit quandam cum aliis fidelibus neceſſitudinem, ratione cuius exurgit obiectiua illa meritorum communicatio quam ſupra propoſui, per quam multa bona obtingunt fidelibus, pręter bona quæ accipiunt ob priuatam ſuam excellentiam. Qua ratione, ex eo quod quis annumeretur ciuibus alicuius ciuitatis, habet priuilegia toti illi ciuitati cõmunia, diſtincta ab iis quæ priuatæ eius virtuti ſeorſim debentur. Eadem quoque ratione, ſeruus cæteroqui multis dotibus excultus, ſi excedat è familia alicuius magnatis, non ampliùs excipietur eodem modo ab iis qui amicitia vel neceſſitudine aliqua cum eo magnate nectuntur. Nec aliter peritiores Theologi philoſophantur de aggregatione ad merita ordinum, vt dico tractans heteroclita ſpiritualia. Similiter ergo, etiamſi aliquis gratiam & virtutem quaſi priuatam ſortiatur inſignem, tamen niſi ea gratia & virtus faciat vnum cum virtute cæterorum fidelium; id eſt niſi ipſe cenſeatur de familia Dei, ſitque domeſticus

fidei, excidet multis bonis quæ ratione illius coniunctionis cum cæteris, ei obuenirent. Vt autem quis cenſeantur de familia Dei, ſitque Eccleſiæ domeſticus, & membrum myſtici corporis Chriſti Domini; vel vt inde excludatur, habeaturque pro extraneo, eſt in Eccleſiæ poteſtate, ſuppoſita occaſione ex parte perſonæ de cuius allectione in Dei familiam agitur. Eccleſia enim, ex cauſa, poteſt aliquem tametſi interiùs probum, & vel iam ad ſe reuerſum, vel exteriùs & coram hominibus probatum malum, nolle ſuſtinere in ſuo cœtu, & myſtico Chriſti corpore: quo pacto virtus eius & gratia ſi quam habet, fit priuata, & talis vt eam non colluſtret gratia & virtus aliorum, quia ſublata eſt moralis vnitas; & extrinſeca illa denominatio, quæ neceſſitudo ſpiritualis dicitur, exciſa eſt per Eccleſiæ poteſtatem. Hæc eſt illa quam dixi, vel noua vel renouata aliquorum opinatio.

33. Ego tamen illi ſubſcribere non poſſum. Falsò quippe in ea aſſumitur, eſſe in Eccleſiæ poteſtate, facere vt homo habens gratiam & charitatem, non ſit myſticum membrum corporis Chriſti, & non pertineat ad Eccleſiam cuius Chriſtus eſt caput. Ita enim ſtatuendum in hac ſententia fuit, vt ſubſumeretur, Eccleſiam poſſe inducere priuationem communitatis meritorum, qua Deus ex bonis cæterorum ad eundem cœtum idémque corpus myſticum pertinentium, mouetur obiectiuè, ad omnibus communiter benefaciendum. At perſpicuum videtur, rationem membri Eccleſiæ ſitam in eiuſdem fidei profeſſione, & acceſſu gratiæ ac virtutum conſummatam, eſſe humana poteſtate extrinſeca inabdicabilem ab eo qui eiuſdem ſit fidei, multóque magis gratiæ & ſanctitudinis

dinis particeps. Quo conſtituto, corruit illa per Eccleſiam inducibilis priuatio meritorum, cui hæc ſententia inædificabatur. Et hac ex parte, communicatio meritorum religioſi ordinis quæ Religionum ſuperioribus eſt arbitraria, differt à communicatione meritorum Eccleſiæ, quæ communicatio pendet à ſolo Chriſto. Itaque ego quidem nullam agnoſco purè internam communicationem inter fideles, quæ diſpoſitioni & poteſtati Eccleſiæ ſubiacere, dici poſſit.

Priuatio communicationis mixtæ, negatis orationibus communibus.

Reſtat communicatio mixta, id eſt partim externa, partim interna, ad quam initio reuocabam ſuffragia, tam communia totius Eccleſiæ per communium precum & ſatisfactionum applicationem, quàm priuata vniuſcuiuſque, per ſuarum precum & ſatisfactionum applicationem ad alium. Vocantur ſuffragia communia, quæ fiunt in perſona totius Eccleſiæ, vel ex eius communi theſauro per indulgentias conferuntur. Videndum ergo eſt, quatenus hæc communicatio ſubſit diſpoſitioni Eccleſię, & quę eiuſdem priuatio excommunicato infligatur.

34. Suffragiis communibus per orationes in perſona Eccleſiæ fuſas, priuari excommunicatum, negant Hoſtienſ. cap. *cum voluntate*. de ſent. excom. & Summa Confeſſ. lib. 3. tit. 33. q. 159. Contrarium tamen ratum eſt apud Theologos in 4. d. 18. conſtátque ex cap. *ſacris*. & cap. *à nobis*. de ſent. excom. & ex variis textibus qui proſtant 11. q. 3. & apud Couarruuiam latè omninò id verſantem in cap. *alma mater*.

p.1.initio,num.3.& §.4.5.6. S. Thomas q. 3. de malo artic. 13. huc aptat illud B. Ioannis. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Itaque nefas eſt ſacris miniſtris, pro excommunicato orare, cum ex præcepto Eccleſiæ certam orationem præſcribentis precantur; niſi ſi quando Eccleſia id expreſsè indulgeat. Quamuis enim poteſtas excommunicandi ſit à Deo collata, tamen modus & forma excõmunicationis penes Eccleſiam eſt: vnde communicationẽ quam aliquando vult ablatã, poteſt aliquãdo concedere excommunicatis, ſalua ademptione cæterarum communicationum, atque adeò ſuperſtite excommunicatione. Eccleſia ergo feria ſexta in Paraſceue, communia Eccleſiæ ſuffragia impendit quibuſdam excommunicatis; quod aliter minùs commodè extricare nituntur S. Thomas in 4. d. 18. q. 2. artic. 1. ad 1. & ibid. Gabr. q. 2. artic. 3. *litera P.* Non orat quidem pro excommunicatis in actu ſignato, quod vnum vult aſſerere S. Bernardus tract. de grad. humilit. *in fine.* Orat tamen pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui vtique ſunt excommunicati. Extra eum diem, excommunicatus planè excluditur à participatione communium Eccleſiæ orationum; ſiue earum precum quæ fiunt à miniſtris Eccleſiæ prout talibus, & in perſona Eccleſiæ, eiúſque nomine. Tantùm eſt ambiguitas nonnulla, quæ oratio habenda ſit talis. Nam quod Nauarrus Enchir. de orat. cap. 20. num. 40. ex quibuſdam textibus non admodùm idoneis, aſſerit omnes Clericos etiam primæ tonſuræ, omnes religioſos vtriuſque ſexus etiam nouitios, ac (vt vocant) donatos quarumcunque Eccleſiarum, etiam ſecularium, orare vt miniſtros Eccleſiæ, ac in eius perſona, nullo modo eſt admittendum. Illæ

ergo

ergo orationes fiunt in perſona Eccleſiæ & eius nomine, quæ à miniſtris ad id deputatis funduntur ex Eccleſiæ mandato. Quemadmodum enim perſona publica dicitur, non quæ in omnium oculis verſatur, ſed quæ miniſterium publicū exercet ſub certis legibus à Republica conſtitutis; quæ verò perſona tale miniſterium non habet, dicitur priuata, quod item de miniſtro dicitur cum non agit ſecundùm poteſtatem quam à Republica accepit, ſed ſecundùm quod eſt talis homo: Sic oratio non dicitur publica, ex eo quod fiat coram vniuerſo populo, vnde oratio patibularij iam iam de furca deiiciendi, non eſt publica, ſed priuata. Sed ea duntaxat oratio dicitur publica, fitque in perſona Eccleſiæ, quæ à miniſtro ad id deſtinato, autoritate ac mandato Eccleſię in tali circunſtantia funditur, quod addendum eſt ad ea quæ minùs plenè de oratione priuata & publica diſſerit Anton. Perez ad cap. 27. reg. S. Bened. num. 6. Cæteræ verò orationes, tametſi ab Eccleſia inſtitutæ tanquam formulæ precandi, non ſunt ab Eccleſia inſtitutæ vt eius nomine promerentur; quia liberè & citra mandatum funduntur: vnde non funduntur in perſona Eccleſiæ eiúſve nomine, vt rectè cenſuit Suarez t. 4. 3. p. d. 48. ſ. 8. n. 9. & t. 5. d. 34. ſ. 3. num. 7. Sic igitur intelligenda eſt priuatio orationum communium, ſiue fuſarum in perſona Eccleſiæ; (comprehenſo etiam in eis ſacrificio prout nomine Eccleſiæ offertur,) quam priuationem excommunicato infligi diximus.

35. Valent porrò iſta, primò; etiam quoad excommunicatum nō vitandum, vt rectè aſſerunt Suarez t. 5. 3. p. d. 9. ſ. 2. num. 17. & Præpoſitus dub. 6. de excom. num. 35. Eccleſia enim à qua hæc participatio

X 5 pendet,

pendet, nihil fauoris impenſum vult excommunicatis quos in aliorum gratiam tolerat, nec iubet vitari. Valent prædicta, ſecundò, etiam quoad excommunicatum iam contritum & paratum ſatisfacere, cupidúmque exolui vinculis contractis. Nam quouſque exſoluatur, & abſolutio ab excommunicatione impendatur, perſtant nexus iniecti; atque adeò etiam priuatio de qua agimus. Sicut homicida contritus, manet implicitus reatu pœnæ ſceleri ſuo conſentaneæ, & irregularitate, ſi eam inuexit homicidium. Hæc reſolutio ſatis apertè habetur ex cap. *ſacro*, & ex cap. *cum deſideres*, & ex cap. *à nobis*, de ſent. excom. ſubſcribúntque Soto in 4.d.22.q.1. dub. penult. Bonac.q.2.de excom.p.1.num.6. Alanus l.de ſacrif. cap. 31. contra Maiorem in 4.d.18.q.2.ad 2. Nauarrum in ſumma c. 27. num. 36. Toletum l.1. cap.4.num.4.& Auilam multos proferentem 2. p.c. 6. diſp.4.dub. 2. Valent tertiò prædicta; etiam quoad iniuſtè excommunicatum, dummodò excommunicatio fuerit valida; contra Caietanum tomo 1.opuſcul.tract.31. reſp. 14.q.5.Couarruuiam in c.*alma mater*.p.1.§.7.num.5. Reginaldum lib.31.num.9.& Scortiam multos adducentem l. 2. de Miſſa cap. 2. num. 4. Sanè plerunque excommunicatio poteſt valere etiamſi iniuſtè feratur, vt dicam in fine huius lucubrationis. Quomodo ergo tunc carebit hoc effectu ſuo, qui eſt illi primarius atque præcipuus? Valent denique prædicta quartò; quoad illum excommunicatum qui nō eſt in mora, de quo Henriq.l.7.c.18.num.2.*litera H*.& Nauar. de Indulg.notab.18.num.14. & notab.22. aliter ſentiunt: ſed non rectè, nam quandiu perſtat cauſa, ſiue excommunicatio quę ſola abſolutione adimitur, tamdiu

diu debet perſtare hic eius effectus, nec Eccleſia vllam gratiam à ſe fieri vult excommunicato, quamdiu manet illigatus ſpiritualibus hiſce nexibus.

Non tamen priuatis.

36. Semper porrò dixi, hanc priuationem eſſe communium Eccleſiæ ſuffragiorum vel orationum: quia Sacerdos v. g. poteſt multipliciter ſuffragari alteri, & pro eo orare. Nimirum, vel 1. in perſona Chriſti quam gerit vi ſuæ ordinationis, quippe miniſter ad id à Chriſto delectus, vt ipſius Chriſti nomine offerat, & talem effectum applicet: Vel 2. in perſona Eccleſiæ, quæ item delegat ſacerdotem vt ſuo nomine ſacrificium offerat, & communem effectum ipſi Eccleſiæ ex opere operato reſpondentem, membris ſuis applicet: Vel 3. priuato ſuo nomine. Priuata ſuffragatio, nemini vetatur. Atque ita communiter Scholaſtici in 4. d. 18. aut 22. concedunt, fas eſſe priuatim orare pro excommunicato quocunque. Idque, tametſi ambigit Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 1. ad 1. dubium, poteſt quoque Sacerdos ſuo nomine præſtare in altari, vt benè aſſerunt Sylueſt. v. *excommunicatio.* 1. num. 2. Nauar. de orat. c. 19. à num. 67. Couar. in c. *alma mater.* p. 1. §. 6. num. 4. Henriq. l. 9. c. 15. *litera R.* Nec eſt excipiendum *memento* vt vocant, de quo aliqui malè tricantur, rectè ab Ægidio reiecti diſp. de excom. n. 37. Poteſt item, pro excommunicato tolerato cũ quo communicare licet, offerri ſacrificium, manabítque ad eum fructus ille ſacrificij qui eſt ab Eccleſia independens, dummodò talis excommunicatus ſit ad recipiendum eum fructum diſpoſitus; v. g. ſi ſe per con-

tritionem

tritionem mundarit à culpa. Ita rectè Præpoſitus 3.p. q.83.num.76.adducens Suarem, Auilam, & Henriquem. Tantùm igitur negaui, communia ſuffragia ſita in precibus publicis, & ſacrificij applicatione quatenus facta nomine Eccleſiæ. Qui autem hæc quoque concedunt poſſe excommunicatis toleratis applicari, vt Ægid. Coninck dub.6.de excom. num.40. euacuant (quantum video,) excommunicationem. Quare ratum eſto, ſuffragationem excommunicatis præſtitam nomine Eccleſiæ, non modò prohiberi, ſed etiam caſſam & nullam reddi: quia hæc omnia ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ, quæ in vltionem iuſtam, meritò illis priuat excommunicatum.

Item negatis indulgentiis.

37. De ſuffragatione per tranſlationem ſatisfactionum, idem dicendum eſt quod de ſuffragatione per orationes & ſacrificium. Nimirum concedendum eſt, ſuffragationem priuatam per propriarum ſatisfactionum tranſfuſionem in excommunicatum, non eſſe prohibitam. Secus autem eſt aſſerendum, de ſuffragatione per ſatisfactiones communes, in conceſſione Indulgentiarum exprompta è communi Theſauro. Eccleſia enim penes quam eſt theſauri illius diſpenſatio, non vult vt excommunicatus eo potiatur vlla ex parte, vt rectè aſſerit Roſella v. *indulgentia*, §. 14. Adrianus in 4.q.2.de clauibus, ad 1. ex inductis in principio principalis argumenti, Suarez t.5.3.p. d.9.ſ. 1.num.2.& 3.& diſp.13.ſ.3.n.7.ac Bonac. q.2. de excom.p.1.§.3.num.9. Reſtrinxi ſatisfactiones communes ad indulgentias, quia tametſi Nauar. de orat.c.19.

à num.

à num.59.& cap.10.à num.39. agnoſcit alia quædam ſuffragia communia, & nomine Eccleſiæ impenſa, quæ ſint ſatisfactoria ex opere operato,tamen verior ſententia,pro qua pugnat latè Suarez t. 4.3.p.d.48.ſ. 8.à num.5.nullum tale ſuffragium commune,à ſacrificio quod ex opere item operato ſatisfactorium eſt, & ab indulgentiis diſtinctum,admittit. Quare negato iam ſacrificij fructu communi de quo Eccleſia poteſt diſponere, & negatis quoque indulgentiis,nullæ ſuperſunt ſatisfactiones communes, quarum applicatio fieri excommunicato queat.

Priuationum excommunicato inflictarum, coronis, ademptio protectionis ſpecialis diuinæ & Angelicæ.

38. Coronidem priuationum quibus excommunicatus multatur,appono cum Iacobo Bayo l.1.inſtit. relig.Chriſt. cap.300. priuationem diuinæ protectionis ſpecialis,quæ promiſſa eſt Eccleſiæ: Eo ipſo enim quod excommunicatus excidit communione Eccleſiaſtica, omnibus bonis propoſitis conſtituta, priuatur quoque illa prærogatiua diuinæ ſpecialis cuſtodiæ,ac beneficentiæ, & tutelæ aduerſus hoſtes præſertim internos,quæ variis locis promiſſa eſt membris Eccleſiæ: vt ferunt loca illa quibus Deus ſpondet ſe fore Eccleſię murum ignis in circuitu,& idipſum viatoribus Chriſtianis præſtiturum, quod olim columna inumbrans præſtabat peregrinantibus Hebræis. Attigit hoc excommunicati damnum S. Chryſoſtomus hom. 5. in 1. ad Timoth. Potéſtque eodem referri, quod

quod S. Leo epiſt. 89. inde maximè timendam eſſe docet excommunicationem, quod per eam excommunicatus exuatur omni interno munimine, quale certè præſertim eſt diuina ſpecialis protectio. Agnoſcit quoque hoc excommunicati damnum, ſupplem. S. Thomæ 3. p. q. 21. artic. 2. ad 3. & Magiſter quem citat, in 4. d. 18. Subtractioni diuinæ protectionis ſpecialis, adiungenda quoque eſt ſubductio præſidij ſanctorum Angelorum, quod magni omnino eſſe momenti S. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaelis admonuit, quippe per quod Deus plerumque nobis proſpicit. Non quod velim excommunicatum prorſus deſtitui ſanctorum Angelorum præſidio, præſertímque Angeli cuſtodis; ſed quod ſpecialia beneficia quæ extra ordinem communis prouidentiæ, plerunque obueniunt Eccleſiæ per Angelos, ceſſent pro excommunicato, vt rectè affirmat Hugo Victor. l. 1. de Sacram. cap. 26. & Panorm. in rubr. de ſent. excom. & ex eo Ripa ad l. *ſi conſtante*. ff. ſolut. matr. num. 46. Fateor hanc priuationem diuinæ ſpecialis prouidentiæ immediatæ & Angelicæ, non infligi excommunicato directè ac per ſe: quæ cauſa eſt cur plerique Doctorum eius non meminerint. Conſequitur tamen ad ſtatum in quo Eccleſia excommunicatum collocat.

Summella capitis.

39. Ex diſputatis tam fusè toto hoc capite, habemus quod tanquam neceſſarium reliquæ tractationis fundamentum iacere propoſueramus: nempe in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter & per excellentiam dicta, quæ intelligenda eſt, quoties abſque

alio

alio addito intentatur vel infligitur excommunicatio in re graui, & penes quam aliquis antonomaſticè excommunicatus dicitur. Sita namque eſt, in priuatione communicationis fidelium, externæ, humanæ & ſacræ; itémque mixtæ ex interna & externa; ac ſpecialis protectionis diuinæ & Angelicæ. Hanc priuationum congeriem, vocamus propriam ac plenam excommunicationem. Antiqui paulo aliter nominabant. S. Cyprianus vt ex eo variis locis congeſtis mõſtrat eruditè Pamel. ad epiſt. 38. num. 10. quandoque vocat excommunicatum, *abſtentum*, & *abſtinere* dicit pro *excommunicare*. Alibi id exprimit per hæc verba, *arcere à communicatione; & non communicare; eiicere & de Eccleſia pellere; à communicatione cohibere; Eccleſia excludere; à communicatione abſtinere; ſacerdotum voce damnare*; aut ſimpliciter *condemnare*. Apud Tertullianum c. 39. Apolog. hæc excommunicatio definitur, *cenſura diuina qua iudicatur magno cũ pondere, vt apud certos de Dei conſpectu qua ſummum futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij, relegetur per ſeniores præſides.* Alibi vocat *ſeparationem ab Eccleſia, & ab omni etiam communicatione fraternitatis.* Item *relegationem ab Eccleſia, & communicationis interdictum, prohibitionémque ne quis in Eccleſiam recipiatur.* Præterea, *depulſionem à communicatione, & ſubmotionem ab omni non modò limine, verùm etiam tecto Eccleſiæ.* Adhæc; *exautorationem & ab Eccleſia cierationem, eradicationem de Eccleſia, proiectionem quoque aut dationem extra eam.* Videſis appendentem ſingulatim Tertulliani loca Pamelium ad librum eius de pudic. cap. 14. num. 119. vbi addit vniuerſa, pro eo

quod

quod eſt abſoluere ab hac excommunicatione, ſolemne eſſe Tertulliano dicere, *poſtliminium largiri Eccleſiaſticæ pacis, dedamnare, recipere in communicationem, reuocare in Eccleſiam, concorporare rurſus Eccleſiæ.* Quæ phraſes à contrario inſinuant, quid faciat excommunicatio ſimpliciter dicta de qua agimus. Cæterùm quod delicati quidam latinitatis aucupes, vocem *excommunicationis* expungentes, *interdictionem* vocare maluerunt, vt refert Nicol. Grauatius ad l. 2. Veſtrij c. 4. n. 11. vel *interdictum*, vt ait Ludou. Vitalis de reis & teſtibus cog. num. 4. inconſultè ab eis factum eſt, nec ſine confuſione nominum huius & alterius cenſuræ, præ cuius confuſionis vitatione non debet in re Eccleſiaſtica tanti eſſe latinitas. Quanquam ſitne reuera, vox *excommunicationis* barbara, & an ex Tullij oratione pro Balbo habeatur, quòd vacauit Grauatio probare, non ſum ſollicitus.

CAPVT III.

Excommunicationem propoſitam, locum aliquatenus erga defunctos quoque habere poſſe.

1. Vidimvs in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter dicta quoad fideles viatores, recenſitis priuationibus quas illis formaliter infert, & in quibus conſiſtit. Vt autem vniuerſam excommunicationis virulentiam exprimere poſtea liceat, præſupponendum inſuper eſt, an, & quibus communicationibus, fideles vita functi & in purgatorio hærentes,

tes,(de beatis & damnatis hîc non quæritur,) priuari poſſint per excommunicationem ſaltem in vita contractam, nec ablatam ante mortem, per abſolutionem. Hinc enim inferre licebit, quantus eſſe debeat excommunicationis horror. Quid enim tetrius eo malo,quod etiam ad mortuos permanat,& hominem omnibus iam malis noſtris liberum non derelinquit?

Mortui fideles, capaces excommunicationis.

Poſſe igitur fideles vita functos in Purgatorio hærentes Chriſtiana communione carere, certum eſt, generatim & indiſtinctè loquendo. Multa in hanc rem congerit Romanus ſingul.709.& paſſim DD. ad cap.*à nobis.* de ſent.excom. & cap.*ad hæc.* de priuileg. Faciunt planè ad hunc locum multi Canones quos profert Albaſp. l.1.obſeru.ſacr. cap.10.mandantes vt fideles vita functi extorres communionis, receptis eorum oblationibus per cognatos adductis,reſtituantur communioni: quod fieri non potuiſſet, niſi extra communionem fuiſſent,iam vita functi.Diſertè quoque cap.*à nobis.*& cap.*ſacris.*de ſent.excom.ſtatuitur, abſolutionem ab excommunicatione, dari poſſe aliquando poſt mortem. Id quod etiam agnoſcit Gerſo 2. p. opuſc. de abſolut. Cartuſ. defuncti. Cum igitur exſolui non poſſit niſi qui retinet vincula, perſpicuè ſequitur defunctum communione aliqua Eccleſiaſtica poſſe carere.

Sunt in hanc rem narrationes variæ apud probatos autores. S. Gregorius 2.dial. cap. 3. teſtatur puerulum qui excommunicatione innodatus obiit,

19.& 20.Auila 2.p.c.4. diſp. vnica,dub.8. Sayrus l. 1. de cenſur.c.8.à num.8. Lazarius ſect.4.q.10. num. 8. Bellarminus l.1.de Indulg.capite 14.q.2. Toletus l.1. ſummæ c.7.num.6.qui ait hanc eſſe communẽ Theologorum & Canoniſtarum ſententiam.Iuriſperitos in hanc rem laudat Caſtro ſupra & Nauarrus miſcellaneo 2. ſubiuncto capiti 27. Manualis num. 271. Eſt quoque in hanc ſententiam longa diſputatio apud Facundum Hermianenſem l. 8. pro tribus capitulis c.2.ex Proclo Conſtantinopolitano,& lib. 10. cap.4. & lib.contra Mocianum *ſub finem*, qua probat, mortuos non poſſe ab Eccleſia damnari vel excommunicari. Accedit manifeſta ratio.Nam homo mortuus,eſt extra Eccleſiæ territorium. Quomodo ergo Eccleſia poſſet hominem iam extra eius iuriſdictionem locatum,percellere ſententia condemnatoria?

Arcto me ad ſententiam condemnatoriam, quia fateor ſententiam declaratoriam criminis in vita admiſſi, ac pœnæ cui homo obnoxium ſe idcirco fecerat, rectè poſſe ferri poſt mortem. Idque ferunt quæ latè pro mortuorum licita anathematizatione diſputat Iuſtinianus Imperator epiſt. ad Ioannem II. quæ habetur inter acta quintæ ſynodi. Habet etiam multa in eandem ſententiam Pamelius ad epiſtolam *66.* S. Cypriani n. 16.itémque Hugolinus tabula 1. de cenſur.c.17.§.2.num.3.&19. Richard.in 4.d. 18, artic. 5. q.4.& ibid.Gabr.q.2.artic.2. concl.5. coroll. 4. Rem extra dubium ſtatuit caput *ſanè*.24.q.2.& cap. *neque*. diſt.88.Sed talis declaratio,non eſt excommunicatio: hanc enim neceſſe eſt ferri ex Iuriſdictione in excommunicatum, & ſpectare illius emendationem; quod vtrunque deficit Eccleſiæ circa vita functum.

Eſt

Eſt igitur tantùm,iuſta vltio, qua defunctus notatur infamia, & quamuis ipſe non ligetur, tamen alij ſuperſtites ligantur,vetantúrque pro mortuo aliqua facere. Qua etiam ratione Eccleſia, quamuis non præceſſiſſet cenſura in viuenté, atque adeò quamuis ferri non poſſet ſententia declaratoria vinculi in vita contracti,tamé ob anteriora delicta etiamſi cenſuris non obnoxia,poſſet in vltionem iuſtã pręcipere fidelibus, ne certis officiis proſequerétur defunctum,cuius culpæ quoad maculas ſint fortaſſis obliteratæ,ac proinde quem non liqueat eſſe damnatum.V.g. poſſet Eccleſia edicere viuentibus, ne ſuffragia offerant pro tali mortuo qui viuus ſic deliquit, néve in loco ſacro ſepeliatur, aut indulgentiis iuuetur. Aliquando enim poteſt ita expedire ad commune bonum: & conſtat S.Cyprianum epiſt.*66*.ex anteriorum canonum quos refert præſcripto, ſtatuiſſe, vt non fieret oblatio aut deprecatio pro dormitione Geminij Victoris, qui contra epiſcopalia edicta, Clericum dixerat Teſtamento ſuo curatorem.

Sed ante mortem contractæ,nec ablatæ.

3. Verùm quamuis mortui directè & in ſeipſis nequeant excommunicatione feriri, vt rectè conſtituimus,tamen excommunicatio quam in vita contraxerant,poteſt perſtare: vnde quamuis moraliter conſtaret eos obiiſſe in gratia,eſſent tamen priuandi ſolitis mortuorum ſubſidiis, non modò ad ſcandalum vitandum,quod falsò cenſet Paludanus in 4. d.18. q.1. num.7.ſed etiam quia reuera ob nexus quibus irretiti manent, illicita & infructuoſa illis eſſet ſubſidiorum

p.1.initio,num.3.& §.4.5.6. S. Thomas q. 3. de malo artic. 13. huc aptat illud B. Ioannis. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Itaque nefas eſt ſacris miniſtris, pro excommunicato orare, cum ex præcepto Eccleſiæ certam orationem præſcribentis precantur; niſi ſi quando Eccleſia id expreſsè indulgeat. Quamuis enim poteſtas excommunicandi ſit à Deo collata, tamen modus & forma excõmunicationis penes Eccleſiam eſt: vnde communicationé quam aliquando vult ablatã, poteſt aliquãdo concedere excommunicatis, ſalua ademptione cæterarum communicationum, atque adeò ſuperſtite excommunicatione. Eccleſia ergo feria ſexta in Paraſceue, communia Eccleſiæ ſuffragia impendit quibuſdam excommunicatis; quod aliter minùs commodè extricare nituntur S.Thomas in 4. d.18.q.2. artic.1. ad 1. & ibid. Gabr. q.2.artic.3.*litera P.* Non orat quidem pro excommunicatis in actu ſignato, quod vnum vult aſſerere S. Bernardus tract. de grad. humilit.*in fine.* Orat tamen pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui vtique ſunt excommunicati. Extra eum diem, excommunicatus planè excluditur à participatione communium Eccleſiæ orationum; ſiue earum precum quæ fiunt à miniſtris Eccleſiæ prout talibus, & in perſona Eccleſiæ, eiúſque nomine. Tantùm eſt ambiguitas nonnulla, quæ oratio habenda ſit talis. Nam quod Nauarrus Enchir. de orat.cap.20.num.40. ex quibuſdam textibus non admodùm idoneis, aſſerit omnes Clericos etiam primæ tonſuræ, omnes religioſos vtriuſque ſexus etiam nouitios, ac (vt vocant) donatos quarumcunque Eccleſiarum, etiam ſecularium, orare vt miniſtros Eccleſiæ, ac in eius perſona, nullo modo eſt admittendum. Illæ

ergo

ergo orationes fiunt in perſona Eccleſiæ & eius nomine, quæ à miniſtris ad id deputatis funduntur ex Eccleſiæ mandato. Quemadmodum enim perſona publica dicitur, non quæ in omnium oculis verſatur, ſed quæ miniſterium publicũ exercet ſub certis legibus à Republica conſtitutis; quæ verò perſona tale miniſterium non habet, dicitur priuata, quod item de miniſtro dicitur cum non agit ſecundùm poteſtatem quam à Republica accepit, ſed ſecundùm quod eſt talis homo: Sic oratio non dicitur publica, ex eo quod fiat coram vniuerſo populo, vnde oratio patibularij iam iam de furca deiiciendi, non eſt publica, ſed priuata. Sed ea duntaxat oratio dicitur publica, fitque in perſona Eccleſiæ, quæ à miniſtro ad id deſtinato, autoritate ac mandato Eccleſię in tali circunſtantia funditur, quod addendum eſt ad ea quæ minùs plenè de oratione priuata & publica diſſerit Anton. Perez ad cap.27.reg. S.Bened.num.6. Cæteræ verò orationes, tametſi ab Eccleſia inſtitutæ tanquam formulæ precandi, non ſunt ab Eccleſia inſtitutæ vt eius nomine promererentur; quia liberè & citra mandatum funduntur: vnde non funduntur in perſona Eccleſiæ eiúſve nomine, vt rectè cenſuit Suarez t.4.3.p.d.48.ſ.8. n.9. & t.5.d.34.ſ.3.num.7. Sic igitur intelligenda eſt priuatio orationum communium, ſine fuſarum in perſona Eccleſiæ; (comprehenſo etiam in eis ſacrificio prout nomine Eccleſiæ offertur,) quam priuationem excommunicato infligi diximus.

35. Valent porrò iſta, primò; etiam quoad excommunicatum nõ vitandum, vt rectè aſſerunt Suarez t.5.3.p.d.9. ſ.2. num.17. & Præpoſitus dub.6. de excom.num.35. Eccleſia enim à qua hæc participatio

pendet, nihil fauoris impenſum vult excommunicatis quos in aliorum gratiam tolerat, nec iubet vitari. Valent prædicta,ſecundò, etiam quoad excommunicatum iam contritum & paratum ſatisfacere, cupidúmque exolui vinculis contractis. Nam quouſque exſoluatur, & abſolutio ab excommunicatione impendatur, perſtant nexus iniecti; atque adeò etiam priuatio de qua agimus. Sicut homicida contritus, manet implicitus reatu pœnæ ſceleri ſuo conſentaneæ, & irregularitate, ſi eam inuexit homicidium. Hæc reſolutio ſatis apertè habetur ex cap.*ſacro,* & ex cap.*cum deſideres,* & ex cap. *à nobis*, de ſent. excom. ſubſcribúntque Soto in 4.d.22.q.1. dub. penult. Bonac.q.2.de excom.p.1.num.6. Alanus l.de ſacrif. cap. 31.contra Maiorem in 4.d.18.q.2.ad 2. Nauarrum in ſumma c. 27. num. 36. Toletum l.1. cap.4.num.4.& Auilam multos proferentem 2. p.c. 6. diſp.4.dub. 2. Valent tertiò prædicta; etiam quoad iniuſtè excommunicatum, dummodò excommunicatio fuerit valida; contra Caietanum tomo 1.opuſcul.tract.31. reſp. 14.q.5.Couarruuiam in c.*alma mater*.p.1.§.7.num.5. Reginaldum lib.31.num.9.& Scortiam multos adducentem l. 2. de Miſſa cap. 2. num. 4. Sanè plerunque excommunicatio poteſt valere etiamſi iniuſtè feratur,vt dicam in fine huius lucubrationis. Quomodo ergo tunc carebit hoc effectu ſuo, qui eſt illi primarius atque præcipuus? Valent denique prædicta quartò; quoad illum excommunicatum qui nõ eſt in mora,de quo Henriq.l.7.c.18.num.2.*litera H*.& Nauar. de Indulg.notab.18.num.14. & notab.22. aliter ſentiunt: ſed non rectè,nam quandiu perſtat cauſa,ſiue excommunicatio quę ſola abſolutione adimitur,tam-

diu

diu debet perſtare hic eius effectus, nec Eccleſia vllam gratiam à ſe fieri vult excommunicato, quamdiu manet illigatus ſpiritualibus hiſce nexibus.

Non tamen priuatis.

36. Semper porrò dixi, hanc priuationem eſſe communium Eccleſiæ ſuffragiorum vel orationum: quia Sacerdos v. g. poteſt multipliciter ſuffragari alteri,& pro eo orare.Nimirum,vel 1.in perſona Chriſti quam gerit vi ſuæ ordinationis,quippe miniſter ad id à Chriſto delectus, vt ipſius Chriſti nomine offerat,& talem effectum applicet: Vel 2. in perſona Eccleſiæ, quæ item delegat ſacerdotem vt ſuo nomine ſacrificium offerat, & communem effectum ipſi Eccleſiæ ex opere operato reſpondentem, membris ſuis applicet:Vel 3. priuato ſuo nomine. Priuata ſuffragatio,nemini vetatur.Atque ita communiter Scholaſtici in 4.d.18.aut 22.concedunt,fas eſſe priuatim orare pro excommunicato quocunque. Idque,tametſi ambigit Soto in 4.d.22.q.1.artic.1.ad 1. dubium, poteſt quoque Sacerdos ſuo nomine præſtare in altari, vt benè aſſerunt Sylueſt. v. *excommunicatio.* 1. num. 2. Nauar.de orat.c.19.à num. 67. Couar. in c. *alma mater.* p.1.§.6.num.4.Henriq. l.9.c.15. *litera R.* Nec eſt excipiendum *memento* vt vocant, de quo aliqui malè tricantur, rectè ab Ægidio reiecti diſp. de excom. n. 37. Poteſt item,pro excommunicato tolerato cũ quo communicare licet, offerri ſacrificium, manabítque ad eum fructus ille ſacrificij qui eſt ab Eccleſia independens, dummodò talis excommunicatus ſit ad recipiendum eum fructum diſpoſitus;v.g.ſi ſe per con-

tritionem mundarit à culpa. Ita rectè Præpoſitus 3.p. q.83.num.76.adducens Suarem, Auilam, & Henriquem. Tantùm igitur negaui, communia ſuffragia ſita in precibus publicis, & ſacrificij applicatione quatenus facta nomine Eccleſiæ. Qui autem hæc quoque concedunt poſſe excommunicatis toleratis applicari, vt Ægid. Coninck dub.6.de excom. num.40. euacuant (quantum video,) excommunicationem. Quare ratum eſto, ſuffragationem excommunicatis præſtitam nomine Eccleſiæ, non modò prohiberi, ſed etiam caſſam & nullam reddi: quia hæc omnia ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ, quæ in vltionem iuſtam, meritò illis priuat excommunicatum.

Item negatis indulgentiis.

37. De ſuffragatione per tranſlationem ſatisfactionum, idem dicendum eſt quod de ſuffragatione per orationes & ſacrificium. Nimirum concedendum eſt, ſuffragationem priuatam per propriarum ſatisfactionum transfuſionem in excommunicatum, non eſſe prohibitam. Secus autem eſt aſſerendum, de ſuffragatione per ſatisfactiones communes, in conceſſione Indulgentiarum expromptas è communi Theſauro. Eccleſia enim penes quam eſt theſauri illius diſpenſatio, non vult vt excommunicatus eo potiatur vlla ex parte, vt rectè aſſerit Roſella v. *indulgentia*, §. 14. Adrianus in 4.q.2.de clauibus, ad 1. ex inductis in principio principalis argumenti, Suarez t.5.3.p. d.9.ſ. 1.num.2.& 3.& diſp.13.ſ.3.n.7.ac Bonac. q.2. de excom.p.1.§.3.num.9. Reſtrinxi ſatisfactiones communes ad indulgentias, quia tametſi Nauar. de orat.c.19.

à num.

à num. 59. & cap. 10. à num. 39. agnoſcit alia quædam ſuffragia communia, & nomine Eccleſiæ impenſa, quæ ſint ſatisfactoria ex opere operato, tamen verior ſententia, pro qua pugnat latè Suarez t. 4. 3. p. d. 48. ſ. 8. à num. 5. nullum tale ſuffragium commune, à ſacrificio quod ex opere item operato ſatisfactorium eſt, & ab indulgentiis diſtinctum, admittit. Quare negato iam ſacrificij fructu communi de quo Eccleſia poteſt diſponere, & negatis quoque indulgentiis, nullæ ſuperſunt ſatisfactiones communes, quarum applicatio fieri excommunicato queat.

Priuationum excommunicato inflictarum, coronis, ademptio protectionis ſpecialis diuinæ & Angelicæ.

38. Coronidem priuationum quibus excommunicatus multatur, appono cum Iacobo Bayo l. 1. inſtit. relig. Chriſt. cap. 300. priuationem diuinæ protectionis ſpecialis, quæ promiſſa eſt Eccleſiæ: Eo ipſo enim quod excommunicatus excidit communione Eccleſiaſtica, omnibus bonis propoſitis conſtituta, priuatur quoque illa prærogatiua diuinæ ſpecialis cuſtodiæ, ac beneficentiæ, & tutelæ aduerſus hoſtes præſertim internos, quæ variis locis promiſſa eſt membris Eccleſiæ: vt ferunt loca illa quibus Deus ſpondet ſe fore Eccleſię murum ignis in circuitu, & idipſum viatoribus Chriſtianis præſtiturum, quod olim columna inumbrans præſtabat peregrinantibus Hebræis. Attigit hoc excommunicati damnum S. Chryſoſtomus hom. 5. in 1. ad Timoth. Poteſtque eodem referri,

quod S.Leo epiſt.89.inde maximè timendam eſſe docet excommunicationem, quod per eam excommunicatus exuatur omni interno munimine, quale certè præſertim eſt diuina ſpecialis protectio. Agnoſcit quoque hoc excommunicati damnum, ſupplem. S. Thomæ 3.p. q.21. artic.2. ad 3. & Magiſter quem citat, in 4.d. 18. Subtractioni diuinæ protectionis ſpecialis, adiungenda quoque eſt ſubductio præſidij ſanctorum Angelorum, quod magni omnino eſſe momenti S. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaelis admonuit, quippe per quod Deus plerumque nobis proſpicit. Non quod velim excommunicatum prorſus deſtitui ſanctorum Angelorum præſidio, præſertímque Angeli cuſtodis; ſed quod ſpecialia beneficia quæ extra ordinem communis prouidentiæ, plerunque obueniunt Eccleſiæ per Angelos, ceſſent pro excommunicato, vt rectè affirmat Hugo Victor. l.1. de Sacram.cap.26.& Panorm.in rubr. de ſent.excom. & ex eo Ripa ad l.*ſi conſtante*.ff.ſolut. matr.num.46. Fateor hanc priuationem diuinæ ſpecialis prouidentiæ immediatæ & Angelicæ, non infligi excommunicato directè ac per ſe: quæ cauſa eſt cur plerique Doctorum eius non meminerint. Conſequitur tamen ad ſtatum in quo Eccleſia excommunicatum collocat.

Summella capitis.

39. Ex diſputatis tam fusè toto hoc capite, habemus quod tanquam neceſſarium reliquæ tractationis fundamentum iacere propoſueramus: nempe in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter & per excellentiam dicta, quæ intelligenda eſt, quoties abſque alio

alio addito intentatur vel infligitur excommunicatio in re graui, & penes quam aliquis antonomaſticè excommunicatus dicitur. Sita namque eſt, in priuatione communicationis fidelium, externæ, humanæ & ſacræ; itémque mixtæ ex interna & externa; ac ſpecialis protectionis diuinæ & Angelicæ. Hanc priuationum congeriem, vocamus propriam ac plenam excommunicationem. Antiqui paulo aliter nominabant. S. Cyprianus vt ex eo variis locis congeſtis mõſtrat eruditè Pamel. ad epiſt. 38. num. 10. quandoque vocat excommunicatum, *abſtentum*, & *abſtinere* dicit pro *excommunicare*. Alibi id exprimit per hæc verba, *arcere à communicatione*; *& non communicare*; *eiicere & de Eccleſia pellere*; *à communicatione cohibere*; *Eccleſia excludere*; *à communicatione abſtinere*; *ſacerdotum voce damnare*; aut ſimpliciter *condemnare*. Apud Tertullianum c. 39. Apolog. hæc excommunicatio definitur, *cenſura diuina qua iudicatur magno cũ pondere, vt apud certos de Dei conſpectu quæ ſummum futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij, relegetur per ſeniores præſides.* Alibi vocat *ſeparationem ab Eccleſia, & ab omni etiam communicatione fraternitatis.* Item *relegationem ab Eccleſia, & communicationis interdictum, prohibitionémque ne quis in Eccleſiam recipiatur.* Præterea, *depulſionem à communicatione, & ſubmotionem ab omni non modò limine, verùm etiam tecto Eccleſiæ.* Adhæc; *exautorationem & ab Eccleſia eierationem, eradicationem de Eccleſia, proiectionem quoque aut dationem extra eam.* Videſis appendentem ſingulatim Tertulliani loca Pamelium ad librum eius de pudic. cap. 14. num. 119. vbi addit vniuerſa, pro eo quod

quod eſt abſoluere ab hac excommunicatione, ſolemne eſſe Tertulliano dicere, *poſtliminium largiri Eccleſiaſticæ pacis, dedamnare, recipere in communicationem, reuocare in Eccleſiam, concorporare rurſus Eccleſiæ*. Quæ phraſes à contrario inſinuant, quid faciat excommunicatio ſimpliciter dicta de qua agimus. Cæterùm quod delicati quidam latinitatis aucupes, vocem *excommunicationis* expungentes, *interdictionem* vocare maluerunt, vt refert Nicol. Grauatius ad l. 2. Veſtrij c. 4. n. 11. vel *interdictum*, vt ait Ludou. Vitalis de reis & teſtibus cog. num. 4. inconſultè ab eis factum eſt, nec ſine confuſione nominum huius & alterius cenſuræ, præ cuius confuſionis vitatione non debet in re Eccleſiaſtica tanti eſſe latinitas. Quanquam ſitne reuera, vox *excommunicationis* barbara, & an ex Tullij oratione pro Balbo habeatur, quòd vacauit Grauatio probare, non ſum ſollicitus.

CAPVT III.

Excommunicationem propoſitam, locum aliquatenus erga defunctos quoque habere poſſe.

1. VIDIMVS in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter dicta quoad fideles viatores, recenſitis priuationibus quas illis formaliter infert, & in quibus conſiſtit. Vt autem vniuerſam excommunicationis virulentiam exprimere poſtea liceat, præſupponendum inſuper eſt, an, & quibus communicationibus, fideles vita functi & in purgatorio hærentes,

tes,(de beatis & damnatis hîc non quæritur,) priuari poſſint per excommunicationem ſaltem in vita contractam, nec ablatam ante mortem, per abſolutionem. Hinc enim inferre licebit, quantus eſſe debeat excommunicationis horror. Quid enim tetrius eo malo,quod etiam ad mortuos permanat,& hominem omnibus iam malis noſtris liberum non derelinquit?

Mortui fideles, capaces excommunicationis.

Poſſe igitur fideles vita functos in Purgatorio hærentes Chriſtiana communione carere, certum eſt, generatim & indiſtinctè loquendo. Multa in hanc rem congerit Romanus ſingul.709.& paſſim DD. ad cap.*à nobis.* de ſent.excom. & cap.*ad hæc.*de priuileg. Faciunt planè ad hunc locum multi Canones quos profert Albaſp. l. 1.obſeru.ſacr. cap. 10.mandantes vt fideles vita functi extorres communionis, receptis eorum oblationibus per cognatos adductis,reſtituantur communioni: quod fieri non potuiſſet, niſi extra communionem fuiſſent,iam vita functi.Diſertè quoque cap.*à nobis.*& cap.*ſacris.*de ſent.excom.ſtatuitur, abſolutionem ab excommunicatione, dari poſſe aliquando poſt mortem. Id quód etiam agnoſcit Gerſo 2. p. opuſc. de abſolut. Cartuſ. defuncti. Cum igitur exſolui non poſſit niſi qui retinet vincula, perſpicuè ſequitur defunctum communione aliqua Eccleſiaſtica poſſe carere.

Sunt in hanc rem narrationes variæ apud probatos autores. S. Gregorius 2.dial. cap. 3. teſtatur puerulum qui excommunicatione innodatus obiit,

contineri ſepulchro non potuiſſe, humo cadauer ſemel & iterum reiiciente, donec puer abſolutionem excommunicationis conſecutus eſt, tranſmiſſa in ſignum exſolutionis à S. Benedicto particula Euchariſtiæ, & ſuper cadaueris denuò tumulati pectus collocata, nôn tamen infoſſa. Tunc enim puer aſylum ſepulturæ eſt aſſecutus. Simile beneficium à S. Benedicto conſecutæ ſunt ſolutioris linguæ ſanctimoniales, quas S. Pater viuentes excommunicatione perculerat. Raderus p. 1. virid. SS. ad 15. Octobris, narrat quoſdam contumaces, poſuiſſe feros animos, & templo exceſſiſſe donec abſoluerentur, quod priùs obfirmatè refugerant; cum vidiſſent quoſdam mortuos dudum ſepultos cum anathemate, ad mandatum S. Antiſtitis Gothardi, de tumbis ſuis ſurgere ac templo excedere. Mortuos S. Gothardus cenſura ſoluit, móxque inclinatis ſancto Pontifici ceruicibus, ſuum quiſque tumulum repetiere. In Menæis dicta die, proditur Monachum Scetanæ ſolitudinis, pro Chriſti fide cæſum Alexandriæ, ibíque in ſacra æde honorificè ſepultum, Diacono ſuper ſacrificium denunciante egreſſum catechumenis; ſpectantibus ac ſtupentibus omnibus, è ſepulchro ſuo exiluiſſe, & in atrio donec res diuina abſolueretur, permanſiſſe; finito demum ſacro ad priorem locum rediiſſe. Cauſam exitus illius, Angelus Domini virum pium docuit, quod monachus ille perſeueraret ligatus excommunicatione à presbytero ſuo irrogata, ideóque non eſſet ſinendus tempore ſacrificij intra ſacrarium quieſcere, donec illum exſoluiſſet qui ligarat. Quod vbi presbyter ille feſtinatò monitus præſtitit, immotus deinceps ſub altari perſtitit martyr. Eadem ferè recitat Glycas 4. p. annal.

annal. ex Philone hiſtorico Eccleſiaſtico, in Leone Iſaurico, adhibita tamen nonnulla magni momenti varietate, de qua poſtea. Narrat Gulielmus Brito l. 12. Philippeidos, Regem Philippum Auguſtum vita functum, abſolutum eſſe per Honorium III. ab excõmunicatione ob repudiatam Gelpergam contracta: id ei beneficium à Papa per viſum poſcente S. Dionyſio. Exemplum ſui temporis, recitat Abulenſ. in cap. 16. Matth. q. 89. *in fine.* Apud Petrum Maffeium lib. 5. hiſtor. Ind. narratur de milite vita functo cũ excommunicatione, cui ne Oceanus quidem, ſepulchri quietem præſtare potuit. Nocte namque intempeſta proiectus in mare, exauditis infra ſentinam pulſibus frequentibus, deprehenſus eſt hærere carinæ implexus ſub ipſo gubernaculo. Cum autem corpus in littus fuiſſet delatum, & ibi terra contectum, poſtridie rurſus apparuit inhumatum, donec expiatione defuncti adhibita è Pontificia formula per Sacerdotem, pax tandem eſt mortuo data, & vaga oſſa ſuo tumulo quieuere. Ex his & ſimilibus exemplis quibus hiſtoria Eccleſiaſtica ſcatet, perſpicuum eſt, fideles vita functos communione aliqua Chriſtiana carere poſſe, vt affirmabam.

Non tamen directè inflictæ.

2. Neque tamen exiſtimandum eſt, huiuſmodi carentiam induci poſſe feriendo mortuos excommunicatione per ſe ac directè. Id enim Eccleſiam facere non poſſe, rectè ſtatuunt Couarr. in cap. *alma mater.* p. 1. §. 11. num. 8. Suarez t. 5. 3. p. d. 5. ſect. 1. n. 3. Azor. t. 2. l. 5. cap. 26. q. 2. Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. c.

fidei, excidet multis bonis quæ ratione illius coniunctionis cum cæteris, ei obuenirent. Vt autem quis cenſeantur de familia Dei, ſitque Eccleſiæ domeſticus, & membrum myſtici corporis Chriſti Domini; vel vt inde excludatur, habeatúrque pro extraneo, eſt in Eccleſiæ poteſtate, ſuppoſita occaſione ex parte perſonæ de cuius allectione in Dei familiam agitur. Eccleſia enim, ex cauſa, poteſt aliquem tametſi interiùs probum, & vel iam ad ſe reuerſum, vel exteriùs & coram hominibus probatum malum, nolle ſuſtinere in ſuo cœtu, & myſtico Chriſti corpore: quo pacto virtus eius & gratia ſi quam habet, fit priuata, & talis vt eam non colluſtret gratia & virtus aliorum, quia ſublata eſt moralis vnitas; & extrinſeca illa denominatio, quæ neceſſitudo ſpiritualis dicitur, exciſa eſt per Eccleſiæ poteſtatem. Hæc eſt illa quam dixi, vel noua vel renouata aliquorum opinatio.

33. Ego tamen illi ſubſcribere non poſſum. Falsò quippe in ea aſſumitur, eſſe in Eccleſiæ poteſtate, facere vt homo habens gratiam & charitatem, non ſit myſticum membrum corporis Chriſti, & non pertineat ad Eccleſiam cuius Chriſtus eſt caput. Ita enim ſtatuendum in hac ſententia fuit, vt ſubſumeretur, Eccleſiam poſſe inducere priuationem communitatis meritorum, qua Deus ex bonis cæterorum ad eundem cœtum idémque corpus myſticum pertinentium, mouetur obiectiuè, ad omnibus communiter benefaciendum. At perſpicuum videtur, rationem membri Eccleſiæ ſitam in eiuſdem fidei profeſſione, & acceſſu gratiæ ac virtutum conſummatam, eſſe humana poteſtate extrinſeca inabdicabilem ab eo qui eiuſdem ſit fidei, multóque magis gratiæ & ſanctitudinis

dinis particeps. Quo conſtituto, corruit illa per Eccleſiam inducibilis priuatio meritorum, cui hæc ſententia inædificabatur. Et hac ex parte, communicatio meritorum religioſi ordinis quæ Religionum ſuperioribus eſt arbitraria, differt à communicatione meritorum Eccleſiæ, quæ communicatio pendet à ſolo Chriſto. Itaque ego quidem nullam agnoſco purè internam communicationem inter fideles, quæ diſpoſitioni & poteſtati Eccleſiæ ſubiacere, dici poſſit.

Priuatio communicationis mixtæ, negatis orationibus communibus.

Reſtat communicatio mixta, id eſt partim externa, partim interna, ad quam initio reuocabam ſuffragia, tam communia totius Eccleſiæ per communium precum & ſatisfactionum applicationem, quàm priuata vniuſcuiuſque, per ſuarum precum & ſatisfactionum applicationem ad alium. Vocantur ſuffragia communia, quæ fiunt in perſona totius Eccleſiæ, vel ex eius communi theſauro per indulgentias conferuntur. Videndum ergo eſt, quatenus hæc communicatio ſubſit diſpoſitioni Eccleſię, & quę ęiuſdem priuatio excommunicato infligatur.

34. Suffragiis communibus per orationes in perſona Eccleſiæ fuſas, priuari excommunicatum, negant Hoſtienſ. cap. *cum voluntate*. de ſent. excom. & Summa Confeſſ. lib. 3. tit. 33. q. 159. Contrarium tamen ratum eſt apud Theologos in 4. d. 18. conſtátque ex cap. *ſacris*. & cap. *à nobis*. de ſent. excom. & ex variis textibus qui proſtant 11. q. 3. & apud Couarruuiam latè omninò id verſantem in cap. *alma mater*.

p.1.initio,num.3.& §.4.5.6. S. Thomas q. 3. de malo artic. 13. huc aptat illud B. Ioannis. *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Itaque nefas eſt ſacris miniſtris, pro excommunicato orare, cum ex præcepto Eccleſiæ certam orationem præſcribentis precantur; niſi ſi quando Eccleſia id expreſsè indulgeat. Quamuis enim poteſtas excommunicandi ſit à Deo collata, tamen modus & forma excõmunicationis penes Eccleſiam eſt: vnde communicationẽ quam aliquando vult ablatã, poteſt aliquãdo concedere excommunicatis, ſalua ademptione cæterarum communicationum, atque adeò ſuperſtite excommunicatione. Eccleſia ergo feria ſexta in Paraſceue, communia Eccleſiæ ſuffragia impendit quibuſdam excommunicatis; quod aliter minùs commodè extricare nituntur S.Thomas in 4. d.18.q.2. artic.1. ad 1. & ibid. Gabr. q.2.artic.3. *litera P.* Non orat quidem pro excommunicatis in actu ſignato, quod vnum vult aſſerere S. Bernardus tract. de grad. humilit. *in fine.* Orat tamen pro hæreticis & ſchiſmaticis, qui vtique ſunt excommunicati. Extra eum diem, excommunicatus planè excluditur à participatione communium Eccleſiæ orationum; ſiue earum precum quæ fiunt à miniſtris Eccleſiæ prout talibus, & in perſona Eccleſiæ, eiúſque nomine. Tantùm eſt ambiguitas nonnulla, quæ oratio habenda ſit talis. Nam quod Nauarrus Enchir. de orat.cap.20.num.40. ex quibuſdam textibus non admodùm idoneis, aſſerit omnes Clericos etiam primæ tonſuræ, omnes religioſos vtriuſque ſexus etiam nouitios, ac (vt vocant) donatos quarumcunque Eccleſiarum, etiam ſecularium, orare vt miniſtros Eccleſiæ, ac in eius perſona, nullo modo eſt admittendum. Illæ

ergo

ergo orationes fiunt in perſona Eccleſiæ & eius nomine, quæ à miniſtris ad id deputatis funduntur ex Eccleſiæ mandato. Quemadmodum enim perſona publica dicitur, non quæ in omnium oculis verſatur, ſed quæ miniſterium publicũ exercet ſub certis legibus à Republica conſtitutis; quæ verò perſona tale miniſterium non habet, dicitur priuata, quod item de miniſtro dicitur cum non agit ſecundùm poteſtatem quam à Republica accepit, ſed ſecundùm quod eſt talis homo: Sic oratio non dicitur publica, ex eo quod fiat coram vniuerſo populo, vnde oratio patibularij iam iam de furca deiiciendi, non eſt publica, ſed priuata. Sed ea duntaxat oratio dicitur publica, fitque in perſona Eccleſiæ, quæ à miniſtro ad id deſtinato, autoritate ac mandato Eccleſię in tali circunſtantia funditur, quod addendum eſt ad ea quæ minùs plenè de oratione priuata & publica diſſerit Anton. Perez ad cap. 27. reg. S. Bened. num. 6. Cæteræ verò orationes, tametſi ab Eccleſia inſtitutæ tanquam formulæ precandi, non ſunt ab Eccleſia inſtitutæ vt eius nomine promerentur; quia liberè & citra mandatum funduntur: vnde non funduntur in perſona Eccleſiæ eiúſve nomine, vt rectè cenſuit Suarez t. 4. 3. p. d. 48. ſ. 8. n. 9. & t. 5. d. 34. ſ. 3. num. 7. Sic igitur intelligenda eſt priuatio orationum communium, ſiue fuſarum in perſona Eccleſiæ; (comprehenſo etiam in eis ſacrificio prout nomine Eccleſiæ offertur,) quam priuationem excommunicato infligi diximus.

35. Valent porrò iſta, primò; etiam quoad excommunicatum nõ vitandum, vt rectè aſſerunt Suarez t. 5. 3. p. d. 9. ſ. 2. num. 17. & Præpoſitus dub. 6. de excom. num. 35. Eccleſia enim à qua hæc participatio

pendet, nihil fauoris impenſum vult excommunicatis quos in aliorum gratiam tolerat, nec iubet vitari. Valent prædicta, ſecundò, etiam quoad excommunicatum iam contritum & paratum ſatisfacere, cupidúmque exolui vinculis contractis. Nam quouſque exſoluatur, & abſolutio ab excommunicatione impendatur, perſtant nexus iniecti; atque adeò etiam priuatio de qua agimus. Sicut homicida contritus, manet implicitus reatu pœnæ ſceleri ſuo conſentaneæ, & irregularitate, ſi eam inuexit homicidium. Hæc reſolutio ſatis apertè habetur ex cap. *ſacro*, & ex cap. *cum deſideres*, & ex cap. *à nobis*, de ſent. excom. ſubſcribúntque Soto in 4.d.22.q.1. dub. penult. Bonac.q.2.de excom.p.1.num.6. Alanus l.de ſacrif. cap. 31. contra Maiorem in 4.d.18.q.2.ad 2. Nauarrum in ſumma c. 27. num. 36. Toletum l.1. cap.4.num.4.& Auilam multos proferentem 2. p.c. 6. diſp.4.dub. 2. Valent tertiò prædicta; etiam quoad iniuſtè excommunicatum, dummodò excommunicatio fuerit valida; contra Caietanum tomo 1.opuſcul.tract.31. reſp. 14.q.5.Couarruuiam in c.*alma mater*.p.1.§.7.num.5. Reginaldum lib.31.num.9.& Scortiam multos adducentem l. 2. de Miſſa cap. 2. num. 4. Sanè plerunque excommunicatio poteſt valere etiamſi iniuſtè feratur, vt dicam in fine huius lucubrationis. Quomodo ergo tunc carebit hoc effectu ſuo, qui eſt illi primarius atque præcipuus? Valent denique prædicta quartò; quoad illum excommunicatum qui nõ eſt in mora, de quo Henriq.l.7.c.18.num.2.*litera H*.& Nauar. de Indulg.notab.18.num.14. & notab.22. aliter ſentiunt: ſed non rectè, nam quandiu perſtat cauſa, ſiue excommunicatio quę ſola abſolutione adimitur, tamdiu

diu debet perſtare hic eius effectus, nec Eccleſia vllam gratiam à ſe fieri vult excommunicato, quamdiu manet illigatus ſpiritualibus hiſce nexibus.

Non tamen priuatis.

36. Semper porrò dixi, hanc priuationem eſſe communium Eccleſiæ ſuffragiorum vel orationum: quia Sacerdos v. g. poteſt multipliciter ſuffragari alteri, & pro eo orare. Nimirum, vel 1. in perſona Chriſti quam gerit vi ſuæ ordinationis, quippe miniſter ad id à Chriſto delectus, vt ipſius Chriſti nomine offerat, & talem effectum applicet: Vel 2. in perſona Eccleſiæ, quæ item delegat ſacerdotem vt ſuo nomine ſacrificium offerat, & communem effectum ipſi Eccleſiæ ex opere operato reſpondentem, membris ſuis applicet: Vel 3. priuato ſuo nomine. Priuata ſuffragatio, nemini vetatur. Atque ita communiter Scholaſtici in 4.d.18.aut 22.concedunt, fas eſſe priuatim orare pro excommunicato quocunque. Idque, tametſi ambigit Soto in 4.d.22.q.1.artic.1. ad 1. dubium, poteſt quoque Sacerdos ſuo nomine præſtare in altari, vt benè aſſerunt Sylueſt. v. *excommunicatio.* 1. num. 2. Nauar. de orat. c. 19. à num. 67. Couar. in c. *alma mater.* p.1.§.6.num.4. Henriq. l.9.c.15. *litera R.* Nec eſt excipiendum *memento* vt vocant, de quo aliqui malè tricantur, rectè ab Ægidio reiecti diſp. de excom. n. 37. Poteſt item, pro excommunicato tolerato cũ quo communicare licet, offerri ſacrificium, manabitque ad eum fructus ille ſacrificij qui eſt ab Eccleſia independens, dummodò talis excommunicatus ſit ad recipiendum eum fructum diſpoſitus; v.g. ſi ſe per contritionem

à num.59.& cap.10.à num.39. agnoſcit alia quædam ſuffragia communia, & nomine Eccleſiæ impenſa, quæ ſint ſatisfactoria ex opere operato,tamen verior ſententia,pro qua pugnat latè Suarez t.4.3.p.d.48.ſ. 8.à num.5.nullum tale ſuffragium commune,à ſacrificio quod ex opere item operato ſatisfactorium eſt, & ab indulgentiis diſtinctum,admittit. Quare negato iam ſacrificij fructu communi de quo Eccleſia poteſt diſponere, & negatis quoque indulgentiis,nullæ ſuperſunt ſatisfactiones communes, quarum applicatio fieri excommunicato queat.

Priuationum excommunicato inflictarum, coronis, ademptio protectionis ſpecialis diuinæ & Angelicæ.

38. Coronidem priuationum quibus excommunicatus multatur,appono cum Iacobo Bayo l.1.inſtit. relig.Chriſt. cap.300. priuationem diuinæ protectionis ſpecialis,quæ promiſſa eſt Eccleſiæ: Eo ipſo enim quod excommunicatus excidit communione Eccleſiaſtica, omnibus bonis propoſitis conſtituta, priuatur quoque illa prærogatiua diuinæ ſpecialis cuſtodiæ,ac beneficentiæ, & tutelæ aduerſus hoſtes præſertim internos,quæ variis locis promiſſa eſt membris Eccleſiæ: vt ferunt loca illa quibus Deus ſpondet ſe fore Eccleſię murum ignis in circuitu,& idipſum viatoribus Chriſtianis præſtiturum, quod olim columna inumbrans præſtabat peregrinantibus Hebræis. Attigit hoc excommunicati damnum S. Chryſoſtomus hom. 5. in 1. ad Timoth. Potéſtque eodem referri, quod

quod S. Leo epiſt. 89. inde maximè timendam eſſe docet excommunicationem, quod per eam excommunicatus exuatur omni interno munimine, quale certè præſertim eſt diuina ſpecialis protectio. Agnoſcit quoque hoc excommunicati damnum, ſupplem. S. Thomæ 3. p. q. 21. artic. 2. ad 3. & Magiſter quem citat, in 4. d. 18. Subtractioni diuinæ protectionis ſpecialis, adiungenda quoque eſt ſubductio præſidij ſanctorum Angelorum, quod magni omnino eſſe momenti S. Bernardus ſerm. 1. in feſto S. Michaelis admonuit, quippe per quod Deus plerumque nobis proſpicit. Non quod velim excommunicatum prorſus deſtitui ſanctorum Angelorum præſidio, præſertímque Angeli cuſtodis; ſed quod ſpecialia beneficia quæ extra ordinem communis prouidentiæ, plerunque obueniunt Eccleſiæ per Angelos, ceſſent pro excommunicato, vt rectè affirmat Hugo Victor. l. 1. de Sacram. cap. 26. & Panorm. in rubr. de ſent. excom. & ex eo Ripa ad l. *ſi conſtante*. ff. ſolut. matr. num. 46. Fateor hanc priuationem diuinæ ſpecialis prouidentiæ immediatæ & Angelicæ, non infligi excommunicato directè ac per ſe: quæ cauſa eſt cur plerique Doctorum eius non meminerint. Conſequitur tamen ad ſtatum in quo Eccleſia excommunicatum collocat.

Summella capitis.

39. Ex diſputatis tam fusè toto hoc capite, habemus quod tanquam neceſſarium reliquæ tractationis fundamentum iacere propoſueramus: nempe in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter & per excellentiam dicta, quæ intelligenda eſt, quoties abſque alio

alio addito intentatur vel infligitur excommunicatio in re graui,& penes quam aliquis antonomaſticè excommunicatus dicitur.Sita namque eſt,in priuatione communicationis fidelium, externæ, humanæ & ſacræ;itémque mixtæ ex interna & externa; ac ſpecialis protectionis diuinæ & Angelicæ. Hanc priuationum congeriem, vocamus propriam ac plenam excommunicationem. Antiqui paulo aliter nominabant.S.Cyprianus vt ex eo variis locis congeſtis mõſtrat eruditè Pamel. ad epiſt. 38. num. 10.quandoque vocat excommunicatum, *abſtentum*, & *abſtinere* dicit pro *excommunicare*. Alibi id exprimit per hæc verba, *arcere à communicatione*;*& non communicare*;*eiicere & de Eccleſia pellere*; *à communicatione cohibere*; *Eccleſia excludere*;*à communicatione abſtinere*; *ſacerdotum voce damnare*;aut ſimpliciter *condemnare*. Apud Tertullianum c. 39. Apolog. hæc excommunicatio definitur, *cenſura diuina qua iudicatur magno cũ pondere, vt apud certos de Dei conſpectu quæ ſummum futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquit, vt à communicatione orationis,& conuentus,& omnis ſancti commercij, relegetur per ſeniores præſides.* Alibi vocat *ſeparationem ab Eccleſia,& ab omni etiam communicatione fraternitatis.* Item *relegationem ab Eccleſia*, *& communicationis interdictum*, *prohibitionémque ne quis in Eccleſiam recipiatur*. Præterea,*depulſionem à communicatione,& ſubmotionem ab omni non modò limine, verùm etiam tecto Eccleſiæ*. Adhæc; *exautorationem & ab Eccleſia eierationem, eradicationem de Eccleſia, proiectionem quoque aut dationem extra eam*. Videſis appendentem ſingulatim Tertulliani loca Pamelium ad librum eius de pudic. cap. 14. num. 119. vbi addit vniuerſa, pro eo quod

quod eſt abſoluere ab hac excommunicatione, ſolemne eſſe Tertulliano dicere, *poſtliminium largiri Eccleſiaſticæ pacis, dedamnare, recipere in communicationem, reuocare in Eccleſiam, concorporare rurſus Eccleſiæ.* Quæ phraſes à contrario inſinuant, quid faciat excommunicatio ſimpliciter dicta de qua agimus. Cæterùm quod delicati quidam latinitatis aucupes, vocem *excommunicationis* expungentes, *interdictionem* vocare maluerunt, vt refert Nicol. Grauatius ad l. 2. Veſtrij c. 4. n. 11. vel *interdictum*, vt ait Ludou. Vitalis de reis & teſtibus cog. num. 4. inconſultè ab eis factum eſt, nec ſine confuſione nominum huius & alterius cenſuræ, præ cuius confuſionis vitatione non debet in re Eccleſiaſtica tanti eſſe latinitas. Quanquam ſitne reuera, vox *excommunicationis* barbara, & an ex Tullij oratione pro Balbo habeatur, quòd vacauit Grauatio probare, non ſum ſollicitus.

CAPVT III.

Excommunicationem propoſitam, locum aliquatenus erga defunctos quoque habere poſſe.

1. VIDIMVS in quo ſita ſit excommunicatio ſimpliciter dicta quoad fideles viatores, recenſitis priuationibus quas illis formaliter infert, & in quibus conſiſtit. Vt autem vniuerſam excommunicationis virulentiam exprimere poſtea liceat, præſupponendum inſuper eſt, an, & quibus communicationibus, fideles vita functi & in purgatorio hærentes,

tes,(de beatis & damnatis hîc non quæritur,) priuari poſſint per excommunicationem ſaltem in vita contractam, nec ablatam ante mortem, per abſolutionem. Hinc enim inferre licebit, quantus eſſe debeat excommunicationis horror. Quid enim tetrius eo malo, quod etiam ad mortuos permanat, & hominem omnibus iam malis noſtris liberum non derelinquit?

Mortui fideles, capaces excommunicationis.

Poſſe igitur fideles vita functos in Purgatorio hærentes Chriſtiana communione carere, certum eſt, generatim & indiſtinctè loquendo. Multa in hanc rem congerit Romanus ſingul.709.& paſſim DD. ad cap.*à nobis*. de ſent.excom. & cap.*ad hæc*.de priuileg. Faciunt planè ad hunc locum multi Canones quos profert Albaſp. l.1.obſeru.ſacr. cap.10.mandantes vt fideles vita functi extorres communionis, receptis eorum oblationibus per cognatos adductis, reſtituantur communioni: quod fieri non potuiſſet, niſi extra communionem fuiſſent, iam vita functi. Diſertè quoque cap.*à nobis*.& cap.*ſacris*.de ſent.excom.ſtatuitur, abſolutionem ab excommunicatione, dari poſſe aliquando poſt mortem. Id quód etiam agnoſcit Gerſo 2. p. opuſc. de abſolut. Cartuſ. defuncti. Cum igitur exſolui non poſſit niſi qui retinet vincula, perſpicuè ſequitur defunctum communione aliqua Eccleſiaſtica poſſe carere.

Sunt in hanc rem narrationes variæ apud probatos autores. S. Gregorius 2.dial. cap. 3. teſtatur puerulum qui excommunicatione innodatus obiit,

contineri ſepulchro non potuiſſe, humo cadauer ſemel & iterum reiiciente, donec puer abſolutionem excommunicationis conſecutus eſt, tranſmiſſa in ſignum exſolutionis à S. Benedicto particula Euchariſtiæ,& ſuper cadaueris denuò tumulati pectus collocata,nòn tamen infoſſa. Tunc enim puer aſylum ſepulturæ eſt aſſecutus. Simile beneficium à S. Benedicto conſecutæ ſunt ſolutioris linguæ ſanctimoniales,quas S.Pater viuentes excommunicatione perculerat.Raderus p. 1. virid. SS. ad 15. Octobris, narrat quoſdam contumaces,poſuiſſe feros animos,& templo exceſſiſſe donec abſoluerentur, quod priùs obfirmatè refugerant; cum vidiſſent quoſdam mortuos dudum ſepultos cum anathemate, ad mandatum S. Antiſtitis Gothardi, de tumbis ſuis ſurgere ac templo excedere. Mortuos S. Gothardus cenſura ſoluit, móxque inclinatis ſancto Pontifici ceruicibus, ſuum quiſque tumulum repetiere.In Menæis dicta die,proditur Monachum Scetanæ ſolitudinis,pro Chriſti fide cæſum Alexandriæ,ibíque in ſacra æde honorificè ſepultum, Diacono ſuper ſacrificium denunciante egreſſum catechumenis;ſpectantibus ac ſtupentibus omnibus, è ſepulchro ſuo exiluiſſe, & in atrio donec res diuina abſolueretur, permanſiſſe; finito demum ſacro ad priorem locum rediiſſe.Cauſam exitus illius, Angelus Domini virum pium docuit, quod monachus ille perſeuerarer ligatus excommunicatione à presbytero ſuo irrogata, ideóque non eſſet ſinendus tempore ſacrificij intra ſacrarium quieſcere,donec illum exſoluiſſet qui ligarat. Quod vbi presbyter ille feſtinatò monitus præſtitit,immotus deinceps ſub altari perſtitit martyr. Eadem ferè recitat Glycas 4. p. annal.

annal. ex Philone hiſtorico Eccleſiaſtico, in Leone Iſaurico, adhibita tamen nonnulla magni momenti varietate, de qua poſtea. Narrat Gulielmus Brito l. 12. Philippeidos, Regem Philippum Auguſtum vita functum, abſolutum eſſe per Honorium III. ab excõmunicatione ob repudiatam Gelpergam contracta: id ei beneficium à Papa per viſum poſcente S. Dionyſio. Exemplum ſui temporis, recitat Abulenſ. in cap. 16. Matth. q. 89. *in fine.* Apud Petrum Maffeium lib. 5. hiſtor. Ind. narratur de milite vita functo cũ excommunicatione, cui ne Oceanus quidem, ſepulchri quietem præſtare potuit. Nocte namque intempeſta proiectus in mare, exauditis infra ſentinam pulſibus frequentibus, deprehenſus eſt hærere carinæ implexus ſub ipſo gubernaculo. Cum autem corpus in littus fuiſſet delatum, & ibi terra contectum, poſtridie rurſus apparuit inhumatum, donec expiatione defuncti adhibita è Pontificia formula per Sacerdotem, pax tandem eſt mortuo data, & vaga oſſa ſuo tumulo quieuere. Ex his & ſimilibus exemplis quibus hiſtoria Eccleſiaſtica ſcatet, perſpicuum eſt, fideles vita functos communione aliqua Chriſtiana carere poſſe, vt affirmabam.

Non tamen directè inflictæ.

2. Neque tamen exiſtimandum eſt, huiuſmodi carentiam induci poſſe feriendo mortuos excommunicatione per ſe ac directè. Id enim Eccleſiam facere non poſſe, rectè ſtatuunt Couarr. in cap. *alma mater.* p. 1. §. 11. num. 8. Suarez t. 5. 3. p. d. 5. ſect. 1. n. 3. Azor. t. 2. l. 5. cap. 26. q. 2. Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. c.

 19. &

19.& 20. Auila 2.p.c.4. diſp. vnica, dub.8. Sayrus l. 1. de cenſur.c.8.à num.8. Lazarius ſect.4.q.10. num. 8. Bellarminus l.1.de Indulg.capite 14.q.2. Toletus l.1. ſummæ c.7.num.6.qui ait hanc eſſe communē Theologorum & Canoniſtarum ſententiam. Iuriſperitos in hanc rem laudat Caſtro ſupra & Nauarrus miſcellaneo 2. ſubiuncto capiti 27. Manualis num. 271. Eſt quoque in hanc ſententiam longa diſputatio apud Facundum Hermianenſem l. 8. pro tribus capitulis c.2. ex Proclo Conſtantinopolitano, & lib. 10. cap.4. & lib. contra Mocianum *ſub finem*, qua probat, mortuos non poſſe ab Eccleſia damnari vel excommunicari. Accedit manifeſta ratio. Nam homo mortuus, eſt extra Eccleſiæ territorium. Quomodo ergo Eccleſia poſſet hominem iam extra eius iuriſdictionem locatum, percellere ſententia condemnatoria?

Arcto me ad ſententiam condemnatoriam, quia fateor ſententiam declaratoriam criminis in vita admiſſi, ac pœnæ cui homo obnoxium ſe idcirco fecerat, rectè poſſe ferri poſt mortem. Idque ferunt quæ latè pro mortuorum licita anathematizatione diſputat Iuſtinianus Imperator epiſt. ad Ioannem II. quæ habetur inter acta quintæ ſynodi. Habet etiam multa in eandem ſententiam Pamelius ad epiſtolam *66*. S. Cypriani n. 16. itémque Hugolinus tabula 1. de cenſur.c.17.§.2.num.3.&19. Richard.in 4.d. 18, artic. 5. q.4.& ibid. Gabr. q.2. artic.2. concl.5. coroll. 4. Rem extra dubium ſtatuit caput *ſanè*.24.q.2.& cap. *neque*. diſt.88. Sed talis declaratio, non eſt excommunicatio: hanc enim neceſſe eſt ferri ex Iuriſdictione in excommunicatum, & ſpectare illius emendationem; quod vtrunque deficit Eccleſiæ circa vita functum.

Eſt

Eſt igitur tantùm,iuſta vltio, qua defunctus notatur infamia, & quamuis ipſe non ligetur, tamen alij ſuperſtites ligantur,vetantúrque pro mortuo aliqua facere. Qua etiam ratione Eccleſia, quamuis non præceſſiſſet cenſura in viuenté, atque adeò quamuis ferri non poſſet ſententia declaratoria vinculi in vita contracti,tamé ob anteriora delicta etiamſi cenſuris non obnoxia,poſſet in vltionem iuſtá pręcipere fidelibus, ne certis officiis proſequerétur defunctum,cuius culpæ quoad maculas ſint fortaſſis obliteratæ,ac proinde quem non liqueat eſſe damnatum.V.g. poſſet Eccleſia edicere viuentibus, ne ſuffragia offerant pro tali mortuo qui viuus ſic deliquit, néve in loco ſacro ſepeliatur, aut indulgentiis iuuetur. Aliquando enim poteſt ita expedire ad commune bonum: & conſtat S.Cyprianum epiſt.66.ex anteriorum canonum quos refert præſcripto, ſtatuiſſe, vt non fieret oblatio aut deprecatio pro dormitione Geminij Victoris, qui contra epiſcopalia edicta, Clericum dixerat Teſtamento ſuo curatorem.

Sed ante mortem contractæ,nec ablatæ.

3. Verùm quamuis mortui directè & in ſeipſis nequeant excommunicatione feriri, vt rectè conſtituimus,tamen excommunicatio quam in vita contraxerant,poteſt perſtare; vnde quamuis moraliter conſtaret eos obiiſſe in gratia,eſſent tamen priuandi ſolitis mortuorum ſubſidiis, non modò ad ſcandalum vitandum,quod falsò cenſet Paludanus in 4. d.18. q.1. num.7.ſed etiam quia reuera ob nexus quibus irretiti manent, illicita & infructuoſa illis eſſet ſubſidiorum

illorum exhibitio, æquè ac ſi iiſdem viuentibus excommunicatione illigatis fieret. Hoc probant omnia quibus probauimus hominem iam vita functum poſſe eſſe expertem Chriſtianæ communicationis, & egere beneficio abſolutionis: quam doctrinam non euertunt, qui negare videntur mortuos poſſe verè abſolui, cum iam non ſint ſupra terram, poteſtas autem à Chriſto data ad ſoluendum Matth. 18. non ſpectet niſi quæ ſunt ſoluenda ſuper terram. Ita philoſophari videtur Alphonſus de Caſtro cap. illo 19. & 20. & Facundus lib. 10. pro tribus capitulis cap. 4. *in fine*, necnon Gelaſius Papa epiſt. 4. cum ait. [Id quoque pariter oſtendant qui nobis canones nituntur opponere, quibus hoc canonibus, quibus regulis, qua lectione, quóve documento, ſiue à maioribus noſtris, ſiue ab Apoſtolis (quos potiores fuiſſe, meritò non dubium eſt,) ſeu ab ipſo Domino Saluatore qui iudicaturus creditur viuos, & mortuos, ſiue factū eſt vnquam, vel faciendum eſſe mandatur. Mortuos ſuſcitaſſe legimus Chriſtum: in errore mortuos, abſoluiſſe non legimus. Neque certè hoc faciēdi ſolus habuit poteſtatē, Beato Petro principaliter mandat Apoſtolo: *Quæ ligaueris ſuper terram, ligata erūt & in cœlis, & quæ ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Super terram* inquit. Nā in hac ligatione defunctum, nuſquam dixit abſolui. Quod ergo nunquam factum eſt vel mente concipere formidamus, ſcientes in diuino iudicio non poſſe penitus excuſari.] Rurſus epiſt. 11. [Nec quiſquam omnino vobis perſuadeat, Acatio præuaricationis ſuæ crimen fuiſſe laxatum; quia qui poſtquam in collegium recidens prauitatis, iuréque meruit ab Apoſtolica communione ſecludi, in hac eadem perſiſtens damnatione,

dãmnatione, defunctus eſt, abſolutionem quam ſuperſtes nec quæſiuit omnino, nec meruit, mortuus iam non poteſt impetrare: ſiquidem ipſis Apoſtolis, Chriſti voce delegatum eſt: *Quæ ligaueritis ſuper terram, & quæ ſolueritis ſuper terram.* Cæterum iam qui in diuino eſt iudicio conſtitutus, nobis fas non eſt aliud decernere, præter id in quo eum dies ſupremus inuenit.] Abſolutionem quoque moniali poſt mortem à S. Benedicto impẽſam vt ſupra memorauimus, nõ fuiſſe verè abſolutionem ab excommunicatione, multis argumentis euincere tentat Abulenſis in c. 16. Matth. q. 89. & Bellarminus l. 1. de Indulg. cap. 14. ad quæſtionem 2. Non inquam per hæc ſiue argumenta ſiue teſtimonia, euertitur quod conſtitutum ſupra eſt de mortuorum abſolutione ab excommunicatione cum qua exceſſerant. Per hæc enim probatur duntaxat, hanc abſolutionem non eſſe actum Iuriſdictionis directè exercitæ in defunctos: ſed tamen dicitur defunctorum abſolutio, quia datur ſuperſtitibus facultas, vt licitè & validè aliquid circa mortuos præſtent, quod alioqui non exequerentur licitè, vel cum fructu mortuorum, vt ex dicendis fiet perſpicuum. Rectè igitur ex indigentia abſolutionis, fideles ante mortem non exſolutos afficiente, colligitur, carentiam communicationis alicuius Eccleſiaſticæ, poſſe fideles vita functos afficere, vt fuerat à nobis conſtitutum.

Ex priuationibus communicationis externæ, ſola ſepulturæ ſacræ priuatio, cadit in mortuum abſentum.

4. Quæ verò ſigillatim ſint illa quorum com-

municatione cum viatoribus carere poſſunt fideles defuncti, non erit difficile perſpicere, ſi recurramus per tres ſeries priuationum communicationis, ſuperiori capite recenſitas. Itaque vniuerſa ſeries prima prout eſt priuationum ciuilis communicationis & conuictus politici,vel forenſis, hinc ableganda eſt,cũ conſtet mortuos non eſſe capaces talis commercij nobiſcum. In eadem autem ſerie prout continet priuationem communicationis externæ in rebus ſacris,erit qui exiſtimet priuationem aliquam Sacramentorum poſſe in mortuos cadere,arguméto ducto ex eo quod legantur aliquádo etiam Catholici impertiuiſſe mortuis Euchariſtiam; de quo fusè Baſil. Ponc. in variis diſp.& Albaſpinæus l. 1.obſeru.ſac.cap.9. Nam quod Hæretici quidam Baptiſmum mortuis contulerunt,vt plenum impietatis ac ſceleris,nolo huc adducere. Videatur Caſtro v. *Baptiſmus.* hær. 3. & Interpretes 1. Cor.15.ad illud, *quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Et illud quoque prætereatur, quod Serarius Opuſc.de extrema vnctione,cap.3.obſeruat de Heracleonitis hæreticis, qui mortuis impendebant Sacramentum extremæ vnctionis. Aptiùs adduxerim quód aliquos Catholicos, catechumenis vita functis impendiſſe Baptiſmi Sacramentum, docet ſupra Albaſpinæus. Nihilominus quod per ſimplicitatem in pleriſque Conciliis damnatam, ſuſceptum aliquádo perperam eſt, non poteſt idoneum argumentum ſuppeditare, quo probetur fideles vita functos poſſe ſubire priuationem communicationis in Sacramentis. Sanè in Concilio Antiſſiod. cap.12. & in Synodo Trullana cap.84. & in Conc. Carthag.3. cap.6. (quæ duo loca poſteriora notauit Photius in Nomocan.tit.3.cap.17.)

vetatur

vetatur ea ſacramentorum adminiſtratio facta mortuis, vt concorporarentur Eccleſiæ, vel in eam reſtituerentur.

5. Priuatio ergo communicationis externæ apta cadere in mortuos, alia non eſt quàm priuatio ſepulturæ. Eam verò meritò, excommunicatis vita functis adhæreſcere perſpicuum eſt. Nam à quibus per vitam ſeiuncti fuerint fideles; ab illis poſt mortem quoque ſunt ſeiungendi. Quidni autem poterit Eccleſiaſtica poteſtas dyſcolos fideles abſque exſolutione à vinculis excommunicationis excedentes, mulctare ad eum modum, cum idipſum erga aliquos noxios iure ſtatuat poteſtas ciuilis, cum mandat eos ob ſcelera carere Eccleſiaſtica ſepultura, vel etiam abiici inſepultos, aut non niſi ſepultura aſini tumulari? Id enim per ciuilem poteſtatem rectè ſtatui, confirmant Maior in 4. d. 45. q. 4. ad argumenta contra quartam concluſionem, & Couarruuias 2.var.cap.1. num.11. contra Syluestrum, v. *ſepultura*, q.10. & aliquos Iuriſperitos adductos à Couarruuia. Priuationem porrò ſepulturæ quam excommunicati vita functi ſubeunt, intelligo 1.quoad lotionem, vnctionem, veſtitionem cadaueris: hæc enim eſſet ſaltem ciuilis cum mortuo communicatio, qua frui nobiſcum nõ debet, vt rectè ſtatuit Ioan.And.in c. *adhæc*. de priuil.n.1.& ibid.Cardin.& Abbas, & Butrio, omnes n.2. Intelligo 2.eandem priuationẽ, quoad honores funebres. Nec enim licet eos exhibere excommunicatis.3.eandem intelligo quoad tumulationem in loco ſacro, vt habetur c. *ſacris*. de ſepult.& Clementina.1.eod.tit. & c. *quicunque*. 11.q.3.rurſúſque c. *quicũque*. de heret.in 6. Quod ſi caſu aut vi, cadauer excõmunicati illatum ſit in ſa-

crum cœmeterium vel Eccleſiam,extumulari iubetur ſi diſcerni poſſit. Sic cadauer Henrici Imperatoris in excommunicatione defuncti,à Leodienſibus in loco ſacro tumulatum,iuſſu Eccleſiæ refoſſum eſt,& in locum profanum tandem proiectum, vt ſcribit Nauclerus generat. 37. anno 1106. Interim verò dum cadauer excommunicati iacet in loco ſacro, vetatur aliorum fidelium ibidem tumulatio,& diuinorum officiorum eo in loco celebratio, quouſque expietur, vt Suares rectè notauit tract. 2. de relig. lib. 3. cap. 2. num. 5.

Sepultura excommunicati in loco ſacro,graue peccatum.

6. Sanè ea excommunicati ſepultura in loco ſacro, grauiter noxia viſa eſt ſapientibus. Vnde illæ Gaufridi Vindocinenſis querelæ l.3.epiſt.37.aduerſus Epiſcopum Santonenſem, ob conceſſam cuidam in excommunicatione defuncto, ſacram ſepulturam. Concludit verò epiſtolam verbis illis. [Autoritate tamen ſanctorum Canonum firmiter tenemus & nullatenus dubitamus, quia quibus viuis non communicamus, nec mortuis communicare debemus:& qui aliter fecerit, ſi laicus eſt, debet & ipſe excommunicari: ſi clericus cuiuſcunque dignitatis vel ordinis ſit, debet penitus degradari.]

Ipſemet Chriſtus apud S.Brigittam l.1.reuel. c.13. exponere dignatus eſt, quantum ſit peccatum ſepelientis excommunicatum in loco ſacro. Et ibidem narratur vltio diuina in quendam exſerta, eam ob cauſam. Sed luculēta planè fuit alia vltio diuina ob idem peccatum,

peccatum, quæ ex Concilio Lemouic. actione 2. refertur in actis Epiſcoporum Cadurcenſium num. 60. cum de Deodato. [Nuperrimè (ait Deodatus) poſt Concilium Bituricenſe quidam de excommunicatis eques in noſtra Diœceſi interfectus eſt, quem ego rogantibus amicis & propinquis eius, nullatenus ſoluere volui, vt cęteri metum haberent, grauem enim culpam prædantis habuerat. Itaque ſine Sacerdotis obſequio, à militibus apud quandam Eccleſiam S. Petri, non me iubente ſepultus eſt. Mane autem facto corpus eius longè extra cœmeterium proiectum & nudum ſuper faciem eius terræ inuentum eſt: tumulus autem vbi ſepulturam habuerat, intactus, & ita vt dimiſſus fuerat, repertus eſt. Quem iterum milites aperuere, & nihil in eo amplius niſi veſtes quibus inuolutum corpus fuerat, inuenerunt. Rurſus cadauer ibidem ſepeliunt, & diligenter tumulum ſub enormi pondere terræ, & lapidum claudunt. Sed die alterò proiectum cadauer, & tumulum intactum, vt ſuprà, aſpiciunt. Quinquies ſepeliunt, toties eodem eiectum tenore conueuntur. Tanto demum victi ſtupore, corpus longè à cœmeterio Eccleſiæ, terra obruunt. Quo terrore perculſi principes militiæ, pacem nobis velut optabamus firmare nequaquam diſtulerunt. Ad hæc (Deodati verba) reſpondit Concilium. Quid hoc aliud eſt, niſi quia ſub oculis hominum, arbiter hominum affirmat Eccleſiæ ſuæ autoritatem, quia excommunicati à ſepultura Chriſtianorum iuſtè ab Epiſcopis ſegregantur?] Sanè qui mulctatus eſt exilio ab aliqua ciuitate, non poteſt ſine graui offenſa in Principem iniuſſu eius in ea ciuitate tumulari mortuus, vt habetur l. penult. ff. de cadau. punit. vbi Bartolus

lus id commendat, & Anchar. in Clement. I. de pœnit. & remiſſ. ac Iaſon ad l. 2. C. qui teſt. fac. poſſ. Igitur cum excommunicatio ſit *exilium finitimum*, vt diximus cap. 2. grauiter delinquere dicendus eſt, qui iniuſſu Eccleſiæ tumulat excommunicatum in loco ſacro.

Neganda, etiam tolerato.

7. Sunt qui priuationem de qua agimus, ad eos duntaxat mortuos pertinere velint, qui fuerunt excommunicati vitandi; ad toleratos autem non item. Nam quamuis ſecundùm antiqua iura ſuperiùs prolata, omnes æquè excommunicati arcendi eſſent à ſepultura in loco ſacro, tamen exiſtimant poſt extrauagantem Martini V. ſicut fas eſt communicare cum excommunicatis toleratis dum viuunt, ita idem indulgeri poſt eorum mortem. Ita Suares t. 5. 3. p. d. 13. ſ. 4. num. 4. & t. 3. 3. p. d. 81. ſ. 4. conſequenter admittens, Eccleſiam non pollui per ſepulturam excommunicati tolerati, nec eſſe quod de eo exhumando cogitetur, ſi illatus ſit in locum ſacrum. Conſentiunt Henriq. l. 13. cap. 7. n. 2. & cap. 11. num. 3. Toletus l. 1. ſummæ cap. 13. num. 10. Victoria in ſumma tit. de Euchariſt. q. 90. Gutierres l. 1. qq. Canon. c. 1. num. 30. Hurtado diffic. 4. de excomm. Ricciul. l. 4. de iure perſon. extra Eccleſ. cap. 60. num. 45. & alij. Eſt tamen admodum probabile quod ait Auila 2. p. cap. 6. diſp. 9. dub. 6. & diſp. 4. dub. 8. concl. 2. nempe quoſcunque excommunicatos, etiamſi dum viuerent toleratos, nunc quoque poſt Martini V. decretum prohiberi ſepultura in loco ſacro, dummodò tamen publicè innotuerit

tuerit eos fuiſſe excommunicatos. Ad tales quippe reſtringendam eſſe hanc pœnam, benè admonet Caietanus v. *excommunicatio*, cap. 46. Ratio autem cur tales nunc quoque ſint arcendi à ſacra ſepultura, videtur clara. Nam iure antiquo hęc pœna cadebat in excommunicatos toleratos. Nec poteſt negari quin ſit bonum quoddam, nec exiguum mortuorum, vt in loco ſacro condantur, vt tractare memini in Opere de Martyrio parte 4. cap. 6. num. 7. Eccleſia autem non intendit vllum fauorem excommunicato ipſi præſtare, quando indulſit ne vitaretur. Igitur quoad ipſum excommunicatum, perſtat decretum, vt ſit exſors ſacræ ſepulturæ. Et quamuis ſuperſtites qui excommunicatum toleratum ſepeliunt in loco ſacro, nunc ob indultam à Martino V. conceſſionem, non irretiantur excommunicatione, nec polluantur ob talem communicationem cum excommunicato defuncto; tamen ipſe excommunicatus, nec dum viuit poteſt ſibi curare talem ſepulturam, nec mortuus ea potiri poteſt, conſentaneè ad Eccleſiæ mentem, ac voluntatem, antiquis iuribus vim ſuam retinentibus ſatis proditam. Conſtàt olim apud Ethnicos vetitum fuiſſe ne deportati ſepelirentur, vel extra deportationis locum veluti feralem & maledictum, poſſent transferri, vt humarentur in religioſo loco. Et ita habetur ex l. 2. de cadau. punit. At excommunicatio, eſt deportatio quædam Chriſtiana. Igitur excommunicatus etiamſi toleratus, excludendus eſt humatione in loco ſacro, & priuandus tranſlatione in terrā benedictā. Hoc ſemper addidi vel aliquid æquiualens, quia ſimplex ſepultura cum ſit officium pietatis & humanitatis extremè indigenti impenſum, non poteſt excommunicato

negari,

negari, vt benè tradit Paludanus in 4.d.45.q.1.artic.3. concluſ.6.

Priuationes communicationis mixtæ, in defunctum cadentes, aliæ à priuatione gloriæ.

8. Ex tertia ſerie priuationum recenſitarum ſuperiori capite; (dimitto ſecundam communicationem, quia liquet eam ad rem non facere) eæ cadunt in defunctum excommunicatum, quæ hominem ſpoliant ſuffragiis communibus, & fructibus ſacrificij prout nomine Eccleſię oblati, itémque opibus è communi theſauro Eccleſię depromptis. Defunctus enim omnium horum bonorum capax eſt, manet autem priuatus iiſdem, donec interpoſita abſolutione ad ea admittatur. Falsò autem Palud. in 4. d.18. q.1. artic.1. num.8. & Sibyllanus decad.1.c.3.q.4. quæſtiunc.13. cenſuerunt, excommunicatum ſi è vita cum gratia excedat, fieri participem ſuffragiorum, eó quod excommunicatio ſit ablata per mortem. Hoc inquam falsò dicitur, quia vt excommunicatio quæ eſt nexus animam vinciens auferatur, interponenda eſt exſolutio: hæc autem alia non eſt quàm abſolutio. Vnde quandiu abſolutio non adhibetur, remanet inducta priùs ſuffragiorum priuatio, etiamſi homo è viuis exceſſerit in gratia.

9. Non adiunxi his priuationibus excommunicatum defunctum afficientibus, carentiam æternæ gloriæ, quaſi defunctus fidelis poſt plenam purgationem à reatu hinc exportato, cariturus ſit viſione Dei, niſi exſoluatur excommunicatione. Id enim falsò affirmaretur, & miror circa hoc nihil auſum aſſerere Henricum.

cum de Aſſia in Geneſim, referente Sibyllano decade 1.c.3.q.4. quæſtiuncula 13. multóque magis miror ita aſſeruiſſe Viguerium in Theolog. Inſtitut. tit. de Ordine, verſu 15. *in fine*: qui idcirco laudat vſum quarundam Diœceſeon, in quibus die Cinerum, ad inſtantiá procuratoris animarũ, impenditur omnibus mortuis abſolutio, vt ſi animæ ſint plenè purgatæ poſſint ad cœlũ euolare, nec ab eo excludantur ob excõmunicationem, ſalua tamen partibus actione ſuper bonis defunctorum. Hic vſus quoad exhibitionem abſolutionis, & communicationem ſuffragiorum, retineri poteſt. Falſum tamen eſt quod eo prætermiſſo, anima iam plenè nitens retinenda ſit in Purgatorio ob excommunicationem. Et perperam Viguerius ait, Chriſtum id expreſsè ſanxiſſe Matth. 18. cum dixit: *Quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Nõ enim illud *ligari in cœlo*, ſignificat excluſionem à gloria, etiamſi anima ſit plenè nitens ac ſancta; ſed tantùm ſignificat ſententiam à Iudice Eccleſiaſtico ritè latam, in cœlo quoque comprobari, & ratam haberi, quoad ea quæ ſubſunt diſpoſitioni Eccleſiæ, inter quę non eſt ſubitio in gloriam. Itaque fidelis anima, cum primùm eſt plenè purgata, euehitur ad viſionem Dei & gloriam cœleſtem, etiamſi non abſoluatur ab excommunicatione contracta in vita; quia gratia ſanctificans quam hinc exportauit, ſuppoſita deterſione reatus, eſt illi litrum ſufficiens ad plenam liberationem & tranſuectionem in gloriam. Nec excommũnicatio poteſt illi remoras iniicere. Alioqui ſi nunquam ab ea liberaretur, (vt facilè poſſet contingere per obliuionem, vel incuriam viuorum) perpetuò arceretur à beatitudine, quod nemo fingat. Quod ergo interdum

interdum legimus, excommunicatos à Deo reiici & damnari, vel eſſe à Deo alienandos, atque in infernum detrudendos, accipi debet præſuppoſitiuè, ſiue ratione peccati propter quod infligitur excommunicatio, non autem quaſi ipſa per ſe excommunicatio priuet fœlicitate æterna. Sic intelligendus eſt Clemens Romanus 2. conſtit. cap. 47. verbis illis. [Iuſtè tanquam de vita & morte ſempiterna ferenda eſt ſententia: *Iuſtè enim* (inquit Deus) *quod iuſtum eſt exequêris*. Qui enim iuſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vita immortali, & gloria reiectus eſt, & apud iuſtos, & pios homines inhonoratus & inglorius, & apud eundem Deum damnatus.]

Quædam in contrarium narrationes, expoſitæ.

10. Ad hanc doctrinam admetiendæ ſunt narrationes nonnullæ in hanc rem. Et in primis illa quæ ſuperiùs recitata eſt ex Menæis, de Monacho pro fide mortuo, priuſquàm ab excommunicatione abſolueretur. Ei quippe narrationi apud Glycam additur, martyrem ipſum poſt mortem interrogatum quî haberet, reſpondiſſe; *Teſtimonij quidem*, id eſt martyrij, *coronam conſecutus ſum, ſed Dei faciem nondum conſpexi*. Quod aſſumentum de non collata Dei viſione, in Menæis vbi eadem narratio habetur, meritò omiſſum eſt, quippe quod non cohæreat cum ſubita martyrum gloria eſſentiali quam vno ore agnoſcunt Patres, & profitetur Eccleſia. Videſis quæ dico in Opere de Martyrio p. 2. cap. 6. num. 20.

Eandem ob cauſam explicatione eget quod habetur apud Ioannem Moſchum lib. 10. Limon. cap. 192. & inde

& inde recitatur à Ioanne Diacono l.2.vitæ S.Gregorij cap.45.de Monacho proprietario,qui iuſſu S.Gregorij,excommunicatione percuſſus fuerat,ob accepta à fratre ſeculari atque retenta tria numiſmata ad coëmendam veſtem.Nam etſi culpas duntaxat ſecuturas per intentatam excommunicationem præuenire,moris ſit Eccleſiæ,tamen pro præterita quoque culpa vibrari poteſt excommunicatio , cum culpa ita eſt præterita,vt tamen in futurum adhuc pendeat,vel quoad ſatisfactionem iuſtam , vel quoad ſcandali ablationem.Imo Caietanus 2 2.q.69.artic.2.& Corduba l.2. q. 27. aliiſque non infimæ notæ DD. cenſuerunt excommunicationem ferri abſolutè poſſe pro ſolo peccato præterito. Monachus ergo ob eam ſummam clam acceptam atque retentam excommunicatus,malè facti pœnitens mortuus eſt priuſquàm vinculis Eccleſiaſticis exolueretur. Quod ægrè ferens S.Gregorius , orationem epiſtolæ ſpecie Archidiacono tradidit,ſuper fratris tumulũ legendam , qua mortuus exſoluebatur excommunicatione. Subſequenti autem viſo declaratum eſt, qua hora Archidiaconus fratrem mortuum liberabat ab excommunicatione per abſolutionem , *liberatam eſſe ab iudicio & damnatione animam ipſius.* Ita quidem Moſchus. Sed illud iudicium & ea damnatio , accipi debent de iudicio & damnatione Eccleſiæ, ita vt ſenſus tantùm ſit, fratrem illum ſi adhuc egebat iuuari communibus ſuffragiis ad plenam reatus abſterſionem,potuiſſe deinceps eum fructu iuuari,ob interpoſitam abſolutionem, quæ capacitas priùs deerat ob ſuperſtes vinculum excommunicationis. Non poteſt autem eſſe ſenſus,quod frater ille ante receptam exſolutionem ab eo vinculo, ſub-

iaceret damnationi, ſiue æternæ, ſiue temporariæ ob ſolam non exſolutionem ab excommunicatione.

11. Eodem denique modo condiendum eſt, quod ait Viguerius in Inſtitut. tit. de Ordine, verſ. 15. in fine. Iuuat ipſa eius verba adducere ne quid interpolem. [Noſtris temporibus legimus factum in Diœceſi ſancti Pontij de Thomeriis de quodam clerico excommunicato ab Epiſcopo Ruthenenſi, qui poſt duos annos permiſſione diuina reuelauit ſocio ſuo, & ſe exhumari fecit, & in loco prophano ſepeliri, donec habita abſolutione iterum ſepeliretur in loco ſacro; deinde habita abſolutione cum iterum ſepeliretur in Eccleſia, coram toto populo audita eſt vox clara, & perceptibilis ab omnibus qui aderant, gratias agentis & dicentis, tunc paradiſum illi fuiſſe apertum, vt in actis & regiſtris publicis prædictæ Diœceſis latiùs continetur.] Suppoſita narrationis huius veritate quam nolo in dubium reuocare, dicendum eſt, non priùs Clerico illi patuiſſe cœlum, quia illuc vſque non fuerat plenè deterſa rubigo reatus peccatorum in vita admiſſorum. Sub illud verò tempus, quo plenè nitens futurus erat, prouidiſſe Deum, vt admodum prædictum exſolueretur ab excommunicatione; vt ſimul à reatu, & ab Eccleſiaſticis nexibus liber, cœlo inferretur. Et videtur verum, exſolutionem ab excommunicatione, additis (vt fit) poſt eam aliquibus ſuffragiis, commodaſſe ad integram reatus deterſionem: ſicque per abſolutionem, & neceſſitati animæ ſuffragatione adiuncta egentis ſeruitum eſt, & ædificationi fidelium, vt curent exſolui Eccleſiaſticis vinculis, ne poſt mortem fraudentur ſuffragiis communibus, ſicque remoras patiantur in aditu gloriæ. Quamuis etiamſi non-

non ſoluerentur ab excommunicatione, non eſſent à cœlo excludendi cum primùm plenè niterent.

Summa damnorum defuncti ab excommunicatione.

Verùm tametſi excommunicatio fidelem in gratia defunctum non arcet à gloria, ſi à reatu prorſus liber ſit, priuſquàm ab excommunicatione abſoluatur, vt facilè poteſt contingere; Tamen ſatis grauatur fidelis defunctus excommunicatione irretitus, quod illis aliis quas recenſui priuationibus afficiatur. Nam & punitur in corpore, cui negatur Eccleſiaſtica ſepultura: & plectitur etiam in honore. Apud omnes quippe fideles, inhonori ſunt qui ſic excedunt. Et denique in anima quoque multatur, negatis ſuffragiorum communium ſubſidiis. Ita rectè quæſtionem hanc vniuerſam concludit Thyræus lib. de locis infeſtis cap. 87. addens & rectè, falſo à nonnullis iactari, terrificationes & infeſtationes quorundam locorum per ſpiritus, ſemper exiſtere ab animabus excommunicatorum. Ac rectè etiam negans quod aliquos dixiſſe refert, animas defunctorum excommunicatorum, donec abſoluantur, ſemper oberrare & nunquam quieſcere.

CAPVT IV.

Quomodo mulcta in bonis propoſitis præſertim ſpiritualibus, & quoad vita functos, cum ſpiritu lenitatis, & manſuetudine Eccleſiæ erga peccatores cohæreat.

1. PRIVSQVAM malorum propoſitorum grauitatem perpendamus, & inde concipiendum excommunicationis horrorem colligamus, occurrendum eſt difficultati in ſpeciem non leui, quæ argumentationem pro vehementiſſimo excommunicationis timore prædictis malis inædificandam anteoccupare euerſo eius fundamento videtur. Difficile quippe perſuaſu videtur, Eccleſiam, quæ ab Apoſtolo informata eſt, præoccupatos in aliquo delicto inſtruere in ſpiritu lenitatis, tanta auſteritate velle agere in filios tametſi immorigeros, vt eos obiiciat aperto diſcrimini damnationis æternæ, negando eis ſacramenta & ſuffragia communia, quæ ſunt opportuniſſima ad ſalutis conſecutionem ſubſidia. Sanè poteſtas quæ Eccleſiæ data eſt ad ædificationem, non debet cedere in deſtructionem, quod tamen videtur ex tali peccantium tractatione apertè ſequi. Alia in hanc rem argumenta collegit Altiſſiod. lib. 4. ſummæ cap. de excommunicatione, & S. Thomas in 4. d. 18. q. 2. artic. 1. Sed præſertim immanitatem ſapere videtur, quod diximus excommunicationem pertinere poſſe ad vita functos.

functos. Efferatæ enim crudelitatis videtur, ne mortuis quidem parcitum velle.

Excommunicationis aſperitas, non eſt contra lenitatem.

2. Statuendum nihilominus eſt vt indubitatum, rectè ac prudenter Eccleſiam, auſteriore hoc pharmaco ſiue cauterio, ad efficacem correctionem malè ſanorum capitum vti. Sic enim congruum ac neceſſarium fuit: Et ſiue ipſos excommunicatione percuſſos, ſiue cæteros attendamus, medicina eſt quæ luſcioſis oculis videtur crudelitas aut immiſericordia; meritóque medicinæ nomine inſignitur cap. 1. de ſent. excommun. in 6. colligitúrque etiam ex cap. 1. de exception. in 6. & ex cap. *ex literis.* de conſtitut. & ex cap. 1. de iudic. Ex Iuriſperitis, idem latè tradit Couarr. in c. *alma mater.* p. 1. initio num. 9. Frequenter idem habent Theologi in 4. d. 18. Medicinam autem neceſſe eſt interdum eſſe aſperiorem, notauítque optimè S. Cyprian. l. de lapſis, *ſub medium*, imperiti eſſe Medici abblandiri ęgro, vbi eius neceſſitas truncationem putraminum, & ſcalpelli intromiſſionem depoſcit. Itaque exercitium poteſtatis de qua agimus, & tot priuationum etiam in bonis ſpiritualibus irrogatio, non deficit à ratione medicinæ, tametſi aſperitatem aliquam præ ſe ferat atque moleſtiam. [Sanandum ergo celeriùs (inquit Innocent. I. epiſt. 91. inter Auguſtinianas) ne longiùs execrandus animis morbus inſerpat. Vt ſi medicus cum viderit huius terreni corporis aliquem eſſe languorem magnum ſuæ artis æſtimat documentum, ſi citò quis illius interuentu deſperatus

 euadat,

euadat, vel cum putre vulnus aſpexerit adhibet fomenta, vel cætera, quibus illud poſſit quod natū fuerat vulnus obduci:at ſi id manens ſanari non poterit, ne corpus reliquum ſua tabe corrumpat, ferro amputat quod nocebat:quod reliquum integrum eſt,ſeruat intactum.Præcidendum id ergo eſt quod velut puro, ſanóque nimium corpori vulnus obrepſit; ne cum tardiùs abſtergitur,in ipſis penè viſceribus huius mali non exhaurienda poſt ſentina confidat.]

3. Nec verum eſt, infligendo hanc moleſtiam inter ſic medendum, immiſericorditer fieri,aut abiici conuenientem commiſerationem erga peccatorem. Reuera enim peccator non eſt lugendus & miſerandus cum ob peccatum plectitur, ſed cum peccat, & vindictæ inferendæ iuſtam cauſam ſubminiſtrat.Diſputatio eſt perelegans S. Chryſoſtomi t. ſer. Græcol. ſerm.6.qui eſt in terræmotum & Lazarum.[Noli(inquit)vnquam ſupplicium timere, ſed ſupplicij parentem peccatum. Concutitur ciuitas:quid tum poſtea? mens tua verò non conquaſſetur: quandoquidem & in morbis ac vulneribus, non eos lugemus, qui curantur, ſed qui inſanabili morbo laborant. Quod eſt morbus & vulnus, hoc eſt etiam peccatum.Quod eſt ſectio,& medicamentum,hoc eſt etiam pœna. Intellexiſtis quod dico? Attendite.Volo etiam orationem Philoſophia plenam vos docere. Quam tandem ob cauſam eos qui puniuntur,non eos qui peccant lugemus? Non enim res ita grauis eſt pœna, vt res grauis eſt peccatum.Si quem igitur videris habentem vlcus, cernis ſaniem à corpore defluentem, nec vulnus tamē aut vlcus curātem:alterum verò pariter affectum, qui medicorum vtatur opera, qui vratur, ſecetur, &

acerba

acerba medicamenta deglutiat, vtrum iſtorum quæſo lugebis? Eúmne qui æger eſt, nec curatur, an eum qui æger eſt & curatur? Haud dubium quin eum potius qui cum æger ſit nō curatur.] Illuſtrat hoc exemplis. Tum ſubdit [Atenim moleſta eſt curatio: verum vtilis eſt eius finis. Ita quoque noſtræ huius vitæ ſe res habent: ſed à corporibus ſermonem transfer ad animas; à morbis ad peccatum; ab acerbitate medicamentorum, ad pœnas & iudicium diuinum. Quod enim eſt medicamentum adhibitum à Medico, & ſectio, & ignis, hoc eſt à Deo illata pœna. Nam vt ſæpenumero admotus ignis vrit, & ſiſtit vlcus, quod paſcendo ſerpit, & ferramentum putredinem exhaurit, dolorem quidem inurens, ſed vtilitatem tamen pariens; ita & fames & peſtes, & quæcunque mala eſſe videntur, ferri loco, & ignis admouentur animæ, vt ægrotantis eius vlcus depaſcens, ad ſimilitudinem corporum cohæreat, eámque meliorem efficiant.] Quod de temporalibus pœnis à Deo immiſſis, ait ibi S. Chryſoſtomus, æquè valet in re noſtra, ſiue in pœnis quas Eccleſia fidelibus irrogat propter peccata. Chriſtus ipſe apud S. Gertrudem lib. 3. reuelat. c. 16. exponere dignatus eſt, quantum eſſe poſſit commodum excommunicationis vt par eſt exceptæ, tantum abeſt vt importabile malum inferre ſit cenſenda.

Tum quia ita fert bonum excommunicati.

4. Verùm vt diſtinctè & argumenta propoſita diſſoluamus, & euincamus priuationem tot bonorum etiam ſpiritualium, probè cohærere cum ſpiritu lenitatis Eccleſiæ, conſideranda ſigillatim ſunt duo

capita neceſſitatis inferendi priuationes propoſitas. Vnum eſt, penes ipſum qui ſegregatur, & priuatur bonis prædictis. Alterum eſt, penes cæteros quibus ab eius communicatione timetur. Neceſſitas ex priori capite ducta, honeſtat omnino irrogationem priuationum quas propoſuimus. Suffunditur enim ſalubri pudore, cum agnoſcit ſe ab omnibus declinari, vt ouem morbidam cuius contagium extimeſcant. Idque intendere Eccleſiam hoc remedio vtentem, notauit Vvalafridus Strabo libro de rebus Eccleſiaſticis capite 17. in ipſo fine; & habetur ex cap. *pia.* de except. in 6. Bonum ergo & optimum eſt ei qui excommunicatur, ſic plecti. Niſi enim hic ſtimulus adhiberetur, perſtaret diutiùs in longè deteriore ſtatu, quàm ſit is qui per excommunicationem infertur. Nimirum quia hæreret in cœno illius culpæ lethalis ob quam excommunicatione percuſſus eſt, vnde contingere facilè poſſet æternum exitium. Itaque ſic punitur, vt in alia vita non puniatur immedicabiliter, iuxta ſapientem S. Bernardi ratiocinationem ſerm. 23. in Cant. quæ magna eſt erga eum benignitatis expromptio. Nec aliter ſe habet Eccleſia in hac pœnarum irrogatione, quàm ſe habeat Deus proportione ſeruata, cum ob peccatoris bonum, vt humilietur, & confundatur, tandémque reſipiſcat, tradit eum animę irreuerenti ac infrunitæ, permittens ipſum fœdis ſceleribus inquinari, vt optimè diſſerit S. Gregorius 11. Moral. c. 9. ad illud, *præcingit fune renes eorum.* Notauit hanc Dei ex eo fine punientis imitationem, per Eccleſiam excommunicantem, Gabriel lect. 26. in Canon. *litera K.* & Ferrar. opuſc. de Euangel. libert. cap. 9. probans contra Sectarios, excommunicatio-

nem

nem cohærere cum libertate Chriſtiana.

5. Et irrogatur quidem excommunicato damnum, etiam in bonis ſpiritualibus. Tamen ea damna nec inferuntur in præcipuis ſpiritualibus bonis; ſanctitate inquam & gratia, ciúſque comitibus indiuiduis, quæ ſupponuntur iam deeſſe; ſed in aliis bonis quorum priuatio minùs damnoſa eſt,& tamen hominem facilè commouet vt ad ſe reueniat, quia eorum carentia magnam partem patet exteriùs. Qualiacunque verò ſint damna quæ per excommunicationem irrogantur, in poteſtate eſt eius cui inferuntur, ſe ab eis præſtare liberum, reſipiſcendo & ſatisfaciendo Eccleſiæ. Vnde ſi eorum perpeſſio ſit diuturnior,non eſt quod de Eccleſia expoſtulet, ſed de ſeipſo per quē ſtetit ne confeſtim liberaretur.Et hanc ob cauſam,additio ad ſingulare 130. Mateſilani num.16. negat excommunicationem eſſe pœnam.Quod quamuis crudiùs dictum ſit, in ſenſu tāmen qui ab autore eſt intentus, admitti poteſt. Aliæ extricationes huius difficultatis quas aliqui iniuerunt, non ſunt idoneæ. Maior in 4. d. 18. quæſt. 2. concluſ. 3. coroll. 3. & Gabriel ibid. quæſt. 2. ad hoc dubium diſſoluendum, aiunt excommunicatum non pati damnum ab Eccleſia, ſed à ſeipſo, id eſt à ſuo peccato & contumacia in eo: *ſed Eccleſia* (inquiunt) *eum damnificatum autoritatiuè oſtendit*. Hoc non admitto. Neque enim Eccleſia excommunicans, eſt merè interpres damni quod homo peccando ſibi intulit. Imo Couuarruuias in cap. *alma mater.* initio partis prioris, num. 8. veluti hæreticam damnat ſententiam Gloſſæ cap. *quodcunque*.24.q.1. affirmantis excommunicationem nō eſſe actum iudicij & inflictionis ſupplicij, ſed eſſe

 tantùm

tantùm demonſtrationẽ ligaminis quod homo ſubiit peccando. Affinis eſt hic Gloſſæ error, ei errori Magiſtri in 4. d. 18. & nonnullorum veterum, qui ſolutionem per Sacerdotem abſoluentem à peccatis, cenſuerunt non eſſe niſi renunciationem & declarationem remiſſionis peccatorum: quod damnauit Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 6. Richardus autem Victorinus lib. de poteſt. ligandi atque ſoluendi, placitum illud aliquibus tunc probatum referens, dixit eſſe tam friuolum, vt ridendum potiùs quàm refellẽdum videatur. Verè ergo Eccleſia, cum vibrat excõmunicationem, habet ſe nõ vt præco, ſed vt iudex puniens; nec tantũ oſtendit hominẽ à ſeipſo damnificatum, ſed etiam ei nouam pœnam infligit; nimirum quas ſupra recenſuimus, & nominatim priuationem ſuffragiorum communium, & priuationem Sacramentorum nouo titulo. Poſſet tamen illorum verborum quæ ex Maiore ac Gabriele retulimus, is ſenſus eſſe, quem S. Bonau. in 4. d. 18. in vltima diſtinctionis parte q. 2. aperuit: Nempe quod excommunicati malum, radicaliter & primordialiter ab ipſomet excommunicato proueniat, non ab Eccleſia: Etiamſi verè Eccleſia, formaliter & proximè iuſtum damnum inferat cùm excommunicat. Hac ergo ſolutione dimiſſa, hærendum eſt in ea quam adhibuimus, dicendúmque mulctari quidem & damno affici hominem cum excommunicatur, ſed ipſum eſſe qui damno cauſam dedit, nec niſi per eum ſtare quominus ab Eccleſia liberetur: ac proinde debere ſibi, non Eccleſiæ rectè iudicanti ſuccenſere. Quoad mortuos autem, prout ad eos pertinere poteſt excommunicatio, verum eſt ob negata illis ſubſidia quibus animæ fidelium iuuantur, fore vt

illi

illi diutiùs in ignibus emendatoriis hæreant, & ita quidem vt ipſi per ſeipſos nequeant excutere hanc ſuæ gloriæ remoram. Tamen commune bonum de quo mox, eam retardationem gloriæ certò alioqui obuenturæ, iuſtam & honeſtam poteſt reddere.

Tum quia ſic expedit cæteris.

6. Iam honeſtatio excommunicationis, & aſperitatis quam infert; penes neceſſitatem cæterorum, eſt per ſe perſpicua. Cæteri enim diſcunt ſapere, dum vident in Eccleſiâ graues culpas non diſſimulari, & metu ſimilis quâ infamiæ, quâ irrogationis damnorum, frænant ſeipſos ne ſimiliter plectantur. Hoc ſpectabat S. Chryſoſtomus hom. 5. de verbis Eſaiæ, *vidi Dominum*, cum dixit. [Sapientes Medici quoties membra putrefacta ſecturi ſunt, aut lapides in meatibus affixos extracturi, aut aliquod aliud naturæ vitium correcturi, non id faciunt eo qui laborat in angulum abducto; ſed eo in mediis foris depoſito: conglomeratóque prætereuntium ſpectaculo, ita demum admouent ſectionem. Hæc autem faciunt non quod velint humanas traducere calamitates, ſed vt vnicuique propriæ ſanitatis commendent curam. Itidem & ſcriptura facit, vbi quem arripuit peccantium, proponit eum in ſublimi ſuggeſto, non in mediis foris, ſed in media terra; & poſteaquàm totius orbis circumſteterit theatrum, tum curationem adhibet, erudiens nos, vt circa propriam ſalutem cautiores ſimus.] Non contendo, finem adæquatum ex quo infertur pœna, eſſe exemplum aliorum, neque hoc affirmat S. Chryſoſtomus loco annotato. Id enim falsò affirmaretur

vt probaui in Morali diſt.4. n. 477. Plerunque enim, non vt alij exemplo noxij malè mulctati abſterreantur à ſimili ſceleꝛe,irrogatur pœna. Imo interdũ quoque non ſpectatur bonum noxij, vt ſcilicet emendetur,& deinceps ſapiat: ſed præcisè infertur ſuppliciũ, vt ſit ſuus locus iuſtitiæ vindici. Idque iuſtum & ſanctum eſſe,agnoſcit S.Auguſtinus l.2. de peccat. merit. c. 16. & 34. pluribúſque confirmo Facula 15. ad Idiotam. Senſus ergo D. Chryſoſtomi qui ad rem præſentem ſufficit, is eſt quem Origenes homil. 5. in Ezech.egregiè perſequitur,frequentiſſimum eſſe, vt ad cæterorum emendationem, inferatur pœna;idque ad honeſtãdam ſupplicij acerbitatem & iudicem nota immiſericordiæ & crudelitatis liberandum, ſatis ſupérque eſſe poſſe.Non alia ſanè ex cauſa quod Taurus Philoſophus apud Gellium l.6.c.14.probè admonuit,nomen *exempli* pro ſupplicij irrogatione vſurpatum iam olim eſt. Nam exemplum ſtatuere, perinde eſt ac plectere:Qua loquendi formula inſinuatur,Iudicem idcirco externa ſpecie ſæuire in perſonam noxiam vt cæteri à ſimilium patratione arceantur, (non excluſis tamen cæteris finibus iuſtæ caſtigationis:)& ex hoc nominatim capite animaduerſionem qua criminoſus punitur, non eſſe referendam ad truculentiam Iudicis, ſed cum eius debita lenitate, probè cohærere. Sed quid vrgeo exempla humana?Aut quorſum ad amouendam immiſericordiæ & crudelitatis labem à negotio in quo verſamur, inſiſto rationi ex more agendi mortalium, tametſi receptiſſimo, & quem nemo qui ſapiat, auſit damnare?

7. Deus ipſe(quæ eſt D.Thomæ in hanc rem ratiocinatio in 4. d.18.q.2.artic.1. quæſtiunc. 2. ad 3.) plerunque

plerunque iam ex hac vita, peccatoribus infert pœnas, ſtatuítque eos in exempla: non vt illis mutetur animus quos agnoſcit eſſe in nequitia obfirmatos, ſed vt alij flagellato peſtilente diſcant ſapere. [Deus (inquit Origenes hom. 9. in Ierem.) non vnum hominem, ſed vniuerſum curat orbem, cœleſtia atque terrena & omnia vbique diſpenſat. Et cum hoc prouideat quod vni commodum ſit, multo magis prouidet quid toti mundo conducat, & hominibus vniuerſis: prouidet quidem & ea quæ vni expediunt; verùm ita, ne vnius vtilitas, omnium damno ſit. Idcirco & ignis æternus præparatus eſt & gehenna, & tenebræ exteriores, quæ omnia non tam ob eum qui puniendus eſt quàm propter homines conſtituta ſunt. Si autem vis huius rei teſtem accipere ſcripturam, quia in aliorum eruditionem, licet iam deſperabiles ſint peccatores, & à curatione penitùs alieni, torqueantur, audi Salomonem in Prouerbiis dicentem. *Peſtilente flagellato, impudens callidior erit:* Non eum qui flagellatur, dixit callidiorem futurum, & ſapientiorem propter caſtigationem ſuam; ſed inſipientem à ſtultitia ad prudentiam conuerti; propter ſupplicia peſtilentiæ (hoc quippe ex ipſo nomine calliditatis ſignificatur) & conuerti eum à calliditate dum alios cernit propter ea quibus ipſe obnoxius eſt, peccata cruciari. Igitur prodeſt nobis ſi tam digni ſumus ſalute, vt alij in vtilitatem noſtram torqueantur. Et quomodo vtile fuit peccatum Iſraël in ſalutem gentium, ſic vtilis eſt quorundam pœna, aliorum ſaluti.] Hoc apertiſſimè intendit Eccleſia, intorquens in aliquem excommunicationis flagellum. Itaque eodem modo honeſtatur hæc ſeueritas Eccleſię, ac ea quæ cerni videtur in mo-

do agendi diuino. Quare mox Origenes prolato eodem exemplo Dei, iuſtè in malos ſæuientis, vt benè ſit aliis, ſubdit: [Hæc autem in Eccleſia ſæpè accidentia, poſſumus conſiderare. Peccauit quiſpiam, & poſt peccatum poſtulat Communionem. Si ei conceditur quod rogat, in incōmodum omnis venia procedit, & laxatis frænis, ſceleribus panditur via. Sin verò cum rationabili deliberatione, non vt miſericors, nec rurſum vt crudelis iudex, ſed & quaſi vni prouidens, & de omnium ſalute pertractans, conſiderauit populi damnum in vnius venia; haud dubium eſt quin faciat eiici vnum de Eccleſia, vt multos ſaluet incolumes. Age nunc conſidera mihi, & medicum, ſi ceſſauerit à ſectione eius vulneris quod ſecandum eſt, ſi non vſſerit id quod indiget cauterio, videlicet propter dolores qui ex talibus remediis conſequuntur, quomodo creſcit infirmitas, & in deterius vetus humor exuberet? Si verò (vt ita dicam,) temerarius ad vulnus ſector acceſſerit & incuſſerit plagam, curat eum qui ſecatur & vritur; quia paululum ſeueritatis aſſumptæ, licet viſus fuerit, ægrotanti ad horam non miſereri.]

Proſpicitur prætere a cæterorū adhuc ſanorum bono, dum impiorum obduratorum communicatione prohibentur. *Modicum enim fermentum totam maſſam corrumpit*, vt ipſe Apoſtolus in hanc rem eſt ratiocinatus. [Nam etſi illius, (inquit ad eum locum Chryſoſtomus homil. 15.) eſt peccatum, ſi tamen negligatur, poteſt totum corpus Eccleſiæ corrumpere. Nam quando is qui primus peccauit pœnas non dederit, citò alij quoque eadem peccata admittent, oſtendens quod non de vno ſolo, ſed de tota Eccleſia agitur, & periculum ſubitur. Quamobrem fermenti quoque

opus

opus habuit imagine ac ſimilitudine. Nam ſicut illud (inquit,).etiamſi ſit modicum totam maſſam in ſe tranſmutat;ita quoque iſte ſi dimiſſus fuerit impunitus,nec in eius peccatum iuſtè fuerit animaduerſum, corrumpet & perdet cæteros.] Nihil ſanè eſt facilius, quàm vt concolores fiant qui ſimul agunt familiariter.

Suffragium Sapientum de honeſtatione excommunicationis ex hoc capite.

8. Benè hunc fructum excommunicationis, atque adeò hanc eius honeſtandæ viam,aperit Pſeudoconcilium Bagaïtanum Donatiſtarum, apud D.Auguſtinum lib.4.contra Creſcon. c. 4. poſt damnatum Maximinianum.[Nec ſolùm hunc(inquiunt)ſceleris ſui mors iuſta condemnat. Trahit etiam ad conſortium criminis plurimos catena ſacrilegij de quibus ſcriptum eſt, *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem.Contritio & calamitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, non eſt Dei timor ante oculos eorum.* Nollemus quidem tanquã è proprij corporis iunctura præcidi, ſed quoniam tabeſcentis vulneris putredo peſtifera, plus habet in abſciſſione ſolaminis, quàm in remiſſione medicaminis, inuenta eſt cauſa ſalubrior, ne per cuncta membra peſtilens irrepat virus, vt compendioſo dolore,natum decidat vulnus.]

Sed præſtat noſtros audire. Clemens Rom.1.conſtitut. Apoſtolic. cap.17. aliàs 20. [Qui peccat cum viderit aliquem facientem ſimilia atque ipſe facit,

extruetur ad faciendũ eadem. Deinde qui prauus eſt, per vnum occaſionem nactus, in aliis operatur, quod Deus auertat: ita fiet vt grex deprauetur, & quo maior eſt numerus peccantium, eo ſit vitium maius: peccatũ nãque quod nõ arguitur, deterius fit & ad alios manat. Siquidem parum fermenti totam maſſam corrumpit, & vnus fur in totam nationem diffundit execrationem; & muſcæ mortuæ, putreſcere faciunt vnguentum ſuaue. Item Rex cum iniquo ſermoni aures præbet, omnes Miniſtri eius exiſtunt iniqui. Sic quoque ouis ſcabioſa, in alias oues transfundit ſcabiem, niſi à ſanis ſeparetur, & homo peſte laborans, multis eſt cauendus: canis etiam rabioſus, quidquid attigerit, in eo periculum affert. Si igitur hominem flagitioſum ab Eccleſia non remoueamus, facimus domum Dei ſpeluncam latronum.]

9. Origenes hom. 9. in Ierem. interrogans cur Deus ſeparatos velit malos à malis, reſpondet quia, [Mali cum ſimul fuerint, ea quæ mala ſunt cogitant, & in priſtina nequitia perſeuerantes, augent peccata peccatis. Quomodò e contrario boni, cum ſimul fuerint, de honeſtis ſermocinantur. Diſſoluitur ergo, & ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cum nõ habuerit collocutionem alterius nequioris. Idcirco per diſpenſationem Dei prouidetur, peſſimos à peſſimis ſeparari: Iuſtum quoque & commodum eſt, vt à priſtinis ſceleribus ipſa ſolitudine, & penuria conſortij aliquando deſiſtant. Hæc de eo quod dictum eſt, *& diſpergam illos, virum & fratrem eius, & patres eorum, & filios eorum in idipſum, dicit Dominus.*] Hæ autem rationes multo fortiùs vrgẽt pro ſeparatione malorũ à bonis, quos facilè fermentarent & contaminarent.

S.Augu

S. Auguſtinus l. de corrept. & gratia cap. 15. vt nulla alia bona excommunicationem conſequerentur, ipséque excommunicatus non reſipiſceret, quod monet ſperandum ſemper eſſe, hoc tamen commodum in quo verſamur nunquam defore conteſtatur. [Et ipſa (inquit,) quæ damnatio nominatur, quam fecit Epiſcopale Iudicium, qua pœna in Eccleſia, nulla maior eſt; poteſt ſi Deus voluerit, in correptionem ſaluberrimam cedere atque proficere. Neque enim ſcimus, quid contingat ſequenti die: an ante finem vitæ huius de aliquo deſperandum eſt? Aut contradici poteſt Deo ne recipiat & det pœnitētiam, & accepto ſacrificio ſpiritus contribulati cordiſque contriti, à reatu quamuis iuſtæ damnationis abſoluat, damnatúmque ipſe non damnet? Paſtoralis tamen neceſſitas habet, ne per plures ſerpant dira contagia, ſeparare ab ouibus ſanis morbidam; ab illo cui nihil eſt impoſſibile ipſa forſitan ſeparatione ſanandam.]

10. Theodotus Ancyranus homil. in S. Ioannem Euangeliſtam, quæ habetur tomo 6. Concilij Epheſini, editionis Peltani, cap. 9. [Quod corporibus noſtris eſt medicus, hoc animabus eſt Sacerdos. Quia ergo animi morbus eſt error, qui diu multúmque diſſimulatus, mortis ſupplicium inducit, Spiritus ſancti gratia animarum medicinam Sacerdotium inſtituit; membrúmque morbo dudum labefactatum excidi curauit: non quidem in illud deſæuire inſtituens, ſed reliquis membris conſultum cupiens. Cum enim iugis illa tabes, prauæ corruptionis incrementa paulatim generaret, membrum putridum præcidendum exiſtimauit, quò omnem ſimul corruptionis malitiam è medio tolleret. Eſt hæc curandi ratio, non crudeli-

tas,ſed ſalubris & neceſſaria medicina. Sanè medicus flens interdum membrum præſcindit. Verùm dum ſectioni non parcit, ſanitatem inducit. Neque genus hoc medendi nouum eſt, ſed antiquum, & iam inde ab initio vſurpatum: hac enim ratione Sancti Patres, venerandam hanc Eccleſiam hactenus curarunt & conſeruarunt. Obtinet ſacerdos gladium,non vt lædat, ſed vt medelam adferat: atque hoc ipſum ſuperna gratia inſinuans quondam Hieremiam ita affabatur: *Conſtitui te hodie ſuper gẽtes,& ſuper regna,vt euertas,& deſtruas,& diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Neque enim pietas cõmodè inſeri poteſt, niſi malitia antè fuerit extirpata. Par eſt vtique affectũ membrum primò rigare,culturæ induſtria vti,pietatis ſermonem adhibere, & omne denique medicamenti genus putreſcenti membro applicare. Verùm ſi tabes maior fuerit,quàm vt curationem admittat,tunc demum membrorum ita affectorum ſectio, præſens eſt medicina.]

Exemplo eius quod in brutis cernitur, confirmat hoc quod dicimus S.Gregorius lib. 12.Regiſt. indict. 7.epiſt.31.& vltima. [Sunt(inquit)mali ſegregandi à bonis,iniqui à iuſtis, vt ſaltem rubore ſuo conſcientias ſuas recognoſcant, & conuertantur à prauitatibus ſuis:& ſi incorrigibiles apparuerint, ſegregentur à fidelibus vſque ad ſatisfactionem, iuxta Saluatoris Domini ſententiam, qua inter cætera de peccante in ſe fratre præcipiendo,ait: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe cum inter te & ipſum ſolum:ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum:ſi autem non audierit te, adhibe tecum vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium teſtium, ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit,dic Eccleſiæ. Si autem*

autem Eccleſiam non audierit,ſit tibi vt ethnicus & publicanus. Hjs ergo & aliis multis ſanctorum Patrum authoritatibus, ſegregandi ſunt mali à bonis,ne pereant iuſti pro iniuſtis, ſicut ſcriptũ eſt: *perit iuſtus pro impio*,debet enim diſcretio fieri inter bonos & malos, ſicut eſt inter hœdos,& oues.Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda:ſed palã ſunt arguendi,qui palã nocent, vt dum aperta obiurgatione ſanantur,hi qui eos imitãdo deliquerãt, corrigãtur. Dum enim vnus corripitur,plurimi emendãtur:& melius eſt, vt pro multorũ ſalute vnus cõdemnetur,quã per vnius licentiã multi periclitentur. Nec mirum ſi inter homines hæc ratio cuſtoditur, cùm & inter iumenta hoc fieri perſæpè cognouerimus, vt ea quæ ſcabiem aut impetiginẽ habere videntur, ſeparẽtur à ſanis,ne illorũ morbo ſana dãnentur & pereant.]

11. S.Chryſoſtomus homil.36.in Matth. *initio*, hanc eſſe ſapientum omnium praxim vt putria & vitiata ad cæterorum conſeruationem ſine comperendinatione præſcindant, optimè admonet,verbis illis: [Præcipua ſingulariſque pax tunc præſtatur, quandò quòd tabo vel ſanie corruptum eſt, abſcinditur,atque proiicitur: quando factioſã & improba pars repellitur,aut omnino deſtruitur: Sic certè cœlis terra coniungi poteſt. Nam & medicus hoc modo reliquum corpus conſeruat facilè, ſi quod reduci ad ſanitatem non poteſt, exciderit atque abiecerit: & militiæ dux ad ſoluendam militum conſpirationem, alterum in alterum concitat. Sic in turre illa factum videmus, quando perniciosa illa pax per ſalutarem vocis diſſonantiam diſſoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddidit. Sic etiam Paulus eos, qui aduerſus

ſe conſpirabant, diuidebat atque diſſipabat.] Denique S. Baſilius, hanc in qua verſamur honeſtandæ excommunicationis viam, cum altera priùs tractata coniungens, cap. 9. conſtit. Monaſt. *in fine*, ſic habet. [Hi omni ratione coërcendi ſunt, ídque ea re, ne & peſtis contagione cæteros inficiant, & ipſi cùm ſe vndiqué velut proſcriptos, & ab aliorum communione ſummotos animaduertent, vel ſerò ſe ad meliorem frugem recipiant: & ignominiam illam, quod bonos ſe defugere, atque auerſari videant, pædagogi loco accipientes, admoniti à prauitate reſipiſcant. Nam hoc etiam Paulus fieri iuſſit, loquens de iis, qui nihil laborabant, ſed curioſè agebant: *hunc enim* (inquit) *notate, & ne commiſceamini cum illo, vt confundatur.*]

Concluditur excommunicationis & lenitatis cohæſio.

12. Itaque cum ſpiritu lenitatis quo Eccleſia ducitur, optimè cohæret hæc qualiſcunque erga improbos ſeueritas, & in ſpeciem aſperitas. Errant enim qui lenitatem interpretantur ignauiam. Cum è contrario, quod exemplo Moſis & Dauidis egregiè illuſtrat S. Chryſoſtomus in Pſal. 131. Manſuetudo vera, norit in tempore piè ſæuire. Quod ipſum tradunt S. Baſil. in Conſtit. Monaſt. cap. 14. S. Gregor. 21. Moral. cap. 8. Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 27. & alij latè adducti in noſtra lucubratione cui titulus eſt, *Commonitorium vt ſit moderatio quod dicitur*, §. 7. & 12. Meritò proinde S. Auguſtinus lib. de fide & oper. c. 3. excommunicationem vocat, *miſericordem ſeueritatem*, & per aliquot capita confirmat, excommunicationem prudenter & cum

cum charitate inflictam, non modò iuſtè omnino, ſed etiam abſque temeratione Eccleſiaſticæ lenitatis inferri. Ipſe ſanè Apoſtolus, qui hominem in delicto quopiam præoccupatum inſtrui mandabat in ſpiritu lenitatis, nihilominus in tempore vſus eſt excommunicatione, vt contra Corinthium impurum, & contra Alexandrum ac Hymenæum. Vel ergo inſimulandus eſſet violati moniti ſui, quod abſit vt admittamus: vel agnoſcebat hanc ſeueritatem cum ſpiritu lenitatis Paſtorum rectè concinere.

13. Quod ſi quem ſtimulat metus prætenſæ huius ſeueritatis, indéque honori vel virtuti Paſtorum excommunicationem vibrantium timendum putet, conſideret viciſſim, prætermiſſionem huius remedij, quando prudentia, & bonum vel noxij, vel cæterorum, poſcit illud adhiberi, de ignauia & mollitie longè damnoſiore periclitari. Quantum autè delinquat Antiſtes mollis, & falſa mititatis ſpecie parcens putribus membris, nemo ſatis explicet. Fusè id verſat Clem. Rom. 2. Conſtit. cap. 9. 10. & 11. Conſiderandum præterea ex reſciſſione vnius ſtrumæ quantum decus exiturum ſit in corpus Eccleſiæ. Nemo quippe damnare auſit tanquam minus lenem, vel tanquam ſæuam & aſperam, eam vnius putris membri truncationem, è qua tantum in Eccleſiæ corpore decus venuſtatis effloreſcit. Vrget inde Paſtores ad audendum in hoc genere Clem. Romanus 2. Conſtit. c. 43. agens de fideli dyſcolo, his præter cætera. [Si ſeditionem & diſcordiam concitarit, neque deſinat turbare, & conuicia facere fratri, vituperationibus ex contentione nequiter ſtudens, eiicite eum tanquam peſtilentem, ne Eccleſiam Dei vitiet & fœdet. Qui enim huiuſmodi

di eſt,turbas conflat ciuitatibus, idémque tametſi intra Eccleſiam eſt,tamē quia Eccleſiam dedecorat,ſuperuacuus eſt, inanis eſt ; qui quidem quantum in ſe eſt,corpus Chriſti ſordidat.Nam ſi nonnulli homines ita nati , vt quaſdā partes corporis ſuperuacaneas adhærentes habeant , vt digitos , aut quædam in carne eminentia , quæ dicuntur hyperſarcomata , hæc ſibi propter turpitudinem amputant , neque eſt indecorum , opera artificis naturalem pulchritudinem recuperare , quantò magis decet hoc facere vos paſtores Eccleſiæ,quæ eſt integrum corpus,conſtans ex membris ſanis,quæ in Deum,in metu domini, & charitate credunt, cum aliquis inſtar membri ſuperuacanei repertus fuerit , qui praua cogitet , & reliquum corpus deformet, tempeſtatéſque in eo excitet , ſeditione & pugna , ac detructione exhibens ei metus, moleſtias, vituperationes,obtrectationes,criminationes, turbulentias;aut alia huiuſmodi opera diaboli efficiens, tāquam à Diabolo electus, vt Eccleſiam maledictis , & infamia , & multa ſeditione, contentione, diſcordia, vilem faciat,& ſordidam.Hic igitur ex Eccleſia iterū eiectus,meritò eſt abſciſſus à cœtu Domini:atque Eccleſia Dei magis nūc ornata fuerit, quàm anteà , cum erat in ea aliquod membrum ſuperuacaneum,& ab ea alienum. Quocirca iam deinceps extra maledicta & contemptum eſt , liberata fraudulentis comminationibus, inhumanis proditoribus, à virtute auerſis,voluptuariis, inanis gloriæ cupidis, impoſtoribus, & iis qui ſapientes videri volunt,quorum officium eſt, diſpergere,potius quàm diſſipare agnos Chriſti.]

CAPVT

CAPVT V.

Quam formidanda ſit excommunicatio, eruitur ex tam multis priuationibus quas infert viuis.

1. ANATHEMA Henricianis, Henrici III. Romanorum Imperatoris palponibus, vt habetur in Conc. Romano, celebrato tempore Paſchalis II. anno 1102. Item anathema Vvicleffo, Lutherò, Eraſmo, & ſi quæ fuere alia ſpuria vitulamina, quibus excommunicatio res nullius momenti viſa eſt. De Vvicleffo quidem, ita refert Concil. Conſtantienſe ſeſſ. 8. vbi hic eius articulus 30. recitatur atque confi-gitur. [Excommunicatio Papæ vel cuiuſcunque Prælati, non eſt timenda, quia eſt cenſura Antichriſti.] Lutherus verò artic. 24. ex iis quos Leo X. damnauit, inde probauit, excommunicationem non modò timendam non eſſe, ſed etiam eſſe optandam, quod ab ipſis quoque Pontificiis, dicatur eſſe pœna ſalutaris & medicinalis: quod ipſum in iure traditur cap. *cum medicinalis.* de ſent. excommun. in 6. & cap. *multi.* 2. q. 1. quod eſt deſumptum ex D. Auguſtino homil. 50. cap. 12. Idem habet Innoc. IV. cap. 1. de except. in 6. Ex permultis idem confirmat Sayrus lib. 1. de cenſur. c. 3. num. 9. Tandem Eraſmus in colloquiis de fide, dixit excommunicationem viris fortibus terrori non eſſe, ſed ſolis pueris. Legi fuiſſe, qui ad impietatis cum ſtultitia certantis præbendum ſpecimen, panxerit encomium excommunicationis. Ita refert Lęlius Biſcio-

la t. 2. horar. ſubſec. lib. 16. c. 7. Ante hos omnes, quidam tempore D. Auguſtini, vt ipſe refert lib. de fide & operibus, cap. 4. dum vitant ſtulti vitia in contraria currentes, auerſati truculentiam quorundam præcipitanter ruentium ad excommunicandum, inducere tentarunt excommunicationis reiectionem, *quandam peruerſiſſimam ſecuritatem Præpoſitis tribuentes, vt ad eos non pertineat niſi dicere quid cauendum quidve faciendum ſit, quidlibet autem quiſque faciat non curare.*

De malignitate excommunicationis, veritas Catholica, contra hæreticos, obiter ſupponitur.

2. Non eſt quod aduerſus horum Satanæ emiſſariorum impias voces, confirmem iuſtam vim Eccleſiaſticæ excommunicationis. Præſtitère id iampridem alij, ſplendidè ac plenè. Nominatim Robertus Epiſcopus Arboricenſis in opere de vtroque gladio, toto priore Tomo, ſtabiliens, poteſtatem hanc coërcitiuam, Eccleſiæ à Chriſto conceſſam. Ruſúſque tomo 2. theoremate 7. præſertim ad finem. Breuiter, ſed non malè, Petrus Velliardus aggreſſu 19. contra Lutherum, quem tunc maximè furentem, exagitauit. Item Roffenſis contra 23. & 24. Lutheri articulum: & Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 1. Alphonſus de Caſtro v. *excommunicatio.* Salcedo in pract. crimin. Canon. cap. 119. num. 3. Valentia Opuſc. de excommunicatione cap. 3. & alij, quorum prolixis diſputationibus prætermiſſis, tantùm dico, quod contra quoſdam hac in parte hæreticos, ſcriptum eſt à S. Gregorio epiſtola ad Theoctiſtam patritiam l. 9. indict. 4. epiſt. 39. [Si ſunt qui dicant quia compulſus quiſpiam neceſſitate, ſi ana

ſi anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur;ipſi teſtes ſunt quia Chriſtiani non ſunt:quia ligamenta ſanctæ Eccleſiæ,variis ſe exiſtimant conatibus ſoluere, ac per hoc nec abſolutionem ſanctæ Eccleſiæ quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas eius veras eſſe, atque valere non æſtimant. Contra quos diutiùs diſputandum non eſt, quia deſpiciendi per omnia & anathematizandi ſunt: vt vnde veritatem fallere ſe credunt, inde in peccatis ſuis veraciter ligentur. Si qui ſunt igitur, qui ſub nomine Chriſtiano hæc quæ diximus errorum capitula aut prædicare audent, aut taciti apud ſemetipſos tenere, hos proculdubio anathematizauimus.] Non addo plura. Nam *nulli qui ſanum ſapit*, dubiam eſſe poſſe, Eccleſiæ hac in parte poteſtatem, dixit Concilium Meldenſe ſub Sergio Papa,in præfatione.

Fundamenta ex quibus retuli hos impios deſpicatui habere excommunicationem, ſunt planè inania. Nam quòd excommunicatio Pontificia vel Epiſcopalis ſit cenſura Antichriſti,verbum eſt hominis Satanico œſtro perciti,& ſpuma hæretici rabientis.Quod autem excommunicatio ſit pœna ſalutaris & medicinalis, veriſſimum id quidem eſt, vt fusè proſequitur Couart.in cap.*alma mater*.p.1.*in initio*,n.9.At inde inferre excommunicationẽ eſſe optandam, eius eſt qui amariſſimam potionem, vel membri truncationem, quæ plerunque ſalutaris & medicinalis eſt,cenſeat eſſe in votis habendam. Sanè improborum ſupplicia ſunt medicinæ,vt Plato in Gorgia,& l.9.de leg.diſertè tradit, confirmátque S. Chryſoſtomus hom. 6. ad popul.Quis tamen dicat,ſupplicium eſſe noxio in votis? Adde quod excommunicatio poteſt eſſe medici-

nalis,cæteris qui peſtilente flagellato fiunt ſapientes: eſto ipſi peſtilenti,excommunicatio ob eius duritiam, frequenter non ſit medicinalis.Ita habetur ex cap.*corripiantur.* 24.q. 3. Denique fortitudo quam Eraſmus agnoſcit in contemptione excommunicationis, non eſt verè fortitudo,ſed mentis auerſæ durities;qualem Ariſtoteles in Celtis memorat, qui aduerſus mare infremens armabantur, & vehementiſſimo Boreæ ac procellis ſonantibus cedere, imminutæ fortitudinis probrum eſſe arbitrabantur.

Eadem malignitas, generatim monſtratur.

3. Erronibus dimiſſis,validiſſimam confirmationem iuſti horroris quo excommunicatio percellere quemque cordatum debet; ac proinde quod excommunicatio non vt iſti blaterabant deſpuenda,ſed omnino pauenda ſit,eruamus ex dictis in ſecundo & tertio capite. Si enim vel tenuiter inſpiciamus priuationes omnes quas per excommunicationem inferri probauimus, dubitare non licebit,quin excommunicatio ſummoperè metuenda ſit,quippe *pœna qua nulla ſit grauior.* vt dixit D. Auguſt. lib. de corrept. & grat.cap.15.& habetur etiam cap.*corripiantur.*24.q.3. Plura in eam rem habet Hugolinus tabula 2. de cenſur.cap.vltimo,§.1.num.8.& 9. Vno verbo rem complecti poſſumus,ſi dicamus,excommunicatum priuari communione ſanctorum quantum eſt in poteſtate Eccleſiæ.

Hæc quanta ſit calamitas,intelligere generatim licebit ex oppoſito, ſiue ex magnis bonis communionis ſanctorum,ad quæ bona vtcúque intuenda, adrependum

pendum eſt è bonis communicationis in naturalibus conſideratæ. Incredibile ſanè eſt, quanta bona adueniant homini ex communicatione cum aliis hominibus. Pauci hoc aduertunt, quia res eſt quotidiana, nihílque eſt frequentius quàm vt non moueamur ſolitis, etiamſi admirabilibus, vt D. Auguſtinus notauit. Verùm ſi cogitatione fingamus aliquem eſſe in orbe ſolum, nihil poſſit eo homine cogitari miſerabilius, magíſve deſtitutum bonis & commodis omnibus. At ex communicatione cum aliis, veniunt homini bona innumera. Ab vno veſtem accipit, ab alio calceos. Iſte panem, ille vinum ſuppeditat. Alius alia ſubminiſtrat. Hippiam Philoſophum exhibet Apuleius 2. Florid. *initio*, omnia ſibimet factum. Ipſe ſartor & ſutor, ipſe piſtor & coquus, ipſe denique ſibi vnus ſatis ſupérque erat ad cuncta. Ita quidem iactatum, ſed falsò. Nam vt omnia neceſſaria prouidere ſibi ſolus potuiſſe admittatur, tamen materías è quibus neceſſaria pararet, à ſe non habebat, ſed aliorum ad id laborem deſiderabat. Hoc conſilio Deus commercia prouidit, & vt commerciorum facilior eſſet ratio, mare & fluuios interſecare terram voluit, quod eleganter de more notauit Theodoretus ſerm. 2. de prouid. & alij quos adduxi in Scalis gradu 5. quamuis aliter, ſed minus verè ſenſit S. Ambroſ. l. de Elia c. 19. Ipſæ gentes quæ Deum non nouerunt, communicationem cum aliis, tanquam rem vtilem imo neceſſariam, cupidiſſimè quærunt & amplexantur, vt ratiocinatur S. Baſilius épiſt. 77. Intelligimus ergo ex his, quanti ſit communicatio in naturalibus.

4. Inde verò facile eſt cum S. Baſilio dicta epiſtola 77. aſſurgere ad perſpiciendum, quanti ſit communio

munio Sanctorum. Non enim minus homo homini confert quoad ſupernaturalia, quàm quoad naturalia & humana. Quam in rem expendendum diligenter eſt, quantopere ad virtutem parandam, & magnos in ea progreſſus faciendos conferat conuictus aliorum. Ea ſanè cauſa erat, cur Apoſtolus Hebr. 10. fideles hortetur ad non deſerendam collectionem, ſed frequentandos aſſiduè ſacros conuentus, quod inde valdè eſſent in fide & charitate confirmandi, vt S. quoque Ignatius idipſum Smyrnenſibus & Epheſiis inculcans, tradidit. Sed pulchrè S. Chryſoſtomus ibid. hom. 19. [Quid eſt non deſerentes congregationem noſtram? Nouit ex conuentu & ex congregatione, multam eſſe vim. *Vbi enim ſunt* (inquit) *duo, aut tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Et rurſus, *& omnium erat anima vna, & cor vnum.* Non autem ſolùm hoc, ſed etiam quod augetur charitas per congregationem. Si augeatur autem charitas, neceſſe eſt vt etiam augeantur quæ ſunt Dei. Et *Oratio* (inquit) *fiebat ſine intermiſſione à populo.* Et rurſus, *vt ſint vnum ſicut nos.*] Et mox quod ſubdit Apoſtolus, vt ſe conſolentur, ipſe legit; *Et conſideremus inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum*: quod ſic gloſſat. [Nouit hoc quoque fieri ab eorum cõgregatione. Quomodo enim ferrum, ferrum acuit, ita etiam conuentus auget charitatem. Nam ſi lapis lapidi attritus ignem emittit, quãto magis anima animæ admixta? Sed nõ dicit *ad æmulationẽ*, ſed *ad prouocationẽ charitatis*, vt magis diligant, & diligantur: & bonorum operum vi capiant æmulationem. Facere enim, maiorem vim habet ad docendum quàm dicere. Multos vos quoque habetis doctores, hoc in

multitudine facientes per opera.] Rurſus paulo poſt eandem ſententiam reguſtans.[Addit(inquit)id quod eſt perfectum, nempe charitatem, *non deſerentes collectionem noſtram,ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam.*Quia quidam faciunt & ſcindunt concilia ac conuentus. Frater enim à fratre adiutus,eſt ſicut vrbs munita.Sed conſideremus inuicem in prouocationem charitatis; vtpote diligamus & diligamur.Nam à charitate fiunt bona opera. Magnum bonum eſt conuentus, ac congregatio. Ipſa enim eam charitatem reddit ardentiorem , & ex ipſa omnia naſcuntur bona. Nullum eſt enim bonum quod non ſit charitatis.]

Bona pars diſputationis quam S. Baſilius regula 7. ex fuſioribus inſtituit ad monſtranda vitæ ſocialis commoda, huc planè facit. Hæc generatim dicta de bonis communicationis ſanctorum, generatim quoque demonſtrant,ſublatæ ſanctorum communicationis quanta ſint mala, quámque formidandũ ſapienti ſit in eam incidere calamitatẽ,quæ tot & tantis commodis communicationis illius hominem ſpoliet. Sed vt hæc ſint perſpectiora,deſcendendum eſt ad ſpecialem expenſionem priuationum,quas excommunicatio infert homini , recurrendo ſeries capite ſecundo & tertio propoſitas, & librando mala & damna quæ ibi, tantùm quoad *an eſt*, recenſuimus : Sic enim immenſam cladem quam excommunicatio inuehit, agnoſcere licebit. Ducendum verò erit initium ab expenſione damnorum,quæ excommunicatio infert viuentibus,vt vidimus cap.2. ſubiungetúrque conſideratio malorum quæ mortui fideles ſubeunt per excommunicationem de quibus c.3.

Quantum

Quantum ſit, priuari excommunicatione externa humana.

5. Priuatio communicationis externæ quoad humanum & politicum conuictum, quam in prima acie cap. 2. locauimus, ſi benè attendatur, eſt omnino referta ærumnarum & calamitatis. Quantum enim eſt, interdici alicui omnium conſuetudine? Hoc planè aliud eſſe non videtur, quàm exui vita hominis, & veluti in ferę ſtatum redigi. Quod enim habetur apud Philoſophum 1. Polit. c. 2. & ex Heraclito refertur à Stobæo ſerm. 3. *homo ſolitarius, aut Deus, aut fera eſt.* Nec diſſimile eſt illud quod cum laude refert Guliel. Pariſ. 2. 2. de vniuerſo, c. 91. *Vita ſine ſocio, vita leonis, aut lupi eſt.* Hominis quippe eſt, ſocialem vitam ducere, & quæ animo ipſe agitauerit, cum aliis conferre per ſermonem & collocutionem. Eáque ex cauſa, ſermonis facultatem ſolus accepit, adeò nexam cum vi intelligendi, vt de Philonis ſententia, non ſecùs ſe habeat ad eam, quàm germana ſoror ad ſororem, vel quàm frater ad fratrem. Propterea enim l. quod deterius potiori inſidietur, Moſem & Aaronē accipit pro ſymbolis intellectus & ſermocinatricis facultatis, vt quemadmodum Aaron fratri Moſi interpres datus eſt, ita & facultas loquendi, intelligentiæ tanquam germanæ ſubſeruiat. Idem libro de ſomnis, tractans legem de pignore reddendo, ſermonis vſum atque præſtantiam ſplendidè & copioſè aperit. Cui ergo ſermonis vſus eripitur, quod iis contingit qui procul ab omnibus ſecedere iubentur, & quorum collocutione prohibentur cæteri (nam aliis aures obſtruentibus,

ſermo,

ſermo, aëris inanis verberatio fuerit:) ad ſtatum propè ferinum rediguntur, omnibus excluſi bonis quæ aliorum ingenia excogitare & per ſermonem promere poſſunt. Nec ſi admiſimus, infideles non vetari cū excōmunicato agere & colloqui, eo quod interdictum communicationis cum excommunicato, ad eos qui foris ſunt non extendatur, cenſendum eſt inde multum decedere de incommodo propoſito: Imo teterrima excommunicationis facies agnoſcenda inde eſt, cum S. Chryſoſtomo hom. 25. in ad Hebr. quod Eccleſia velit, ſuos plus ab excommunicato quàm ab infideli abhorrere. Deinde hæc eſt quædam ad beſtialem conuictum relegatio. Quid enim aliud ſunt infideles quàm beſtiæ quædam, quibus non eſt intellectus? Alibi dicuntur *qui non ſunt*, nempe quod exteriùs præferunt, hoc eſt homines. Scatent Scripturæ, huiuſmodi locutionibus de beſtiali & ferino ſtatu infidelium. Itaque cui ſola cum infidelibus cōmunicatio permittitur, commercium tantùm cum beſtiis humanam perſonam præferentibus indulgetur. Non plus profectò ab huiuſmodi hominum laruis, de Deo vero hominis fine, de hominis officiis & debita humanæ vitæ conformatione audire licebit, quàm à beſtiis ſi iuxta Pythagoricum commentum colloqui cum eis concederetur. Quare videmur poſſe iure concludere, eum in quem gladij Eccleſiaſtici mucro exeritur, ad beſtiarum ſtatum redigi, & vitæ humanæ ac rationalis vſu priuari.

Eſt exilium finitimum.

6. Facile eſt alia præterea ratione aperire, quo

pacto

pacto qui excommunicatur, vita humana ſpolietur ex hoc primo capite priuationum in quo verſamur, ſeu ex interdicto communicationis ciuilis & conuictus humani. Mulctatur enim morte ciuili, & quidem longè atrociore, quàm quæ eo nomine à Iuriſperitis eſt inſignita. Exilium illi denominant mortem ciuilem, quod per exilium homo procul à patria & à notis ſtatuatur. Id enim non ſecus eſſe videtur, quàm morte mulctari. Et ſanè Philo l. de Abraham, cum dixiſſet, exilium eſſe pœnam à capitali ſecundam, corrigens quod ſcripſerat, addit, videri potiùs exilium aliquanto grauius extremo ſupplicio, & pro vna morte inferre innumeras, quod non ſit vita quæ abſque notorum conſuetudine, inter ignotos exigitur. At nemo vnquam tam aſperum támque immite ſuſtinuit exilium, quàm qui excommunicatur. Nam qui fit extorris è patria, quocunque commigret, alios inuenit plerunque lectiores & probatiores quibuſcum degat, & vitam iucundiùs quàm in patria exigat: Vt propterea non multùm perſæpè cruciet vel angat exulem, quòd à patria & prioribus neceſſitudinibus remouetur. Quinetiam vt Seneca in Conſol. ad Heluiam cap. 6. præclarè proſequitur, in vrbibus populoſis, maxima mortalium pars eodem eſt loco quo exules, id eſt peregrina. Dulcis quidem eſt ſenſus patriæ, ac vel ſi nidus rupi affixus & Ithaca quædam ſit, pectus mulcet, vt eſt apud S. Auguſtinum ſerm. 68. de temp. & apud S. Ambroſium ſerm. 85. alióſque adductos l. 4. de virtut. num. 400. & ſeqq. Experientia tamen teſtatur, pleriſque eam dulcedinem facilè deſipere, vbi primùm alibi ſedes fixerint, & vel affinitate contracta, vel coalitu amicitiæ, nouas inierint conſuetudines. At

qui

qui excommunicatur, quocunque tandem migret, quia omnium ſocietate prohibetur, verè exul & extorris vbique eſt. Imo quia ex ſolo patrio non truditur, eo duriùs vitam exigere cogitur, quod inter notos tanquam ignotus, ac velut omnium peripſema verſatur. Alexander I. epiſtola 1. mortem hanc ciuilem & exilium excõmunicati, diſertè agnoſcit. Obſtruens enim (vt ait) vocem accuſatoribus Epiſcoporum, dicit, ſcire ſe, eos quippe excommunicatos, diuinis actibus mortuos eſſe, hoc eſt eſſe quoad Deum mortuos, *& perpetua notari infamia, ac exilio dignos iudicari finitimo.* Vocat *exilium finitimum* excommunicationem, vt rectè interpretatus eſt Turrianus lib. 1. contra Magdeburg. c. 22. quod qui excommunicatur, non pellatur in oras longinquas, ac ne extra ſuam quidem ciuitatem ablegetur, ſed tamen ita intra ciuitatem degat, vt omnium conſortio abſtinere iubeatur, quod eſt ſubire exilium finitimum. Idem voluit Bart. q. 1. n. 9. conferens excommunicatum cum bannito: & in l. 2. de publ. iud. cum deportato. Quamuis autẽ repetit. in l. *placet*, C. de ſacroſ. Eccleſ. n. 5. ſecernat excommunicationẽ ab exilio, agnoſcit tamen eſſe inter ea affinitatem. Gloſſ. ad c. *paſtoralis.* de appell. & Ioan. And. c. *decernimus.* de ſent. excomm. in 6. excommunicatum æquiparant relegato. Vt vt ſit, (nam hæ comparationes cauillis ſunt obnoxiæ, vt infra videbimus) excommunicatus perinde ac extorris & exul, debet haberi mortuus ciuiliter, nec minùs ei ſtatui poteſt cenotaphium, quàm deſertoribus philoſophiæ apud Pythagoræos, vt eos letho datos ſignificarent, iuxta Origenem l. 2. contra Celſum. Fœtet ſanè excommunicatus, vt apud S. Brigittam l. 6. reuelat. cap. 87. diui-

no viſo eſt proditum. At fœtor, mortis obitæ & ſtatus cadauerini eſt argumentum.

7. Quod ſi aſpera ſupra mortem ipſam viſa eſt crudelitas Geiſerici in S. Valerianum Abenſem Epiſcopum octogenario maiorem, quem iuſſit ab omnibus repelli, non domo, non agro, non naui, aut vehiculo excipi, omnium denique peripſema & reiectamentum eſſe, vt ſcribit Victor Vticenſis l. 1. perſecut. Vandal. habemus profectò quomodò aliquatenus etiam ſupra mortem, prouehamus mulctam quæ excommunicato irrogatur. Nam æquè præcipitur vt nemo cum excommunicato agat, ſed ab omnibus deſeratur, ſolúſque, & ab omnibus alienus degat. Non eſt quidem mens Eccleſiæ adeo ſeuerè cum excommunicato agere, vt prohibeat alios cum res feret, aliquid ei humanitatis cauſa præbere, quod diſertè indulgetur cap. *quoniam multos.* 11. q. 3. quod caput ex Gregorij VII. decreto eſt depromptum, adducitúrque ab Iuone Carnotenſi epiſt. 186. vbi obſeruat permitti excipere excommunicatum hoſpitio, negata tantùm menſa & oſculo. Fas item eſt, imo neceſſarium eleemoſynam dare excommunicato, quoties præceptum eleemoſynæ obligat, vt notat Leſſius l. de iuſtit. c. 16. num. 80. Multo minus ſi grauis neceſſitas vrgeat excommunicatum, & quod clarius eſt, ſi extrema, negari iubet Eccleſia miſericordiam, exhibitione ſubſidij neceſſarij ad vitam excommunicati tolerandam, aut graue ab eo damnum in corpore, aliiſve bonis auertendum. Hac inquam ſeueritate non vult vti Eccleſia aduerſus excommunicatum, quicquid ſit, an pro aliquibus grauiſſimis ſceleribus, quorum cauſa excommunicationem infligit, poſſet tantum rigorem vſurpare.

vſurpare. Et in hoc deficit proportio excommunicationis, cum ſupplicio per trucem illum Vandalum impoſito. Accedit tamen ad illud non parum, quatenus Eccleſia excommunicati horrorem omnibus incutit, & quantum per piæ matris benignitatem licet, ac Chriſtianæ benignitatis & humanitatis iura patiuntur, reiectum ab omnibus atque deſertum, & veluti proſcriptum vult. Facit huc egregia Origenis diſputatio hom. 9. in Ierem. cum exponit acerbitatem ſeparationis peccatorum ab inuicem. [Peccatores (inquit) diuidentur ab inuicem, vt etiam in hoc, excruciatione pariter torqueantur. Scio quoſdam Reges, eos qui imperio ſuo inſidiati ſunt, ad deſertas inſulas deportare ſolitos, & pro magnis ſuppliciis hoc iubere, ne in vno loco, exilij penuriam ſuſtineant, ſed in aliam partem orbis vxor, in aliam liberi exterminentur; vt ne in calamitatibus quidem ſuis perfruantur ſolatio, aut pater filij, aut mater filiæ, aut frater fratris. Simili modo & peccator, per quandam diſpenſationem Dei, maiora ſolitudinis tormenta perpetitur, ſi ſolus in exilium relegetur, vt emendatus in ſtatum priſtinum redeat. Et quomodo tu propinquos, vel liberos tuos non in forti ictu & irrationali coërces ira, ſed per verba reducere quæris ab errore in quem incubuerant: ſic Deus eos qui non poterant conuerti, doloribus & tormentis ad id retrahit quod ferunt ſecundùm Scripturam dicentem, *per omnem dolorem & flagellum emẽdabis Hieruſalem.* Vt igitur creſcat dolor pœnæ corripientis, ij qui corripiuntur ab inuicem ſeparantur. Nam quodammodo leuius fit ſupplicium, ſi plures in eodem loco conſtituti mutuis ſe conſolantur alloqüiis.] En ſtatum excommunicati, cuius acerbitatem

intelligere prætereà licebit ex eo quod vt eſt apud Procopium in hiſtor. Arcana, Theodora Auguſta non aliter Beliſarium adigere potuit ad Antoninæ coniugis probra iugéſque & patentes ſpurcitias tacitè perferendas, quàm curando eius redactionem ad ſtatum excommunicati, hac ex parte, hoc eſt interdicendo eius cōſuetudine amicis illius ac notis qui plurimi ad illud vſque tempus Beliſarium ſtipauerant. Quod *miſerum & acerbum ſpectaculum, etſi viſum, haud tamen creditu facile*, vocat Procopius, eam ab amicis & notis abiunctionem, ſtatuens aſperrimam, & vel frangendo turpiter Beliſarij animo idoneam, quod & factum eſt.

8. Satis de præcipuis & vniuerſalioribus priuationibus, quæ excommunicatione inferuntur in genere humanæ communicationis. Minutiores verò priuationes iſtis ſupra adiunctas, quæ ad rem forenſem ſpectant, non videntur hoc loco vrgendæ, quod magni momenti non ſint apud pleroſque, quibus forum conſtratum eſt muricibus, vt factum à Catone Cenſorio refert Plinius l.19.cap.1. ne ciues crebrò illuc commearent, vel ſi commeaſſent, diutiùs hærerent. Quanquam nec negligenda prorſus homini cordato ſunt commoda quæ his priuationibus eripiuntur, ac præſertim ſtillicidium illud diuinæ iudiciariæ poteſtatis, quod in excommunicato exareſcere, plurimorum ſenſus tulit.

Expenſa virulentia excommunicationis, ex priuatione communicationis in ſacris.

Pergo ad ſeriem alteram priuationum externæ commu

communicationis, qua continentur damna longè maioris momenti, quippè cadentia in longè pretioſiora bona, nec ſiſtentia in corpore eiúſve ſolatiis, ſed ad animum quoque peruadentia. In quo Eccleſiaſtici huius gladij vim, præ acie gladij materialis celebrat S. Auguſtinus epiſt. 75. Inconſultiſſimè autem in contrarium hallucinatus eſt Lutherus articulo 23. ex damnatis à Leone X. cum dixit, excommunicationem ad ſummum eſſe pœnam externam, nec attingere animam. Similiter locuti ſunt plerique Canonum DD. vt notat Nauarr. comment. in cap. *ita quorundam*. de Iudæis, notab. 11. num. 8. Latè id refellunt Petrus Soto lect. 2. de excomm. Couarr. in c. *alma mater*. in principio num. 9. Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 1. Caietanus t. 1. Opuſc. tract. 19. Quæ ſubiiciam, id ſufficienter euertent. Numerabam ergo inter priuationes communicationis in ſacris, excluſionem à receptione Sacramentorum, & vſu ſacramentalium quatenus Eccleſiaſticis ſuffragiis & opibus ditatorum, necnon à præſentia in ſacrificio, & quibuſuis diuinis officiis, item à coniunctione in quibuſuis precibus. Addebam priuationẽ adminiſtrationis actiuę ſacramentorum, & habendæ prædicationis verbi Dei, quæ non ſunt bona quibuſuis fidelibus communia ſicut anteriora, ſed ſunt bona propria ſacrorum miniſtrorum. Quanta ſit malorum moles his bonis excidere, expendendum eſt paulo diligentiùs.

Pretioſitas, & vtilitas Sacramentorum.

9. Ac primùm, inæſtimabile mihi videtur damnum quod excluſione à Sacramentis infertur. Sunt

enim Sacramenta, *ſignacula viſibilia quorum conſortio fideles in vnum religionis nomen coagulantur*, vt loquitur D. Auguſtinus l. 19. contra Fauſt. cap. 11. Neque verò ſunt nuda ſigna, ſed gratiæ feracia, & fontes Saluatoris, è quibus gratiæ & ſalutis aquas haurimus. Meritò *fontes*, quia per Sacramenta abluimur & potamur. Fontes autem *Saluatoris*, quia omnis eorum efficientia ex Chriſti paſſi meritis promanat, iuxta Tridentinæ Synodi definitionem ſeſſ. 7. c. 6. vt bellè proinde conſentiat quod proximè de Sacramentorum coagulo cum D. Auguſtino diximus, cum iis quæ habet Nazianz. orat. 42. *in fine*, de paucis guttis ſanguinis Chriſti, in ſalutis humanæ miraculo idem vniuerſo orbi præſtantibus, quod lacti coagulum. Nam Sacramenta & ſanguis Chriſti, ſe habent vt continens & contentum. Vis ergo Sacramentorum, eſt à Chriſto paſſo, eiúſque ſanguine. Et ideò candelabrum ſeptemplex, typus Sacramentorum noſtrorum apud Zachariam c. 4. oleum quo lucernæ ſeptem arderent, ducebat à lampade aurea ſuper caput ipſius candelabri conſtituta, geminíſque roſtris & ſuffuſoriis aureis inſtructa. Quod eſt ſymbolum apertiſſimum Chriſti Domini geminæ ſubſtantiæ Gigantis, gratiam ad nos per ſeptem Sacramenta deriuantis. Eodem reſpexerunt varij Patres, qui dixerunt, Sacramenta ex perfoſſo Chriſti latere dimanaſſe. Ita nominatim Auguſt. 15. Ciuit. c. 26. & tract. 15. ac 120. in Ioan. & in Pſal. 65. ac 138. Chryſoſtom. hom. 84. in Ioan. Ambroſ. l. 10. in Lucam cap. 105. Hieron. epiſtol. 83. S. Leo epiſt. 4. cap. 6. Damaſc. 4. fid. cap. 10. Innoc. III. cap. *cum Marthæ*, de celebr. Miſſ. Non quod hi Patres velint, vim Sacramentorum deriuatam eſſe ex lateris perfoſſione,

ſione, prout Chriſto iam mortuo illata eſt, qua ratione non fuit meritoria:ſed quod tota Sacramentorum vis, ex Chriſti paſſione exoriatur. Conſummatio quippe vniuerſi meriti quod Chriſtus parauit,facta eſt in paſſione, cuius complementum fuit lateris perfoſſio,à Chriſto etiamnum viuo præuiſa & acceptata,ac eatenus meritoria. Et quia ſanguis & aqua, quorum effluxus eam perfoſſionem lateris eſt ſubſecutus, interueniunt in duobus præcipuis Sacramentis,non abs re exiſtimatum eſt, Chriſtum illis veluti ſymbolis ſignificatum voluiſſe, vndenam vis Sacramentorum proficiſcatur; nempe ex paſſione, cuius veluti obſignatio,fuit ea lateris perfoſſio.Sunt igitur Sacramenta, velut lecythi quibus oleum lætitiæ, gratia inquam ſanctificans, & auxilia ad iuſtè & piè viuendum neceſſaria,continentur.

10. Inde pretioſiſſima hæc dona depromere,magna facilitate & propè certitudine poſſumus. Quid enim facilius, quàm externa illa ſymbola vſurpare abſque obice? Antiqua quidem Sacramenta, erant egena & vacua elementa: quia ſi quid gratiæ ea vſurpantibus conferebatur, non obtinebatur ex vi Sacramentorum illorum, quaſi eorum applicatio eſſet gratiæ ferax, ſed ex vi operationis quam homo Sacramentum recipiens adiungebat; hoc eſt contritionis perfectæ aut dilectionis,qui actus admodùm operoſi ſunt, & frequenter abſunt cum putantur exerceri. Tantùm ex ſpeciali Dei prouidentia, ne paruulorum omnium ſalus periclitaretur, ad ſacramenti primi applicationem;(non dico *per eam*, ſed *ad eam*, vel *in ea*) dabatur paruulo gratia ſanctificans, qua ab æterno exitio eximeretur. Adultus verò ſi illud ipſum Sacra-

mentum, v. g. circuncíſionem ſuſcepiſſet, nihil in ea ſuſceptione accepiſſet gratiæ, niſi quantum contritioni vel amori quem elicuiſſet, deberetur. At nouæ legis Sacramenta, quia producunt gratiam per nudum exercitium & vſurpationem externi ritus à Chriſto præſcripti, veluti grauidati diuinitus incluſione meritorum ipſius Chriſti; idcirco dummodò conueniens diſpoſitio adſit, quæ facillima adhibitu eſt, gratiam illico infallibiliter conferunt. Eſt itaque hæc parandæ & augendæ ſanctitatis ratio longè facillima, & vt addebam, prope certa; in quo hic modus ſpiritualiter ditescendi, longè differt à modo parandi gratiam per antiqua Sacramenta, & actus noſtros ſeorſim à nouis Sacramentis. Olim ſiquidem tota gratia, quoad adultos, actibus eorum parabatur, ex opere (vt vocant) operantis: quod nunc item locum habet, cum paratur, vel augetur gratia extra Sacramenta. Nihil verò procliuius & frequentius eſt, quàm vt operationibus noſtris teredo vitians adnaſcatur: vt inquam circunſtantia aliqua vitians adiungatur, quæ ſit radix amaritudinis & vniuerſam operationem inquinet, quia malum ex quocunque defectu. Ex operatione autem quomodolibet inquinata, velut ex ſcrobe lutulenta, pellucidus gratiæ latex expectandus non eſt. Quod incommodum ſanè frequens, ex quo intercipi valdè ſæpè quæſtum gratiæ noſtris operibus acquirendæ magna ſuſpicio eſt, ceſſat in Sacramentorum vſurpatione: quia rudis illa & imperfecta diſpoſitio, quæ conſentaneè ad rei naturam depoſcitur ſimul cum Sacramento nouæ legis per adultum ſuſcepto, adeò facilis paratu eſt (quippe imperfectiſſima & permodica) vt niſi mens ſuſcipientis læua & nimium à bono

ſuo auerſa ſit, ægrè contingat inde periclitari gratiæ adeptionem. Ea porrò diſpoſitione adhibita, Sacramentum ſe ſolo tanquam fœtum Chriſti meritis, producit ſanctitatem; hoc eſt confert diuinam filiationem, peccati lethalis abſterſionem, ius ad hæreditatem diuinam, omniáque illa bona quæ præparauit Deus diligentibus ſe.

11. Hoc omnibus Sacramentis ita commune eſt, vt inſuper cuilibet Sacramento ſua peculiaris gratia actualis reſpondeat, conſentanea fini in quem varietas Sacramentorum eſt prouiſa, vt benè philoſophatur Alanus l. de ſacram. c. 40. & Soto in 4. d. 1. q. 3. articulo 2. aliique communiter. Quare cum Baptiſmus idcirco ſit inſtitutus, vt in eo homo regeneretur, & quod eſt matrix embryoni hoc homini myſtico ſit aqua, iuxta Chryſoſtomum hom. 25. in Ioan. idcirco hoc Sacramentum, præter gratiam ſanctificantem quæ eſt primarius & communis omnium nouæ legis Sacramentorum partus, confert homini renato ius congruo tempore explẽdum, vt accipiat auxilia, quibus nouam vitam ſecundæ generationi conſentaneam viuat. Similiter cõfirmatio, quia eſt veluti inunctio athletarum Chriſti, & idcirco prouiſa eſt, vt non exhorreſcamus hoſtes fidei quam in Baptiſmo ſumus profeſſi, inuehit ſupra gratiam ſanctificantem, lumina & ſuauitates ſupernaturales, quibus perſtemus conſtantes in fide. Euchariſtia cibat ſpiritualiter: fouet enim gratiam & vitam ſpiritualem pręiacentem, eámque auget, & aduerſus inteſtini ignis iuges inuaſiones ſeruat, non ſecùs ac cibus ingeſtus, depaſtionem humidi radicalis ab igne domeſtico, vnáque vitæ excidium prohibet. Pœnitentia vulneribus irrogatis me-

detur, depellens mortem illatam, & reſtituens vitam amiſſam,ac ne denuò amittatur, & vt concepta à culpis remiſſis auerſio perſeueret,præſtat per proportionata auxilia. Extrema vnctio,& gratia ſanctificante, & iis auxiliis diuinis ditat hominem,quibus cum defecerit virtus eius, in extremo agone duret inuictus. Ordo noua ſanctitate cohoneſtat initiatos, additque vires, quibus dignè Dei miniſtris, & cum fructu populorum,exigant vitam. Matrimonij denique ſacramentum, coniugibus & ſanctificationem confert, & in tẽpore opportuno aduocat illuſtrationes & guſtus ſupra naturam, quibus iuuẽtur ad ſanctum conuictũ, & tribulationem carnis Chriſtianè perferendam: Innumeras inquam cõiugij moleſtias, patienter & cum fructu deuorandas,piéque educandam & cœlo inferendam prolem.Nimirum in ſingulis Sacramentis,vt habet autor ſermonis de Baptiſmo apud Cyprianum, [conſecrationibus viſibilibus,inuiſibiliter manum totius bonitatis autor apponit,& plenitudinem gratiæ, vnctionis diuinæ pinguedo ſanctificationibus officialibus infundit.] *Plenitudinem* inquam *gratiæ*, atque adeò non tantùm gratiam ſanctificantem, ſed etiam actualem fini ſacramenti proportionatam, & neceſſitati ſuſcipientis congruentem.

Infertur quàm ſit damnoſum,vſu eorum arceri.

12. Ex his,vel cæco perſpicuum duco, quantum ſit damnum in excluſione à Sacramentis, quámque calamitoſum ſit, prohiberi acceſſu ad hos diuinos fõtes,quibus abſque argento emitur aqua ſalutis. Vt mirari ſæpè ſubiuerit,ſtuporem Chriſtianorum, qui diuinarum

uinarum harum fauiſſarum probè conſcij, tam parcè earũ imméſas opes ſumma facilitate parabiles eruant, cum tamen in terrenas (vt vocantur,) diuitias, reuera autem paupertatis noſtræ argumenta, tanto ardore ferantur. Sed horum ſupinitatem ex caligante fidei oculo, dimittamus in præſentia. Sed & illos nunc prętereamus, qui conſcij ſibi grauis noxæ, [arbitrantur hoc eſſe pœnitentiam, (ait S. Ambroſius l. 2. de pœnit. cap. 9.) ſi abſtineant à Sacramentis cœleſtibus. Hi ſæuiores in ſe iudices ſunt, qui pœnam præſcribunt ſibi, declinant remedium, quos vel pœnam ſuam conueniebat dolere, quod cœleſti fraudentur gratia.] Hos omnes miſſos faciamus. In eorum potiùs calamitatem intendamus animum, qui arceantur tantis bonis, & prolui non caballino ſed cœleſti fonte, Chriſti laticibus exundante prohibentur. Hi ſunt quos excommunicatio perculit. Nam quandiu excommunicatione non exſoluuntur, vetantur frui Chriſtianis Sacramentis. Quæ ergo miſeria conferri cum iſta poteſt, ſi attentè expendatur? Ius habent quia fideles ſunt, ad potiendum Chriſti ſanguine, nec tamen ſinuntur iure illo vti, quaſi pro illis mortuus non ſit Chriſtus. Sunt partes familiæ locupletis, in qua bonorum omnium vberrima copia eſt, in qua multi mercenarij abundant panibus, ipſi verò interim fame pereunt.

Specialiter de excluſione à Sacramento Pœnitentiæ.

13. Magna planè & maximè formidanda priuatio, quoad quæcunque Sacramenta. Nullo tamen ex capite miſerabiliores videri debent qui ab omnibus Sacramentis arcentur, hoc eſt excommunicati, quàm

penes remotionem à pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis. Nam pœnitentia eſt in eum finem inſtituta, vt peccatorum ſordes quibus in ſingula penè momenta inquinamur, abſtergat; vt vulnera quibus ſauciati miſerè iacemus, obducat; vt morbos ex tam multis capitibus contractos, ſanet; vt debitorum noſtrorum chirographa, diſſoluat; vt captiuitatem qua peccatores à peccato & Satana opprimuntur, appenſo Chriſti ſanguinis litro depellat; vt iniurias quibus numen violauimus, expromptis Chriſti ſatisfactionibus adæquatè reparet, nóſque Deo cõciliet, & in priſtinam beneuolentiam amicitiámque, qua nullum eſt bonum pretioſius, poſtliminio reſtituat; vt relabendi in tanta lubricitate noſtra facilitatem tollat; firmitatem in via ſalutis gradiendi præſtet, & ſecurã ad cœlos regreſſionem, diuinum ductum ſequentibus tribuat. Tot modis vnum Sacramenti Pœnitentiæ effectum expono, vt eius ſumma neceſſitas fiat apertior. Quem ergo eius eſſe ſtatum dicemus, qui fimo oppletus & cœno oblitus, prohibetur adhibere publicas & omnibus patentes aquas quibus ſordes abſtergat, ſéque labis purum & nitentem præſtet? Qui vulneribus plurimis certam mortem inferentibus, vel ad eam diſponentibus, admouere non poteſt medelam proſtantem cæteris, ſimiliter, aut etiam deteriùs ſauciatis, quaſi non ſit reſina in Galaad. Qui ægrotat, & adiri à perito Medico, eúmve adire prohibetur. Qui grauatus, aut etiam oppreſſus ære alieno, ideóque contruſus in neruum, & compactus in ergaſtulum vbi pædore tabeſcit, & fame conficitur, pecuniarum ſacculos quos domi habet, recludere impeditur. Qui infamem & ærumnoſiſſimam ſub peccato & Satana

Tyrannis

Tyrannis immaniſſimis ſeruitutem ſeruire cogitur, nec poteſt ſibi redimendo,litrum à Chtiſto prouiſum adhibere. Qui Deo exoſus, & ſpoliatus cœleſtibus ſanctificantis gratiæ bonis quibus miſerè excidit,perſtare in illa egeſtate adigitur; vel ſaltem vti non poteſt ea ratione hæc bona recuperandi,quæ ſola facillima eſt,& propè certa. Ad extremum, qui in via tenebroſa & lubrica, Angelo Domini perſequente, ne quid ad prolapſionem deſit, deſtituatur virga ſuſtentante & baculo fulciente,viatores conſolantibus. Neminem puto fore adeò ſalutis ſuæ incurium, aut negotij parandæ beatitatis æternæ, præ quo omnia negotia pueriles nugæ ſunt, tantoperè deſpicientem;vt non videat,arceri participatione tanti Sacramenti,cumulum inferre damnorum qui omnem ſubductionem tranſcendat,omnem æſtimationem infinitis partibus ſuperet.

Sed præſertim Euchariſtiæ.

14. De excluſione verò ab Euchariſtiæ Sacramento,quid dicam?Hoc Sacramentum,vt cæteris dignitate longè præſtantius, ita efficacitate eſt planè eximia.Hic eſt fons Paradiſi,ait S.Chryſoſtom. hom. 45.in Ioan. *in fine.* Hîc,ad eandem menſam ad quam Angeli in cœlo retectis ſipariis accumbunt,nos quoque per velamen admittimur, vt S. Bernardus ſerm. 33.in Cant.egregiè notauit. Hîc,de ipſo Chriſti ſanguine potamur. [Quoties enim ad calicem admirandum accedimus, velut ab ipſo latere haurimus,] inquit S. Chryſoſtomus hom. 84. in Ioan. Hinc exiſtit ſpiritualis veréque optanda ebrietas,quæ cordis vigiliam

liam non intercludit,iuxta præclaram Nyſſeni de hoc myſterio philoſophiam hom.10.in Cant. & Chryſoſtomi t.ſer.Græcol.ſerm.34.Qui item ſerm.24.in 1.ad Cor.ad illud,*calix cui benedicimus*, conteſtatur *omnem Dei benignitatis theſaurum* nomine Euchariſtiæ proponi;hinc omnia nobis exoriri bona confirmat.Quare communicaturum hæc apud ſe recogitare iubet. [Quando corpus Chriſti tibi videris propoſitum, dic: Propter hoc corpus non ſum ego amplius terra & cinis : non ſum amplius captiuus , ſed liber : propter hoc,ſpero mę accepturum cœlos & omnia bona,quę in eis ſunt,vitam immortalem,Angelorum conditionem,cum Chriſto conſuetudinem.Hoc corpus clauis confixum & flagris cæſum non tulit mors. Hoc corpus in crucem actum ſol cum vidiſſet,ſuos auertit radios.Propter hoc,& velum tunc ſcindebatur & petra rumpebatur , & terra quatiebatur. Hoc eſt illud corpus quod fuit cruentatum,quod lancea percuſſum,& ſalutares emiſit fontes vniuerſo orbi terræ, vnum quidem ſanguinis, alterum vero aquæ.] Hoc inquam eſt illud corpus , cuius paſſionibus & morte , omnia bona adepti ſumus.

Immenſi ergo fructus Sacramentum,prohiberi ſumere, & à tam eximia cum Chriſto coniunctione remoueri,quod excommunicato contingit , iactura eſt quam nullum exæquare poſſit diſpendium.Et ex hoc nominatim capite,excommunicationem ſummo horrori eſſe oportere Chriſtianis , S. Cyprianus lib. de Orat. Domin. num. 47. egregiè his verbis expoſuit, tractans priorem ſenſum panis quotidiani qué Chriſtus poſcere docuit.] Panis vitæ Chriſtus eſt, & panis hic omnium non eſt,ſed noſter eſt : & quomodo dicimus

cimus *pater noſter*, quia intelligentium & credentium pater eſt : ſic & *panem noſtrum* vocamus, quia Chriſtus, noſter (qui corpus eius contingimus,) panis eſt. Hunc autem panem, dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtenti & non communicantes, à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur, ipſo prædicante & monente : *Ego ſum panis vitæ qui de cœlo deſcendi. Si quis ederit de meo pane, viuet in æternum. Panis autem quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita.* Quando ergo dicit in æternum viuere, ſi quis ederit de eius pane, vt manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ita contrà timendum eſt & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparaturà Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute: comminãte ipſo & dicente, *niſi ederitis carnem filij hominis, & biberitis ſanguinem eius, non habebitis vitam in vobis.* Et ideò *panem noſtrum*, id eſt Chriſtum, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione eius & corpore, non recedamus.] Nec alius fuit ſenſus aliorum multorum Patrum, qui ſimiliter ac Cyprianus, nomine panis quotidiani quem poſcere edocti à Chriſto ſumus, intellexerunt Euchariſtiam, indéque increparunt Chriſtianos, quod cibum quotidianum, infrequenter ac tardè ſumerent. Ita optimè S.Ambroſ.l.4.de Sacram.c.5.S.Auguſt. ſerm. 28.de verb.Dom.Venantius Fortunatus in expoſitione orationis Dominicæ, aliíque non pauci.

15. Vnde verò robur & fortitudinem hauriet Chriſtianus, aduerſus iuges impetus carnis, & Satanę? Vnde

Vnde planè, niſi ex hac panoplia, à Chriſto inſtructa ad munimen Eccleſiæ ſuæ? Eſt enim reuera Euchariſtia, ſcutum cordis, & validum munimen aduerſus aſſultus perpetuos truculentiſſimorum & inconciliabiliter nobis inimicantium hoſtium: vt propterea ſapienter Pręſules Synodi Africanæ, quorum literæ extant apud S. Cyprianum epiſt. 54. cùm priùs ſanxiſſent, vt ſecluſa ægritudine negaretur lapſis Euchariſtia, ſententiam retexuerint excitato poſtmodum turbine nouo perſecutionis; & rationem his verbis reddiderunt num. 6. [Meritò trahebatur dolentium pœnitentia tempore longiore, vt infirmis in exitu ſubueniretur, quamdiu quies & tranquillitas aderat, quæ differre diu plangentium lacrymas, & ſubuenire ſerò morientibus in infirmitate pateretur. At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: Et cum ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimento dominicæ ſaturitatis armemus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos, in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos priùs ad bibendum in Eccleſia poculum Domini, iure communicationis admittimus?] Rectè & ſapienter. Nam ex Euchariſtiæ ſumptione, deriuatam fuiſſe infractam in tormentis conſtantiam Martyrum, Iſaias interprete B. Iuſtino agnouit. Ita enim Iuſtinus cum

Tryphone

Tryphone agens accipit illud Iſaiæ cap. 33. *Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.* S. item Auguſtinus tract. 27. in Ioan. *in fine*, fortitudinem S. Laurentij, refert ad vſum huius Sacramenti: hoc quippe pane ſaginatum, & hoc calice ebrium, ad tam atrocem excarnificationem factum eſſe quaſi ſine ſenſu, quin etiam idoneum ſcommatis inceſſere Tyrannum, arbitratur. Rurſus ſerm. 13. de ſanctis, eodem refert S. Vincentij conſtantiam miraculo parem. Itaque excommunicatus, qui viuifico hoc cibo & verè firmamento in terra, vt vocat Pſaltes, per culpam ſuam deſtituitur, hoſtilibus incurſibus quibus ſemper patemus, impaſtus & intectus miſerè obiicitur, indubiè ſternendus & crudeliter conterendus.

16. Specialiter verò, eſt quod in homine cui hoc pietatis Sacramentum negatur, ea ariditas commiſerationem moueat, quam abditus medullis & nobis omnibus à natura conſertus ignis, pice & adipe ac naphta, aliiſque externorum fomentorum irritamentis affatim ſuppetentibus, & Satanæ ſuggeſtione ingeſtis paſtus, inferre animo ſolet: ita vt fas ſit ei qui eiuſmodi eſt, pronunciare de ſeipſo, quod Dauid Pſal. 101. in eius perſona, tanto antea protulit: *Percuſſus ſum vt fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.* Hunc enim locum S. Gregorius, & Caſſiodorus, de pane Euchariſtico accipiunt, cuius obliuio, id eſt prętermiſſio, ariditatem cordis inducit, & plenam vniuerſi ſucci pietatis exſiccationem; concupiſcentiæ veluti Sole, ſub nube torrente, qui propaginem fortium marceſcere facit, iuxta Prophetam. Verè hæc eſt miſeranda atrophia, ex qua ſubiecto, non macies modò infertur, ſed & tabes, ac certũ exitium.

Claudamus hoc punctum verbis Nyſſeni orat. in eos qui ægrè ferunt reprehenſiones, ſub finem. [A myſteriis quidem arcanorúmque communione Sacramentorum, culpa noſtra decidimus & ſeparamur, nec tamen ſtudium, ac diligentiam adhibemus, vt ad ea fruenda reuertamur, ſed vt vilia, & quæ paruo pretio redimi poſſint, contemnimus. Conſidera, homo, qua dignitate iam ornatus fueris, nunc autem careas. Si regiæ menſæ particeps, ab eo honore ob crimen aliquod excidiſſes, quantam pecuniæ vim expenderes, vt in Regis gratiam redires, vt honorem priſtinum redimeres? Quorum autem fores ſupplex, hæſitans, dolens, frequentares? Vitam profectò ipſam, tibi acerbam duceres; ſqualore, & luctu, & vultus demiſſione, dolorem animi præ te ferres; omnem denique, (vt aiunt,) moueres lapidem, vt ab ea te calamitate liberares.] Eſt igitur multo conuenientius ac neceſſarium omni ſtudio conniti, vt qui à cœleſti Regis Regum menſa, in qua immortalis cibus & vita ipſa guſtatur, relegatus eſt, nihil prætermittat, vt frui denuo tantis epulis liceat: ne à vita extorris fiat. Nam etiam Punici, vt S. Auguſtinus l. 1. de peccat. mer. c. 24. teſtatur, ſicut *ſalutis* nomine Baptiſmum, ita nomine *vitæ* abſolutè vſurpato, Euchariſtiam deſignabant.

Quàm graue excommunicato, priuari Sacramentalibus.

17. Damno quod ex Sacramentorum priuatione infertur, adiunctum ac veluti continens eſt, damnum quod ſequitur ex priuatione Sacramentalium. Hæc enim vtilitatis ſunt permagnæ. Non quod gra-

tiam ſanctificantem recipienti conuehant ex opere operato,ſed quod efficacitate polleant ad bonos motus excitandos,vnde gratiæ prouentus poteſt exiſtere. Eam porrò vim ſortiuntur, primùm quidem per modum ſigni refricantis recordationem,& excitantis memoriam,quemadmodum voces & imagines, excitando memoriam, dicuntur mouere ad deuotionem, & ciere ſenſa pietatis. Hæc vis, ex natura rei conſequitur deputationem huiuſmodi rerum ad cultum diuinum. Similiter ac ablutio in baptiſmo Ioannis ob deputationem præuiam, ingerebat memoriam internæ ablutionis per contritionem.Deinde oritur vis illa Sacramentalium, ex eo quod per benedictionem Eccleſiaſticam quaſi grauidentur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, per ordinem ad impetrandum à Deo bonum aliquem effectum:V.g.vt homo concipiat dolorem peccatorum, aſperſus luſtrali aqua : Vt faciliùs exaudiatur à Deo orans in templo conſecrato:Vt abigatur Satanas, adhibita re per certam benedictionem ſanctificata. Quia enim Deus Eccleſiam diligit, hæc autem benedicens aut deputans aliquid in Sacramentale,poſcit à Deo,vt quiſquis fidelium huiuſmodi rem vſurpauerit,hunc illúmve effectum obtineat;non eſt dubium,quin intra limites impetrationis, atque adeò citra infallibilitatem, plurimùm fiduciæ ad talem effectum conſequendum, poſſit in ea vſurpatione collocari. De ea fiducia deiicitur excommunicatus, quia Eccleſia non vult preces ſuas,quibus vniuerſa vis impetrandi Sacramentalibus inſerta nititur, fructuoſas eſſe excommunicato, eáſque quoad illum, non concludit intra rem quæ eſt veluti materiale Sacramentalis.

18. Quare perinde eſt excommunicato, aſpergi aqua benedicta, ac aſpergi aqua profana, quantum attinet ad effectus quos aqua ex Eccleſiæ benedictione conſequitur. V. g. impetrationem bonorum mortuum, depulſionem dæmonum, & quod multi aſſerunt, abſterſionem venialium. Perinde item illi eſt, orare in templo, ac domi, vel vbilibet; quantum attinet ad fructum ex loci conſecratione aut benedictione manantem, qui eſt inſignis. Eſt enim longè fructuoſius orare in templo conſecrato aut benedicto, quàm alibi, vt rectè affirmant Gerſ. tract. de myſtica Theol. pract. conſider. 9. Durantus l. 1. de ritibus cap. vltimo num. 6. Suarez t. 3. 3. p. d. 81. ſ. 1. & 2. & l. 3. de orat. cap. 7. num. 12. Caracciolus ad regul. cleric. Reg. p. 1. c. 8. num. 3. benéque Anaſtaſius in vita Stephani VI. ex eius ad populum allocutione de reuerentia in templo. Poſsúntque eodem referri quæ S. Chryſoſtomus homil. 3. contra Anom. & hom. 79. ad popul. aliíque Patres tradunt de fructuoſiore oratione in templo. Videtur adſcribendus Origen. tract. 35. in Matth. ad illud, *Tunc venit* IESVS *cum illis in Gethſemani.* Sic enim ibi ſcribit. [Conueniebat autem & priuſquàm proderetur, orare; & orandi eligere locũ mundum, ad orationem, Sciebat enim quod ſicut differt aër ab aëre mundiore, ſic terra ſancti loci & ſanctioris, ſicut ſcriptum eſt, *locus iñ quo tu ſtas, terra ſancta eſt.* Et quæras, ſi præter affectum orantis, etiam ex loco orationis in quo quis orat, ſit oratio mundior & acceptabilior, ſecũdùm quod ſcriptum eſt, *domus mea, domus orationis vocabitur:* de qua & alibi dicitur: *& exandiuit de tẽplo ſancto ſuo vocem meã.*] Ita ibi Origenes, qui nequaquam hanc ſententiam retractat, cum

mox ſubiungit, virum Iudæum de his non dubitaturum. Id enim tantùm pertinet, ad commendandum monitum quod ſtatim addit, cui Iudæus non ſubſcriberet. Eodem pertinere videtur, quod in Concilio Gangrenſi cap. vltimo, damnantur qui pietatem priuatis domibus concludebant, commendatúrque oratio facta in æde ſacra, haud dubiè quia fructuoſior, ob loci ſanctitatem ex Eccleſiæ benedictione, aut conſecratione. Tametſi verò ita res habet quoad alios fideles, tamen quoad excommunicatum, perinde eſt orare in vico, vel platea publica, aut domi, ac in templo. Nam quicquid templo ineſt, propter quod oratio in eo fuſa eſt vtilior, pertinet ad preces Eccleſiæ, quibus generaliter à Deo petiit, vt quicunque ibi orabunt, bonos motus aſſequantur, aut faciliùs exaudiantur, quas preces Eccleſia noluit excommunicato ſuffragari.

Itémque Miſſæ auditione.

19. Sequitur diſpendium ex prohibita ſacri auditione. Quod vt ingens eſſe appareat, conſideranda ſunt duo. Nempe honor ex aſſiſtentia ſacrificio præſtita, Deo delatus; & fructus aſſiſtenti repenſus. Honor qui Deo exhibetur audiendo ſacrum, eſt omnino inſignis. Certum quippe eſt, ſummum actum cultus quem Deo exhibere poſſumus, ſitum eſſe in actione ſacrificandi, & præſertim in ſacrificio Chriſtiano. Nam ex genere ſuo, ſeu quatenus ſacrificium eſt, continet ſolemnem conteſtationem diuini dominij ſupremi, & ſummam gratiarũ actioné quam poſſumus Deo rependere. Quatenus autem eſt ſacrificium tale, hoc

eſt idem quoad rem oblatam cum ſacrificio crucis, eadem præſtat excellentiſſimè, inſupérque eſt propitiatorium,& Deo placando,ac conciliando vniuerſis mortalibus opportuniſſimum. De cultu Dei ſupremo per hoc ſacrificium, benè ex variis præſertim Auguſtini locis,Alanus l.de Miſſa cap.26.& qui ante inſtitutum hoc ſacrificium defuiſſe Deo plenam laudem pulcherrimè oſtendit Gul. Pariſ.tract.de Euchar. cap. 2.*ſub medium*. Quia verò nunc in lege noua, hoc ſacrificium quod in Miſſa peragitur, vnicum eſt, nec eius celebratio conceſſa eſt à Chriſto omnibus fidelibus,ſed iis tantùm qui ad id ritè initiati & conſecrati fuerint, propterea ne cæteri fideles priuarentur inſigni illa diuini cultus ſupremi exhibitione, & gratiarum actione pro acceptis bonis, necnon placatione pro offenſis,prouiſum à Chriſto eſt, vt illa ſacrificandi actio, poſſet omnibus vtriuſque ſexus Chriſtianis aliquatenus eſſe communis; non modò ſacrificando per Sacerdotem,vt dixit Fulbertus epiſt. 53. ſed etiam per ſeipſos:quod faciunt aſſiſtendo rei diuinæ,& eam ſua præſentia ratam habendo, moralitérque aliquatenus cooperando actioni ſacrificandi. Aliquatenus enim cooperatur Sacerdoti ſacrificanti, moraliter loquendo,qui aſtat ſacrificanti,approbans quod ipſe facit,eíque conſentiens.Hanc rationem ſacrificãdi omnibus Chriſtianis communem, inſinuaſſe arbitror S. Chryſoſtomum hom. 18.in 2.ad Corinth. *ſub finem*. Eandem quoque ſignificaſſe videtur Petrus Damiani Opuſc.11.cap.8. benè confirmans ex variis particulis Canonis Miſſæ, non ſacerdotem duntaxat, ſed alios quoque qui ſacrificio aſſiſtunt, ſacrificare & offerre. Aſtipulantur Innoc. Alber. Alcuin. Odo Camer. &

Steph.

Steph. Eduenſ. quos in eam rem citat Durantus lib. 2.de ritibus cap.34.num.7.ad illam Canonis partem, *vel qui tibi offerunt*.Et cap.36.num.1.ad illa verba, *ſed & cuncta familia tua.* Hinc illud inter Chriſtianos adeò arctum præceptum aſſiſtendi ſacro, iis diebus quibus feriandum eſt, & ſpecialiùs intendendum diuino cultui: quod per ſe loquendo obligare ſub peccato lethali pro qualibet vice, communis eſt ſententia Doctorũ iuris ad cap. *Miſſas*, & ad cap.*Omnes fideles*,de conſecr. diſt.1. & ſcholaſticorum in 4.d. 13. vel 3.p.q.83. artic. 6. ac ſummiſtarum v. *Miſſa*,& v. *Feriarum obſeruatio.* latè in hanc rem Suarez lib. de feſtis cap. 15. Nimirum quia Eccleſia probè conſcia obligationis qua fideles aſtringuntur ad cultum certis temporibus Deo exhibendum quàm poſſunt ſummum, ídque per aſſiſtentiam Miſſæ ſacrificio exhibitam præſtari agnoſcens,meritò illos feſtis diebus adigit ad aſſiſtentiam prædictam, quamuis eos non vrgeat vt aſſiſtant confectioni cæterorum Sacramentorum, quia non ſunt inſtituta ad finem cultus quem huic ſacrificio præfixum diximus,vt benè conſiderauit Alanus l.de Miſſà cap.27.

20. Iam fructus fidelibus ex hac aſſiſtentia proueniens,præter eum qui communis eſt omnibus religioſis actibus,duci peculiariter poteſt ex honore quẽ Deo exhiberi diximus per hoc ſacrificium, & ex gratiarum actione ac propitiatione numinis, eidem honori cõſerta.Quid enim fructuoſius eſſe queat Chriſtiano populo, quàm excellẽtiſſima veneratione proſequi Deum,eíque eminentiſſimo modo gratias agere, nec ſibi tantùm,ſed & vniuerſo orbi illum propitiare?Eſt & alius fructus quem graues DD.agnoſcunt

conferri aſſiſtentibus ſacrificio Miſſæ; & quidem ex opere operato ſacrificij, etiamſi Sacerdos ſpeciali ſua intentione de eis non cogitet. Tradit hâc ſententiam Caietanus t.1.Opuſc.tract.3.q 2. Sylueſt. v. *Miſſa*,1. q.9.Valen. t. 4.d.6.q. 11.p.1.§.25.& Suar. 3. p.q.83. art.1.diſp.79.ſ.8.verſic. *Quartò de cæteris*.Et ratio ſuffragatur. Cum enim oblatio ſacrificij Chriſtiani, ſit fructuoſa ex opere operato quoad remiſſionem aliquam pœnæ peccatis abolitis debitæ,proſítque etiam quoad impetrationem variorum ſpiritualium & temporalium bonorum, iuxta ſubiectorum indigentiam & diſpoſitionem, ac diuinæ prouidentiæ ordinem: conuenientiſſimum eſt,vt quotquot ad hanc oblationem cóncurrunt,feracitatis eius ſint participes.Igitur qui aſſiſtunt ſacrificio, quandoquidem ad illud concurrunt honeſtando præſentia ſua ratámque habendo actionem ſacrificandi, participant eiuſdem fructibus, ſeorſim ab applicatione primarij miniſtri, ſiue Sacerdotis. Et idcirco fideles, ab ipſis Eccleſiæ cunabulis ſummopere ſolliciti fuerunt, vt ſacrificio Miſſæ ſingulis diebus aſſiſterent, etiamſi obligatio præcepti tantùm vrgeret pro diebus feſtiuis.Non video autem quàm ſolidè Petrus Bleſenſis in calce ſermonis 43.affirmet, olim laicos diebus duntaxat feſtis interfuiſſe ſacro, indéque vſum manaſſe claudendi ſacrum feſtis diebus,ea ad populum allocutione, *ite, Miſſa eſt*,qua fiebat populo poteſtas abeundi, quæ non fiebat aliis diebus quibus ſacro aderant ſoli Clerici, vnde ad Deo benedicendũ monebantur,nõ autem ad abeundum.Hęc inquam Bleſenſis obſeruatio mihi non probatur,& melius ex aliis, circa has claudẽdi ſacri varias formulas,philoſophatur Durant. l.2.de ritib.c.56.n.5.

21. Ex

21. Ex his patere perſpicuè videtur, quanto damno ſuo, excommunicatus, ſacrificij aſſiſtentia prohibeatur. Eo ipſo namque, eripitur ei ſupremus modus Deum colendi, & gratiarũ debita actione proſequendi, itémque placandi: quorum tamen actuum immenſa cuiuis eſt neceſſitas, ſimul & vtilitas. Præterea eripitur ei modus facillimus & expeditiſſimus, tollendi reatum ex culpis remiſſis ſuperſtitem: necnon impetrandi à Deo varia bona ſpiritualia & temporalia. Quod ſi non ipſius ſacrificij vim aſſiſtentibus proficuam, vt nunc fecimus, ſed ipſorum aſſiſtentium orationes conſiderare placeat, nullum eſt tempus ad impetrandum opportunius, quàm tempus huius ſacrificij, vt propterea Angeli ipſi, hanc occaſionem captent ad offerendas Deo preces ſuas, iuxta S. Chryſoſtomum orat. de S. Philogonio, & ad finem orationis de non contemnenda Eccleſia & myſteriis, & optimè orat. 3. contra Anom. verbis illis. [Tempore illo, mi frater, non ſolùm homines clamorem illum horribilem reddunt, ſed etiam Angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent ſibi tempus id idoneum, habent ſacram illam oblationem in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes, mouere Reges conſueuerunt, eóque arboris genere miſericordiam commemorant & humanitatem: ſic Angeli tunc pro ramis oleagineis, corpus Domini ipſum protendentes, rogant pro genere humano, quaſi dicant; pro his Domine rogamus, quos tu adeò dilexiſti, vt pro eorum ſalute mortem obires, animámque in cruce efflares: pro his ſupplicamus, pro quibus ipſe tuum largitus es ſanguinem: pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolaſti.]

Quæ ergo & quanta miſeria eſt, impediri ad Deum accedere, eo tempore & loco, quo maxima ſpes eſſet orationem non fore caſſam? Et verum quidem eſt quod idem S. Chryſoſtomus in Pſal. 145. optimè tradit, Deum ea eſſe facilitate & benignitate, vt oraturis nobis non ſint captandi molles aditus: Tamen non omnes qui ad Principem admittuntur porrecturi libellum ſupplicem, quoties admittuntur, eandem Principis ad annuendum porrectis precibus diſpoſitionem experiuntur: ſed pro varietate circunſtantiarum, faciliùs aut tardiùs exorant quod petunt. Et eodem modo contingit circa Deum, qui maximè per tempus ſacrificij, facilem ſe præbet ad audiendas preces noſtras.

Excluſio excommunicati à ſacris cœtibus, & publicis precibus, quàm damnoſa.

22. Progredior ad diſpendium quod ſubit excōmunicatus per excluſionem ab oratione publica, quo nomine officium Eccleſiaſticum, & ſupplicationes ſacras, & quaſuis precationes fuſas in ſacris fidelium conuentibus, comprehendo. Eſt autem conuentuum illorum, & vt Tertullianus dixit coitionum in vnum ad vim faciendam Deo, ſingularis omnino iucunditas, quam iuuerit in huius puncti aditu agnoſcere ex illa S. Chryſoſtomi allocutione ad ſuos homil. 1. de verb. Eſaiæ, *initio*, verbis illis. [Angelicorum ordinum ſtationem imitātes, ſine ceſſatione laudes & hymnos offertis conditori. O mira Chriſti dona! In ſupernis exercitus Angelorum canunt gloriam, in terris homines in Eccleſiis choros agentes, ad illorum exemplum,

plum, eandem canunt gloriam. In ſupernis Seraphim, ter ſanctum illum hymnum reſonant; in terris eundem hominum promit multitudo, communitérque tum cœleſtium, tum terreſtrium plaudit celebritas, vna gratiarum actio, vna exultatio, vna beneuolentis, gaudentíſque choreæ ſtatio. Hanc enim ineffabilis Domini ſeſe ad nos demittentis bonitas comprobauit; hanc electam, Spiritus congregauit ſanctus: huius vocum concentus, paterno beneplacito congruit: è cœlis habet modulorum conſonantiam, dum à Trinitate velut à plectro quopiam mouetur, delectabile illud, ac fœlix reſonat melos, illam angelicam cantionem, illum deſinere neſcium concentum: hoc eſt ſtudij præſentis alacritatíſque vectigal, hic conuentus noſtri fructus. Eóque gaudeo, talem conſpiciens in vobis probabilem affectum. Gaudeo dum animorum veſtrorum beneuolentiam, alacritatémque conſidero, dum gaudium ſpirituale, dum iuxta Deum exultationem. Neque enim vlla res, tantùm adfert gaudij vitæ noſtræ, quantum hoc quod ex animo gaudetis in Eccleſia congregari. In Eccleſia, gaudentium conſeruatur gaudium: In Eccleſia animo deiectorum, animorum eſt recreatio: In Eccleſia dolentium eſt voluptas: In Eccleſia defatigatorum reſpiratio: In Eccleſia laborantium requies. *Venite* enim (inquit) *poſt me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quid hac voce poſſit eſſe deſiderabilius? Quid hac inuitatione iucundius? Ad epulum te vocat qui in Eccleſiam te vocat Dominus, ad releuationem pro laboribus adhortatur, ad releuationem à moleſtiis transfert; pondus peccatorum alleuans, deliciis animi moleſtiam, gaudio mœrorem ſanat. O miram eius curam! ô vocationem

cationem cœleſtem !] Tanta iucunditate & cœleſti dulcedine, ex coitionibus in ſacrum locum ad orationem publicam, excommunicatum ſpoliat excommunicatio.

23. Sed vel ipſa communiter & publicè orandi prohibitio, magnum omnino infert diſpendium. Quod vt intelligatur, præmittendum eſt, duobus modis fundi poſſe orationem communem. Primus eſt, in perſona omnium, ita vt omnes vnam orationem emittant, tanquam membra vnius communitatis, partialiter ad ſic orandum concurrentia, etſi non omnes æquè loquantur, ſed quibuſdam loquentibus aſtent alij, & conſentiant, alitérve precibus eorum cooperentur. Et hinc ductum, vt talis oratio dicatur collecta, quia ab vno fit, ſed ab omnibus colligitur, ait Caſſian. 2. de inſtit. cap. 7. Alter modus orationis communis, eſt is quo multi ſimul ad orandum conueniunt, ex intentione ſimul orandi. Non quod omnes & ſinguli vnam & eandem orationem fundant, ſed quod vnuſquiſque quidem per ſe oret quaſi priuatim, fiat tamen aliqua orationum omnium coniunctio, propter concomitantiam temporis, alicuiúſve alterius circunſtantiæ. Ab vtraque hac oratione communi, arcetur excommunicatus, *propter honorem orationis*, ait Origenes tract. 35. in Matth. & præmiſerat. [Chriſtianus dicit, non propter locum fieri orationem diſtantem ab oratione; ſed quia melius eſt cum nullo orare, quàm cum malis orare. Ad demonſtrationem autem traditionis iſtius, vtetur exemplo quo Ieſus in domo Iaïri Sacerdotis, oraturus pro mortua filia eius, omnes eiecit foras, & tres tantùm elegit ſecum, qui & ſuper montem facti fuerant teſtes transfiguratio

figurationis ipſius. Propter hoc enim & in Eccleſiis Chriſti, conſuetudo tenuit talis, vt qui manifeſti ſunt in magnis delictis, eiiciantur ab oratione communi, ne modicum fermentum non ex corde mundo orantium, totam vnitatis conſperſionem & conſenſus corrumpat.]

Senſus Patrum, de bono publicæ orationis.

Inſigni autem diſpendio ſuo excommunicatus à publica oratione excluditur. Ad quod demonſtrandum. [Poſſem equidem (vt cum Petro Damian. dicam Opuſc. 24. c. 1.) plurima ſcripturarum & veteris & noui Teſtamenti exempla congerere, ſi priores noſtri Patres, aut Doctores Eccleſię, ſuper hoc themate funditùs ſiluiſſent. Sed ſuperfluum eſt, nos vilibus ſarculis illic glebas effringere, vbi tam ſtrenui cultores, terræ viuentium, acutiſſimo linguæ ſuæ vomere, reperiuntur arma ſulcaſſe.]

24. Iudicium itaque SS. Patrum exquiramus, & quæ illi de fructu orationis publicæ & communiter fuſę proferunt, adducamus; inde enim quàm damnoſum ſit ab ea excludi, erit per ſe perſpicuum. Antiquiſſimus Tertullianus cap. 39. Apolog. ita in hanc rem ſcribit. [Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinę veritate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtū & congregationē, vt ad Deum quaſi manu facta, precationibus ambiamus orātes. Hæc vis Deo grata eſt.]

Petrus Chryſologus ſermone 132. tractans locum ex Matth. 18. *ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo*, ſic exclamat. [Vbi ſunt qui præſumunt, Eccleſiæ

conuentum

conuentum poſſe contemni, & ſolitarias preces, venerandæ congregationi autumant anteferri, ſi duobus, vel tribus ſimul poſitis, medium ſe futurũ, & omnia ſe promittit quæ poſtulatus fuerit præſtiturum? Qui nihil negat tam paucis, quid in conciliis & congregatione Sanctorum, poſcentibus denegabit? Sic credens Propheta, hoc adeptum ſe gloriatur cum dicit: *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio iuſtorum & congregatione.* Toto corde confitetur, qui totum ſibi in concilio Sanctorum, quod popoſcerit, audit eſſe pręſtandum.] Rationem egregiam pronunciati ſui, reddit ex longè pulchriore, & Deo acceptabiliore, proindéque ad exorandum aptiore, Eccleſiæ in vnum adunatæ ſpecioſitate, præ vnius orantis ſolitudine. Itaque expoſtulans de illis qui *neglecto venerandi cœtus & congregationis ardore*, deſpiciebant coire in communem locum ad orandum, & ſolitarias priuatáſque preces, probari ſibi obtendebant, addit. [Iſti ſunt qui corpus Chriſti diſſipant, membra diſpergunt; nec ad decorem ſuum patiuntur formam Dominici habitus peruenire: quam Propheta cum vidiſſet in ſpiritu, ſic canebat: *Specioſus forma præ filiis hominum.* Habent quidem ſingula membra proprium ſui munus officij, quod tamẽ tunc implere poterũt, ſi connexa ſibi, & compaginata, perfecti corporis perueniant ad decorem. Hoc ergo intereſt inter congregationis plenitudinem glorioſam, & ſeparationis præſumptam de ignorantia, aut negligentia vanitatem, quod in ſalute & honore integri corporis, ſpecies eſt vnitas membrorum: & in ſeparatione viſcerum, eſt fœda, lethalis, & horrenda pernicies.]

25. S. Athanaſius in Apologia ad Conſtantium, cùm

cùm tertiam ſibi impactam criminationem propoſuiſſet, quod Synaxes habuiſſet in Eccleſia nondum dedicata, inde præſertim factum ſuum probat, quod ob capacitatem illius Eccleſiæ, confertiſſima multitudo adunari ſimul potuerit. Quem orandi modum, longè vtiliorem & ad permouendum Deum efficaciorem eſſe docet, quàm ſi diſſociatim & particulatim fiat oratio. [Preces(inquit)faciendæ erant. Quid ergo rectius putas, particulatim & diſſociatim, vnà cum periculo eliſionis populum ſynaxes facere, an potiùs vt in locum omnium benè capacem conuenerit, & vnam eandémque ſine diſſonantia vocem reddat? Certè id rectius eſt, quum & concordiã vnanimis multitudinis oſtẽdat, & Deum ad exaudiendũ, promptiorem habeat. Nam ſi pro ipſius Saluatoris pacto, in cõſenſu duorũ, quodcũque petierint, fiet; quid igitur futurum, vbi ex tot tãtiſque populis in vnum congregatis, vna vox reſpondeatur, acclamantium, Amen?]

S. Chryſoſtomus hom. 4. in 2. ad Theſſalonic. ſub finem, vrgens plebem ſuam, vt communibus eius orationibus iuuaretur, ſic habet præter cætera. [Vnum quidem rogare pro multis, magnæ eſt audaciæ, & quod multa eget fiducia: multos autem, cum ſimul conuenerint, pro vno precari, non eſt graue, nec importunum. Non enim ſuæ virtuti credens, hoc facit vnuſquiſque, ſed multitudini & conſenſui, quem ſemper maxime reſpicit Deus, & eo mouetur, ac placatur. *Vbi enim fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Si vbi ſunt duo, aut tres congregati, eſt in medio: multo magis apud nos. Quod enim per ſe precans quiſpiam, non poteſt accipere, hoc accipiet precans cum multitudine. Quamobrem?

obrem? Quoniam etſi non virtus propria, ſed tamen conſenſus,magnam habet vim: *Vbi fuerint* (inquit) *duo, aut tres congregati.* Cur dixiſti duo? Nam ſi vnus fuerit in nomine tuo,cur non es illic? Quoniam volo omnes ſimul eſſe,& non eſſe diuulſos.Nos ergo alter alterum condenſemus,ac conſtipemus,charitate coniungamus ac colligamus.Nemo nos ſeparet.]

26. Optimè homil. 2. de prophetiarum obſcuritate, cum præmiſiſſet, Paulum, tantum Apoſtolum, preces ſibi communitatis eſſe apprecatum,addidiſſetque, ſe quoque meritò eas expoſcere, rationem hanc reddit. [Cùm enim infirmi ſimus dum ſoli precamur, vbi vero congregati fuerimus robuſtiores,multitudine ac ſocietate inita Deum exoramus. Sic etiam Rex ſæpenumero cum aliquem ad mortem damnarit, vni quidem exoranti pro damnato non annuit, ab integra verò ciuitate deprecante facile exoratur, eumque qui ad barathrum adducebatur, ob deprecatorum multitudinem ſupplicio eximit, atque ad vitam reducit.Tanta vis eſt orationis multitudinis.Idcirco etiam colligimus & conuenimus hîc omnes, vt vehementiùs Deum ad miſericordiam flectamus. Nam cùm orantes ſoli,vt ante dixi,imbecilles ſimus,per coniunctionem charitatis Deum exoramus, vt nobis poſtulata concedat. Hæc verò non temerè à me proferuntur,neque propter meipſum tantùm,ſed vt ſemper ad collectas properetis, nec dicatis: an non enim orare domi poſſum?Potes tu quidem orare, ſed tantã virtutem non habet oratio, quàm vbi cum propriis membris fit,quàm cum totum corpus Eccleſiæ vnanimiter & vna voce preces fundit Sacerdotibus præſentibus, ac verba communis cœtus offerentibus. Viſne dicere

quanta

quanta ſit virtus orationis, quæ in Eccleſia fit? Vinctus erat aliquando Petrus in carcere, ac multis catenis circundatus; oratio autem fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia pro eo, & confeſtim illum eduxit è carcere. Quid igitur hac potentius fieri queat oratione, quæ de columnis Eccleſiæ bene merita eſt? Paulus enim & Petrus turres erant & columnæ Eccleſiæ, atque huius quidem vincula ſoluit, illiùs autem os aperuit.]

Videndus inſuper hom.2. & 18.in 2.ad Cor. vtrobique in morali. Religio ſit miſſum facere illuſtriſſimum locum ex hom.3.contra Anom. *ſub finem*. [Si & domi quoque datur orandi facultas, tamen fieri non poteſt, vt domi tam benè ores, quàm in Eccleſia, vbi tot patres; vbi clamor felici ſocietate excitus ad Deum immortalem refertur. Non pariter exoras, cum ſolus Dominum obſecras, atque tuis cum fratribus. Eſt enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conſpiratio, copula amoris, & charitatis, Sacerdotum clamores. Præſunt enim ob eam rem ſacerdotes, vt populi orationes quæ infirmiores per ſe ſunt, validiores illas complexæ, ſimul in cœlum euehantur.] Et mox. [Profectò ſi orare cum diligentia inſueſcas, nihil eſt quod doctrinam tui cõſerui deſideres, cum ipſe Deus ſine vllo interprete, mentem tuam abundè luce aſſiciat. Quod ſi omnis oratio tantam vim habeat, longè magis eam, quæ ore multorum proueniat, valere conſentaneum eſt. Plus enim neruorum in ea eſt, & multo audientia maior, quàm in domeſtica illa & priuata. Vnde id conſtet, Paulum ipſum dicentem audi. *Qui ex tantis periculis eruit nos, etiam ſperamus quòd adhuc eripiet, vobis quoque in oratione pro nobis ſubuenientibus,*

nientibus, vt dono in vos collato, à multis perſonis gratiæ agantur pro nobis. Sic etiam Petrus, carcerem euaſit. Oratio enim pro eo, ab Eccleſia ſedulò agebatur ad Deum. Quod ſi Petro Eccleſiæ oratio profuit, & columnam illam ac ſtabilimen noſtræ religionis, carcere liberauit, cur eius vim tu contemnis ac negligis? Qua te poſſis purgare ratione? Deum quoque dicentem audi, quàm populo cum beneuolentia inuocante, placetur & parcat. Quippe qui ſe excuſans apud Ionam Prophetam, fruticis argumento cucurbitæ, verba ad hunc modum faciat. *Tu doles ſuper cucurbita, in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret: Ego non parcam Niniue ciuitati meæ, magnæ, in qua habitāt plures quàm centum viginti millia hominum?* Non ab re amplum populi numerum proponit; ſed vt intelligas, plurimum eam pollere orationem, quæ cum conſenſu agitur & iugi concordia plurium hominum. Quod exemplo quoque rei humanæ, libet explanare. Nam ante hos decem annos, capti ſunt nonnulli tyrannidem appetentes, cuius rei vos etiam meminiſſe arbitror. Fuit inter eos quidam dignitate ac principatu præditus, qui cùm damnatus capite ad ſupplicium duceretur, populus motus miſericordia, vniuerſus Prætorem adiit, & deprecandi communi opera efficere potuit, vt reus ille venia nulla dignus, liberaretur ab ira Imperatoris. Quod ſi cum iram terreni Imperatoris velitis extinguere, vniuerſi cum liberis & vxoribus feſtinatis, cur quoties ad cœleſtem illum Imperatorem placandum, reddendúmque propitium, ire pergitis, vt eius irę eximatis non vnum, vt tunc, nec duos, aut tres, aut centum, ſed omnes orbis terræ peccatores, omnes dæmone agitatos, à flagello liberetis diaboli,

boli,foris ſedetis?Non vniuerſi concurritis:& Eccleſiam penetratis, vt Deus veſtram reueritus,atque exoſculatus concordiam,& illis pœnam dimittat,& vobis peccata abſoluat ? Si in negotiis tam neceſſariis non omni leone vehementiùs diſruptis omnibus vinculis, curriculo is, & te confers ad ſupplicationem communem,quam ſpem habere poſſis ſalutis?]

Concluditur, quanto ſuo damno excommunicatus à publica oratione arceatur.

27. Ex his liquere puto,quantum ſit excommunicati diſpendium ob excluſionem à communi oratione. In quam rem legi inſuper poteſt libellus Gerſonis parte 4. cōtra poſtponentem actus hierarchicos deuotionibus particularibus;& quæ Nauarrus ex Paludano & Maiore tradit in Enchiridio de Orat. cap. 17.num.26.Sed quæ propoſui,videntur abundè eſſe. Monſtratum quippe eſt, quanta ſit publicæ orationis apud Deum gratia: huic autem admenſum eſt damnum quod oritur ex ea negata.Plerunque ſanè concederentur homini,ſiue pro ſe,ſiue pro alio oranti communiter,quæ fuſa ſolitariè precatione negantur. Eſto verò, oratio quam funderet, non eſſet directè ordinanda ad ipſum excommunicatúm,ſed ad alios;tamen non exiguum eſt damnum,priuari fructu redundaturo ex fructuoſa oratione pro aliis. Eam enim comitantur plerunque immenſa bona, quorum moralibus cauſis inter quas precatores numerantur,magnum accreſcit emolumentum.Et quamuis omnia alia damna abeſſent, vel ipſa priuatio cooperationis ad bonum quod communis oratio pariet, diſpendium eſt nullo

modo leue aut contemnendum. Ne memoraui quidem, probrum ex eo ductum quod homo remoueatur à cœtu orantium, ne tanquam fermentum acidum totam maſſam corrumpat; nec minùs quàm lue contactus timore virulentiæ ab eo contrahendæ, ſecludatur. Hoc diſpendium, quod non ſit tanti, & minutum bonum præ iis quæ hactenus propoſui, remoueat ab homine, non modò non duxi vrgendum, ſed propè præteritum prorſus, ac vix commemoratum volui.

Sic expenſis damnis excluſionis à publica oratione coniunctim facta, non eſt quod hæream in expendendis damnis, negatæ coniunctionis orãdi cum vno quopiam. Hoc enim à fortiori, perſpicuum eſt ex proximè dictis de oratione communi. Eadem quippe moralis vnitas & coniunctio, reperitur inter ſocium orationis in euentu propoſito, & excommunicatum; quę reperitur cum omnibus ſimul adunatis ad publicè orandum. Itaque cum omnis planè coniunctio, magis vel minus fructuoſa orantibus ſit pro ſua amplitudine, expoſito iam damno quod ex remotione à communi cum plurimis oratione prouenit, non eſt quod hæreamus in damno quod deriuatur ex remotione à precatione cum vno aut altero. Tametſi damnum quoque hinc exortum non ſit contemnendum, cum plerunque deprecatio iuſti, etiamſi vnici, coniuncta precationi alterius, teporem vel algorem eius, iuuare non modicè poſſit.

Damnum repulſæ oblationum, quantum.

28. Propoſitis priuationibus, ſubtexebamus repulſam

pulſam oblationum excommunicati, quæ non debet videri malum tenue,tametſi iis qui ſunt infoſſi terrenis, non ſit fortaſſis admodum graue impediri bonorum ſuorum elargitione. Eſt tamen reuera damnum magnum,& commenſum beneficio quod Deus confert in eum cuius bona & opes acceptat.Neque enim qui pium munus offert, impendit beneficium,ſed recipit; vt optimè de eleemoſyna religioſis collata philoſophatur S.Chryſoſtomus homil.1.in epiſt.ad Philipp.in morali. Et vniuersè de quauis ob Deum facta eleemoſyna, idem tradit S.Auguſt.ſerm.40.ex 40.nouis. Scitè S.Ambroſ.l.8.in Lucam *ſub finem*. [Presbyter cum accipit,tradit; & accipit non quaſi inops,ſed quaſi remuneraturus maiore menſura.] Sicut ergo eſt inſigne Dei beneficium, quod dignetur munera alicuius habere accepta; & è contrario eſt ſignum reprobationis,quod ad alicuius oblationes non reſpiciat,vt in Caino & Abele eſt deprehenſum;ita quod Eccleſia cui Deus ſuas vices commiſit, oblationes excommunicati repudiet tanquam hominis contaminati, argumentum eſt inſignis calamitatis.Transferre huc facilè liceat, illorum quondam populorum miſerrimum ſtatum, è quorum bonis nihil ſibi in ſacrificia vel oblationes ſeruatum volebat Deus; ſed omnia execrabatur,& perdi potiùs mandabat,quàm ad altare inferri,vel in vſum miniſtrorum ſacrorum cedere.

Quantum malum miniſtri excommunicati, non ſacrificare.

29. Reſtant in hac ſecunda ſerie priuationum excommunicatione illatarum, damna illa quæ ad

idoneos ſacramentorum aut ſacrificij miniſtros, vel diuini verbi tractatores, excommunicatione contactos pertinent. Sacri quippe miniſtri excommunicati, vetantur Sacramenta adminiſtrare, per ſe loquendo: Vetantur quoque ſacrificare ritu Chriſtiano, & immolare hoſtiam viuam in ſacrificio incruento. Item vetantur, publicè ac ſolemniter celebrare diuina officia, & obire quaſcunque publicas orationes, vel benedictiones. Denique prohibentur etiam tractare verbum Dei. Hæc eſt immenſa damnorum moles, ſi rectè perpendatur. Quanta enim eſt meritorum ſeges, in omnium huiuſmodi functionum exercitatione? Quâta ſpirituali ſobole gaudent, qui hæc munera piè ac ſanctè obeunt? Non dubitauit Apoſtolus, gaudium ſuum atque coronam appellare eos quos initiauerat, & ſacrorum munerum propoſitorum exercitatione, aptauerat in hæredes Dei, & Chriſti cohęredes. Nempe quia intelligebat, quanti eſſet apud Deum meriti, ſancta ſanctè ac religiosè tractando, in vſum cæterorum fidelium diligenter impendi. Fructus hic vniuerſus, præciſa laborum ex quibus exiſtit facultate, eripitur excommunicato: Quæ quàm magna ſit miſeria, inde deprehendi poteſt, quod nemo non miſerum duceret eum, qui poteſtatem nactus illuminandi cæcos, erigendi claudos & debiles, excitandi ad vitam mortuos, prohiberetur tantæ tàmque excellentis poteſtatis exercitio. Conſtat verò, functiones ſacrorum miniſtrorum, effectus habere longè ſublimiores, quàm ſint ij quos nunc enumeraui. Quàm enim ſuperat anima corpus, tam præcellit bonum eſſe animę, quod ſacrarum illarum functionum miniſterio obtinetur, bono corporis quo concluduntur propoſita miracula.

miracula. Hæc pauca vniuerſim de propoſitis malis attigiſſe ſit ſatis, ne in immenſum diffundatur oratio, ſi ſingulis accuratè inhærendum ſuſcipiam. Vnum tamen & alterum miniſterium ſacrum; nempe liturgiam, & diuini verbi tractationem, ſigillatim attingere, obiter tamen & perpaucis, operæpretium videtur, eo quod virus excommunicationis, ex negato horum munerum vſu, poſſit perſpicuè deprehendi.

Immenſus fructus Chriſtianæ immolationis attingitur.

30. Quanto ergo ſe & alios bono fraudet qui diuinæ hoſtiæ litatione abſtinere cogitur, inde agnoſcendum eſt, quod ſumma ſit Chriſtiani ſacrificij vtilitas, in omnes quidem, ſed nominatim in ipſum ſacrificantem. Vt propterea Petrus Damiani lib. 2. epiſt. 11. ſyluam ſanctorum monitorum, quibus Deſiderium Caſſinenſem Abbatem ad omnem ſanctitatem informat, claudat his verbis. [Sed vt colubrum hunc valeas efficaciùs rumpere, ſacrificij ſalutaris hoſtiam ſatage frequenter offerre: vt dum ora tua Chriſti perſpexerit cruore rubentia, territus contremiſcat, præſto diffugiat, & ſacramento quo captiuatus eſt, propiùs accedere non præſumat. Sic effœtis continuò viribus corruat, & in ſcrobe ſuæ malitiæ, quantum ad te perpetuò conditus deliteſcat.]

Actum egero, ſi rem immenſorum voluminum molibus à pleriſque ſtabilitam, & expoſitam, proſequi hoc loco aggrediar. Nullus quippe eſt, ex infinitis ſcriptoribus qui de diuino hoc ſacrificio lucubrationes ad defendendam Catholicam de eo fidem vel ad

incédendam pietatem ediderunt,qui copioſus non ſit in exponendis eius fructibus & commodis. Nam dignitatem vel ipſis beatis ſpiritibus ſuſpiciendam, quandoquidem huius ſacrificij actione Chriſti corpus producitur,nihil attinet commemorare hoc loco; niſi fortaſſis vt hinc quoque monſtremus, miſerrimam eſſe hominis illius conditionem,qui tam excelſa poteſtate donatus,qua actionem omnium quæ vel cogitari poſſunt digniſſimam & eminentiſſimam eliciat, eius tamen exercitatione prohibetur. In fructibus ergo huius ſacrificij exponendis, & bonis quæ Sacerdos celebrans orbi conciliat aperiendis, excellenter omnino verſatus eſt Guliel. Pariſ. l.de Euchar. cap.2.& l.de Rhetor.diu.c.32.& 33.cum quo, Sacerdotem ſacrificantem ſpectare debemus, vt orbis ſanctificatorem ſub Chriſto, vt aduocatum cauſam noſtram agentem apud Deum,vt Medicum noſtris ęgritudinibus ſubuenientem, vt paſtorem animato & viuifico pabulo paſcentem Dei gregem. Autor homiliæ de Adam & Eua apud Chryſoſtomum, ſpecie legati vniuerſalis, Sacerdotem ſacrificantem exhibet illis verbis. [Sanctæ plebis Sacerdotes, per mandata ſibi inde data, legatione funguntur apud diuinam clementiam, humani generis cauſam, totámque ſecum Eccleſiam aggregantes atque congemiſcentes poſtulant & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt ab idololatria, & impiis erroribus liberentur. Vt Iudæis ablato cordis velamine, lux veritatis appareat,vt hæretici Catholicæ fidei perceptione reſipiſcant, vt ſchiſmatici ſpiritum rediuiuæ charitatis accipiant, vt lapſis pœnitentiæ remedia conferantur, Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis, cæleſtis

miſeri

miſericordiæ aula referetur. Hæc non inaniter à Domino peti, rerum ipſarum monſtrat effectus, quandoquidem ex omni genere plurimos dignatur Deus attrahere, quos erutos de poteſtate tenebrarum, transfert in regnum filij charitatis ſuæ, & ex vaſis iræ facit vaſa miſericordiæ. Quod adeò totum diuini operis eſſe ſentitur, vt hæc efficienti Deo gratiarum ſemper actio, laudiſque confeſſio pro talium correctione referatur.] Bona horum verborum Gloſſa, peti poteſt ex Concilio Tridentino ſeſſ. 22. cap. 2. quo quantum valeat hoc ſacrificium ad placandum Deum, & pœnæ remiſſionem exorandam, innumeráque bona obtinenda, clarè erudimur.

31. Nec viuentium modò, ſed & mortuorum immenſo fructu, celebratur hoc ſacrificium, vt S. Chryſoſtomus lib. 6. de Sacerd. optimè diſſerit, vocans Sacerdotem, legatum pro vniuerſo terrarum orbe deprecantem, & viuis ſimul ac mortuis miſericordiam exorantem: vt meritò cum Aarone inter viuos ac mortuos ſtante, & incenſi ſcutum opponente aduerſus diuinam concitationem, componere liceat Sacerdotem ſacrificantem. Sanè hac maximè ratione, iuuari animas quas ignes emendatorij purgant, apertè habet S. Bernardus ſerm. de quinque negotiationibus. Nam tractans tertiam regionem in qua Chriſtianus negotiari poteſt, eámque ſtatuens Purgatorium, (in Tartaro quippe & cœlo, quibus præterea locis excipiuntur animæ, nulla eſt negotiatio) ſubdit: [Quia igitur primi redimi non poſſunt; tertij redemptione non indigent, reſtat vt ad medios tranſeamus per cōpaſſionem, quibus iuncti fuimus per humilitatem. Vadam in iſtam regionem, & videbo viſionem hanc

grandem, quomodo pius pater glorificandos filios in manu tentatoris relinquat, non ad occiſionem, ſed ad purgationem; non ad iram, ſed ad miſericordiam; non ad deſtructionem, ſed ad inſtructionem; vt iam non ſint vaſa iræ apta in interitum, ſed vaſa miſericordiæ præparata ad regnum. Surgam ergo in adiutorium illis, interpellabo gemitibus, implorabo ſuſpiriis, orationibus intercedam, ſatisfaciam ſacrificio ſingulari, ſi fortè videat Dominus & iudicet, vt laborem conuertát in requiem, miſeriam in gloriam, verbera in coronam. His enim & huiuſmodi officiis, poteſt eorum pœnitentia reſecari, finiri labor, deſtrui pœna.]

Similia habet Petrus Venerabilis l. 1. miracul. c. 10. *in fine*, & alij cum Patres tum Doctores, quos profero in tractatione de heteroclitis ſpiritualibus, refellens nouam matæologiam, eorum qui ſacrificium cum Sacramento inconſideratè confundentes, ſcripſerunt non ita pridem, maximum fructum perceptionis Euchariſtiæ, eſſe leuamen fidelium defunctorum. At apud Patres, ſacrificium noſtrum proponitur tanquam præcipuum inter leuamina, quibus per Dei benignitatem, poſſumus animabus defunctorum opitulari.

32. Ad ipſos quoque beatos, pertinet aliquatenus huius ſacrificij fructus, quandoquidem eſt gratiarum actio pro bonis omnibus, quæ & viuentibus & vita functis, inter quos beati eminent, ſunt collata. Audi enim S. Chryſoſtomum hom. 26. in Matth. [Reuerenda & ſalutaria illa myſteria, quę in omni Eccleſiæ certè congregatione celebramus, Euchariſtia, (id eſt gratiarum actio) nuncupantur. Sunt enim beneficiorum recordatio plurimorum, capútque ipſum diuinæ

uinæ erga nos charitatis oſtendunt, nóſque faciunt debitas Deo gratias exoluere. Si enim Dominum ex Virgine natum, grande miraculum eſt,& Euangeliſta cum admiratione dicebat. *Hoc autem totum factum eſt*, in quo tandem beneficiorum loco ponemus, illum etiam mortuum eſſe pro nobis? Nam ſi illum tantummodo naſci totum vocatur, iam crucifixum eſſe, & ſanguinem fudiſſe, & ſemetipſum nobis in cibum dare, & ſpiritales illas præbere epulas, quid vocandũ eſt? Agamus igitur ei iuges gratias, atque iſtud & verba & facta noſtra præcedat, ac dirigat. Agamus verò gratias non de propriis tantùm, verùm etiam de alienis bonis; ita enim & inuidiam poterimus extinguere, & alere charitatem, eámque in nobis efficere magis ſynceram. Neque enim iam illis poteris inuidere, de quorum bonis gratias Deo deferendo lætaris. Idcircò enim altari aſſiſtẽs Sacerdos pro vniuerſo orbe terrarum, pro abſentibus atque præſentibus, pro his qui ante nos fuerũt, pro his qui poſtea futuri ſunt, ſacrificio illo propoſito Deo nos gratias iubet offerre.] Hac ipſa ex cauſa, Apoſtolum, nominaſſe calicẽ Euchariſticum, *calicem benedictionis*, egregiè expoſuit idem Chryſoſtomus hom.24.in 1.ad Cor. verbis illis. [Calicem benedictionis vocauit, quod eum habentes in manibus ſic eum hymnis & laudibus proſequimur, admirantes ineffabile donum, ſtupentes, benedicentes, boníſque verbis proſequentes, quòd eum ipſum effudit ne maneremus in errore: & non ſolùm effudit, ſed etiam eum ipſum nobis impertiit.] Et paulò ante. [Nam quando dico benedictionem, explico omnem theſaurum Dei beneficentiæ, & magna illa dona in memoriam reuoco. Nam hos quoque

ad

ad calicem recenſentes ineffabilia Dei beneficia, & quæcunque ſumus adepti, ita ipſum offerimus & communicamus, gratias agentes, quod ab errore liberarit hominum genus: quod cum longè eſſemus, propè fecerit: quod cum ſpem non haberemus, & ſine Deo eſſemus, ſuos fratres fecerit & cohæredes. Pro his ergo, & quęcunque ſunt huiuſmodi, gratias agentes ita accedimus.] Itaque hoc ſacrificium, eſt præſtantiſſima gratiarum actio quam poſſimus Deo rependere, pro innumeris bonis quæ in omnes creaturas ſunt erogata diuinitus.

Damni propoſiti moles immenſa, concluditur.

33. Quis igitur non deploret ſortem miſerrimam miniſtri excommunicati, qui expeditiſſimo & optimo medio priuetur ad agẽdas Deo, pro ſe & vniuerſo orbe gratias innumeris titulis debitas? Qui deſtituatur medio tam idoneo ad exorandum Deum, eáque ſpiritualia vel temporalia ſubſidia, ſibi & vniuerſo orbi impetranda, quibus eget vita mortalium, vt liberetur ab ingruentibus iugiter aduerſis, vt firmetur ac ſolidetur in bono, vt ad patriam inoffenſo pede regrediatur? Cui eripiatur facultas beatis ipſis gratificandi, ſubleuandi item detentos in Purgatorio, omnibus denique viuis & defunctis rorem diuinæ miſerationis exorandi? Nam ad hæc omnia pertingere fructum ſacrificij, & Sacerdotem ſacrificantem, in tam multos quàm dixi, manum beneficam extendere, eſt extra controuerſiam. Vnde ille Sanctorum feruor in aſſiduè ac per dies ſingulos immolanda hac hoſtia. Nam S. Andreas Apoſtolus vt in eius actis refertur.

fertur,[quotidie(inquit)immolo Deo agnum immaculatum.]Et S.Hippolytus orat.de conſummat. ſeculi inducit Chriſtum ſic allocuturum Sacerdotes in mundi clauſula.[Venite qui pretioſum corpus meum & ſanguinē quotidie immolaſtis.] Cœleſtem remunerationem, Diuo Caſſio Narnienſium Antiſtiti hac ex cauſa repenſam, notauit S. Gregor. homil. 37. in Euang. Communis Theologorum conſenſus eo nūc conſpirat, laudabiliùs ac meliùs facere Sacerdotem, ſi quotidie ſacrificet zelo diuini cultus ac publici boni,quàm ſi præ reuerentia ad altare non accedat. Vide Suarem t.3.3.p.d. 80. ſ. 2. Praxis piorum Sacerdotum idem confirmat. Scio Petrum Bleſenſem epiſt. 86. & 123. ad ſtabiliendam contrariam praxim, adducere Carthuſianos,quos raro ſacrificaſſe dicit. Sed quidquid ſit,an hoc ille ante annos ampliùs quadringentos verè dixerit; (nam contrarium ſatis inſinuatur in tertia compilatione ſtâtutorum antiquorum cap.1.)noua tamen collectio ſtatutorum ſanctiſſimæ illius familiæ p.2.c.7. omnes Sacerdotes ad quotidianam celebrationem hortatur, eámque conſuetudinem, tanquam veterem & receptam commendat. Quare æſtimare hinc licet, ingentem omnino fructum crebræ litationis Chriſtianæ, & quanto diſpendio mulctetur Sacerdos excommunicatus,cum ſacrificare vetatur.

Prædicandi prohibitio, quàm damnoſa.

34. Iam quod ſigillatim quoque expendi volebam damnum, ex erepta excōmunicato alioqui idoneo, facultate prædicandi Chriſtiano populo Dei verbum,

verbum,non eget longa diſcuſſione. Neminem quippe latet,quàm glorioſum & fructuoſum ſit,in Catholica Eccleſia munus tractādi verbum Dei, & eſcas ſalutis porrigendi plebi Chriſti. Fuſi in hoc ſunt Michael Medina l. 3. paræneſ. & Carolus Regius l. 1. orat.Chriſt.præſertim c.10.& 11. Ex Patribus autem, ferè perpetuus in hoc argumento eſt S. Gregorius. Quod ſi aliis prodeſt, qui verbum Dei congruenter tractat, non dubium quin ſibi quoque proſit plurimùm. Vt enim dixit S. Damaſcenus orat. pro defunctis,*ſub medium*, ſicut qui inungit alium,non priùs ei vnguen applicat, quàm ipſe illo ſe perfuderit; ita qui ex charitate ad alterum iuuandum accedit,priùs prodeſt ſibi: atque adeò ſi benè multis ſimul proſit, vt Chriſtiano Oratori contingit, immenſam ſibi bonorum ſpiritualium ſegetem parat. Talentum adeò locuples,& tantorum pro Eccleſia, próque ipſo concionatore fructuum ferax, reponere in ſudario cogitur, qui excommunicationis fulmine icitur. Cadit enim in eum illud Prophetæ tonitru, *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Olim ſanè vt eſt apud S. Chryſoſtomum homil. 52. in Ioan.lecturi librum ſacræ Scripturæ,priuſquàm librum in manus ſumerent, lauabant manus, & viri capita aperiebant, mulieres verò operiebant, præ reuerentia verbi Dei quod ea lectione excipiendum erat. Non minus itaque congruum eſt,viui verbi Dei tractatorem,ſumma puritate nitere,& idcirco iure à tractatione diuini Verbi arcetur excommunicatus. Eſt etiam bona eius prohibitionis confirmatio, quæ peti poteſt ex illa comparatione,qua D.Auguſtinus homil.26.ex 50.poſt Origenem

nem homil.13 in Exod. verbum Dei ex ſacris ſuggeſtis prolatum, confert cum Chriſti corpore in Euchariſtia, quod vtrunque ſit Dei verbum. Quanquam de ſano horum locorum intellectu conſulendus eſt Genebrardus in expoſit. Liturg. c. 25. & Bellar. l. 2. de Euch. c. 24. ad argumenta ex tomo 10. Auguſtini. Sicvt ergo excommunicatus, prohibetur adminiſtratione Euchariſtiæ, ita & tractatione verbi Dei; tanquam indignus per quem tantum bonum in populo Dei efficiatur. Hoc autem in magnum eius damnum cedit. Nam præter excluſionem ab opere tanti apud Deum meriti, tantæque dignitatis, certum eſt, eripi illi expeditiſſimam rationem vrgendi ſeipſum ad ea bona, ad quæ alios concionando velit impellere. Nemo enim niſi deſipiat, diſertus eſſe contra ſeipſum velit, vrgendo alios ad bonum, de cuius omiſſione notari poſſit; vel abſtrahendo eos à vitiis quibus ipſemet ſordeat.

Quale malum excommunicato, Iuriſdictione Eccleſiaſtica exui, per excommunicationem.

35. Minutiæ priuationum, ſecundæ huic ſeriei adiunctarum; priuatio inquam Iuriſdictionis in foro vtroque Eccleſiaſtico, pœnitentiæ nimirum & contentioſo; item priuatio expeditionis ac idoneitatis ad beneficia Eccleſiaſtica adipiſcenda, & Eccleſiaſticos per ea prouentus comparandos; hæ inquam & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles priuationes, non eſt quod fusè expendantur ad conflandam inuidiam excommunicationi. Nam pleroſque non multum tangunt, non paucis etiam videntur optandæ atque captandæ. Et præfecturas

fecturas quidem ſacras vniuerſas, eſſe periculi pleniſſimas, dixi plenè initio commonitorij de moderatione moderatorum, benéque præter cæteros id docet Origenes hom. 5. in Ezech. Qui in eas irrepunt indigni, (& irrepunt penè innumeri,) cathedram peſtilentiæ qua ſibi & aliis exitium creënt conſcendere, flebilibus admodum modis deplorat Petrus Bleſenſis epiſt. 23. Præcipuam Chriſti perſecutionem hinc exiſtere, ſic docet S. Bernardus ſerm. 1. de conuerſ. S. Pauli. [Amici tui Deus & proximi, aduerſum te appropinquauerunt & ſteterunt. Coniuraſſe videtur contra te vniuerſitas populi Chriſtiani à minimo vſque ad maximum, à planta pedis vſque ad verticem, non eſt ſanitas vlla. Egreſſa eſt iniquitas à ſenioribus iudicibus Vicariis tuis, qui videntur regere populum tuum. Non eſt iam dicere, vt populus, ſic Sacerdos: quia nec ſic populus vt Sacerdos. Heu heu Domine, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum. Arcem Sion occupauerunt, apprehenderunt munitionem, & vniuerſam deinceps liberè & poteſtatiuè tradunt incendio ciuitatem. Miſera eorum conuerſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubuerſio eſt. Atque vtinam ſola hac parte nocerent. Eſſet fortè qui dominica pręmonitus & præmunitus exhortatione, daret operam ipſorum non exempla imitari, ſed obſeruare pręcepta, iuxta illud: *Quæ dicunt facite, & ad opera eorum nolite reſpicere.* Nunc autem dati ſunt ſacri gradus in occaſione turpis lucri, & quæſtum ęſtimant pietatem. Copioſiſſimæ ſiquidem pietatis inueniūtur in ſuſcipienda (imo accipienda magis,) animarum cura; ſed hæc apud eos cura minor, & de animarū ſalute nouiſſima

cogitatio

cogitatio eſt. An verò Saluatori animarum grauior vlla eſſe poterat perſecutio? Iniquè agunt & cæteri contra Chriſtum, multique ſunt noſtris temporibus Antichriſti. Meritò tamen, cenſet crudeliorem eam perſecutionem pro acceptis beneficiis, & grauiorem ſentit pro tempeſtate, quam propriis ſuſtinet à Miniſtris.]

36. Iuriſdictionem verò Eccleſiaſtici fori contentioſi, rem eſſe periculoſæ aleæ plenam, latè diſſerit Petrus Bleſenſ. epiſt. 25. agens de Officiali Epiſcopi, cuius eſt eam iuriſdictionē exercere. [Credo (inquit,) huiuſmodi Officiales, non ab *officio* nomine, ſed ab *officio* verbo mutuaſſe vocabulum. Nam genus hoc hominum, quod dicunt *officiperdi*. Tota officialis intentio eſt, vt ad opus Epiſcopi, ſuæ iuriſdictioni commiſſas miſerrimas oues, quaſi vice illius tondeat, emūgat, excoriet. Iſti enim ſunt Epiſcoporum ſanguiſugę, euomentes alienum ſanguinem quem biberunt, quia teſtimonio Scripturæ, *diuitias quas congregauit impius, euomet, & de faucibus illius extrahet eas Deus*. Iſti ſunt quaſi ſpongia in manu prementis, quaſi quædam colatoria diuitias ſuis Dominis influentes, & execrandis acquiſitionibus nihil ſibi præter peccati ſordem & fæculentiam retinentes. Quod enim aggregant per oppreſſionem pauperum, Epiſcopis quidem ad delicias cedit, Officialibus ad tormentum. *Sic vos non vobis mellificatis apes, ſic vos non vobis accumulatis opes.* Iſti ſunt ſecretiora illa oſtiola per quæ Miniſtri Belis, ſacrificia quæ ſuper menſam ponebantur à Rege, clanculum aſportabant. Sic Epiſcopus quaſi longa manu bona aliena diripit, & notam criminis à ſe remouens, ſuis officialibus culpæ, & infamiæ diſcrimen

 impingit.]

impingit.]Et mox. [Officium Officialium quorum te numero aggregaſti, hodie eſt iura confundere, ſuſcitare lites, tranſactiones reſcindere, innectere dilationes, ſupprimere veritatem, fouere mendacium, quæſtum ſequi, æquitatem vendere, inhiare exactionibus, verſutias concinnare. Iſti ſunt qui hoſpites ſuos grauant, ſuperflua euectione, & multitudine clientelæ. Quærunt delicatos, & ſuperfluos cibos, cum ſcriptũ ſit: *Comedentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt*. De alieno enim prodigi, de proprio ſunt auari; verborum inſidiatores, & aucupes ſyllabarum: tendunt laqueos, & pedicas in capturam pecuniæ. Iura interpretantur ad libitum, & ea pro voluntate ſua nunc abdicant, nunc admittunt, benedicta deprauant, prudenter allegata peruertunt, rumpunt fœdera, nutriunt ſimultates, fornicationes diſſimulant, matrimonia diſtrahunt, adulteria fouent, penetrant domos, & mulierculas peccatis oneratas, captiuas ducunt; diffamant innoxios, & nocentes abſoluunt. Et vt multa ſub verborum paucitate concludam, dum omnia venaliter agunt, filij auaritiæ, ſerui mammonæ, ſe diabolo venales exponunt.]

Quale item priuari per eam ſacris prouentibus.

37. Prouentus denique Eccleſiaſtici, ſapientibus viris eiuſmodi videntur, quibus carere ſit longè ſatius. Nam hæc bona, mixta patrimonio, eſſe ignem abſumentem, notauit Cantiprat. lib. 1. Apum c. 18. n. 1. facitque eodẽ pulchra narratio quæ habetur apud Raderum 3. p. viridar. cap. 6. §. 17. Quo magis autem hæc bona accumulantur, eo maiorem perniciei ac ruinæ

ruinæ occaſionem accumulari, tractant, qui diſſerunt de periculoſa beneficiorum pluralitate. In quam rem multa habet laudatus proximè Cantipratanus l.1.cap. 19.à num.5.iudicia grauiſſimorum æui ſui Doctorum referens,& diuinam in contemptores vltioné,exemplis teſtatam faciens. Videndus etiam tractatus Gulielmi Pariſienſis *de pluralitate beneficiorum*, malè prętermiſſus in editione Veneta Operũ Gulielmi: extat autem cuſus Argentinæ anno 1507.cum alio eiuſdem autoris Opere æque prætermiſſo, cui titulus eſt, *de collatione beneficiorum.* [Quis non horreat, (exclamat idem Gulielmus Pariſ.l.de virtut.cap.11.)laſciuire in ſanguine Chriſti,& martyrum, ac voluptate diſſolui in tantis laboribus, ſudoribus, atque doloribus Sanctorum?]Optimè profectò. Nam prouentus Eccleſiaſtici, aliud non ſunt quàm ſanguis Chriſti, & ſanctorũ.Sicut opes quas quis parauit laboribus ſuis, dicũtur eius ſanguis,vt notaui in Opere de martyr. p. 1.cap.5.Sic pretium vniuerſitatis,ſanguinem inquam Chriſti,marſupiis includi & exitiali Iudæ imitatione, Chriſtum prodi denuo dixit S. Bernardus, vel quiſquis apud eum autor ſermonis ad Patres congregatos Rhemenſi in Concilio, *ante medium.* Ditantur hinc à pleriſque nepotes, errore non nouo. Nam etiam ante quatuor ſecula Petrus Bleſenſis epiſt. 51. dixit.[Hodie pro filiis quos abſtulit Prælatis Eccleſiæ Deus, habere nepotes, in diſſipationem patrimonij Chriſti, & in ſuæ ſalutis diſpendium permittuntur.] Sed has diuitias de ventre deglutientium, extrahit Deus ſeriùs ocyùs, de quo experientia crebra ambigere non ſinit.

Rectè igitur aſſumpſiſſe videor, priuationem mu-

nerum & bonorum propoſitorum, non magni à pleriſque fieri. Vnde penes eam vrgere ac premere excommunicationis damna, non placuit. Neque tamen negandum eſt, hoc eſſe aliquod damnum. Sacra enim iuriſdictio vtriuſque fori Eccleſiaſtici, ſtillicidium eſt pleniſſimæ illius poteſtatis, quæ à Chriſto Domino Summis Pontificibus Vicariis ſuis, in vniuerſam Eccleſiam ad eius regimen eſt attributa. Vnde eius poſſeſſio & vſus, ſi per eum cui obtigit non ſtet, ad non exigua bona poteſt conducere. Quod item de ſacris beneficiorum Eccleſiaſticorum prouentibus, eſt affirmandum. Quare cum excommunicatus his omnibus priuatur, aliquo vtique bono priuatur, quo gratiæ & gloriæ non exiguas acceſſiones, fas fuerat emercari.

Excluſio à fructu ſuffragiorum communium damnoſiſſima.

28. Series poſtrema priuationũ quibus excõmunicatio continetur, cõprehendit priuationẽ ſuffragiorũ cõmunium, quà ſacrificio, quà orationibus in perſona Eccleſiæ fuſis exhibitorũ, itémque indulgentiarum, & protectionis quam Deus ſpopondit Eccleſiæ. Suffragia communia quanti ſint apud Deum, videbimur fortaſſis, iam attigiſſe ſuperiùs, exponendo damnum excommunicati per excluſionem ab oratione communi. Sed ibi ſpectabamus orationem, communiter quidem fuſam à pluribus, quorum tamen quilibet ſuo proprio nomine precaretur; etiamſi eſſet aliqua orationis vnitas, ratione circunſtantiarum. Nunc verò ſpectamus orationem verè communem, id eſt, fuſam nomine totius Eccleſiæ, cuius orationis fructu excluditur

excluditur excommunicatus. Eſt autem diſpendium hoc longè maximum. Nam ſi paucos aliquos, ſimul quidem quoad temporis & loci adiuncta, reuera autem non niſi concomitanter orantes, Deus faciliùs exaudit, vt fert promiſſio repræſentata Matth. 18. quanto magis orationem totius Eccleſiæ nomine fuſam, certum eſſe debet audiri à Deo, cui Eccleſia eſt in deliciis? Verbum Chryſoſtomi eſt ſerm. cum de expulſione eius ageretur, *ſub initium.* [Gratioſior Deo eſt Eccleſia, ac longè amabilior, cœlo ipſo. Siquidem cœli corpus, nō accepit: Eccleſia verò carnem aſſumpſit. Propter Eccleſiam conditum eſt cœlum, nō item propter cœlum Eccleſia.] Sanè grauiſſimi Doctores nominatímque S. Thomas in 4. d. 45. q. 2. art. 1. quæſtiunc. 2. Soto ibid. q. 2. artic. 1. Nauar. Enchir. de orat. cap. 19. concluſ. 4. à num. 59. & cap. 20. à num. 39. Suarez t. 4. 3. p. d. 48. ſ. 8. num. 3. diſertè pronunciant, orationem factam à Miniſtris nomine Eccleſiæ, tantæ eſſe ad impetrandum efficacitatis, vt etiamſi Miniſtri ſic orantes ſordeant peccatis, tamen oratio eandem vim impetrandi obtineat: quia non ſpectatur conditio internuncij, quem exoſum eſſe ſupponimus, ſed eius cuius perfert mandata; nempe Eccleſiæ, cuius nomine fit petitio. Eccleſia enim quatenus eſt vnum corpus myſticum, poteſt deſideria ſua & petitiones Deo proponere per hunc vel illum. Ea autem propoſitio, prout eſt ſignum voluntatis ac deſideriorum Eccleſiæ, haurit ab Eccleſia vim ad exorandum, & dignitatem. Licet enim nuncius indignus ſit ac diſpliceat, tamen Eccleſia digniſſima eſt, & Deo acceptiſſima. Quinimo, etiamſi ſupponeremus non modò perſonam miniſtrorum, ſed etiam ipſum eorum actum,

hoc eſt orationem ſic fuſam, viriari ex parte eorum: Tamen Eccleſię dignitas,& orationis quoad ſubſtantiam bonitas, ſatis ſupérque eſſet, vt ſuffragatio illa non eſſet caſſa & infructuoſa, ſed impetratoria; vel infallibiliter & ex certa promiſſione;vel ſi ea promiſſio non videatur planè certa, & omnino infallibilem impetrationem in ea fundare non liceat;eſt tamen ea oratio frequentiſſimè impetratoria, vt Suarez ſupra n. 8. philoſophatur de remiſſione pœnæ temporalis per huiuſmodi orationem.Eſt autem par ratio de cæteris rebus, ad quas impetrandas Eccleſia orationem nomine ſuo fundi mandat. Non igitur ei officit Miniſtri peccatum inter orandum.Nec id negat D. Gregorius p.1.paſtor.c.11.quia non agit de Miniſtro peccante inter orandum nomine Eccleſiæ, ſed de eo qui malè orat ſuo nomine,& vt eſt priuata perſona.

39. Eſt ergo damnum quod hac ſuffragiorum communium priuatione infertur longè maximum,& tam dignum quod ſummo ſtudio declinetur; quàm ſuffragia ipſa nomine Eccleſiæ fuſa, ſunt captatu digniſſima; de quo neminem Chriſtianum ambigere poſſe exiſtimo; cum ex amore quo Chriſtus Eccleſiam & vnitatem eius proſequitur per ſe pateat,quãti apud eum ſint preces,oblatæ vniuerſę Eccleſiæ nomine,ac in eius perſoná. Scitè apud Cantipratanum lib.1.Apum,cap.12.num.2. & 3. refertur, qua ratione Comes Campaniæ,princeps admodum religioſus, cũ in tranſmarinis partibus verſaretur,vim ſuffragiorum vnius homuncionis quem de ſuis bonis ſuſtentari mandarat,expertus ſit. Quandiu enim diſpenſatores quibus pauperem benignè habendum commiſerat, functi ſunt officio,& iuſſa Domini exequentes,paue-

runt

runt & curarunt egenum; tandiu res Comiti optimè ceſſerunt. Ex quo autem pauper à diſpenſatoribus neglectus, ſuffragari Comiti deſtitit, exinde Comes in grauia incommoda & calamitates incidit. Itaque domum regreſſus Princeps, cùm interrogato paupere, & ſubductis ritè temporibus, comperiſſet, cauſam ærumnarum ſuarum fuiſſe, quòd per ea tempora orationibus pauperis fuiſſet fraudatus; iram in diſpenſatores infideles conuertés, malè multatos à ſe abiecit. Multorum autem interpoſitis precibus, rem ſummi Pontificis arbitrio permittens, eos Romam ablegauit. Pontifex re audita, reſponſum Comiti dedit, vt infidos adminiſtros in gratiam reciperet, accepto ab eorum ſingulis nummo aureo. Sed cum nummi aurei latitudinem ſpiſſitudinémque, exponi à Pontifice oportere dixiſſet Comes, renunciatum denique Romæ eſt, oportere [nummum illum aureum habere latitudinem terræ, & ſpiſſitudinem eius extendi vſque ad altitudinem cœli: eo quod orátio iuſti qua Comitem fraudauerant, cœlos penetret, & virtus eius corroboret vniuerſa.] Obſecro, ſi tanta eſt vnius miſelli homuncionis precū vis, & tanti fructus ab ipſo ſummo Pontifice habita eſt ſuffragatio vnius ſolius médici, quantam fateri neceſſe eſt eſſe vim precum vniuerſæ ſanctæ Dei Eccleſiæ, in qua tot iuſti, tot vtriuſque ſexus præſtantiſſimæ & Deo acceptiſsimæ animæ? Imo Petrus Soto lect. 2. de excom. inde quoque pendi vult efficaciam publicarum Eccleſiæ precum, quod iis non viatorum duntaxat ſed cœlitum quoque orationes contineantur. Nam ſanctorum iam cœlo illatorum preces, apud Deum haud dubiè ſonant, nec diſſociantur à precibus viatorum, quibuſcum pietate

EE 4 &

& charitate nectuntur. Ita quidē Soto ibi. Nihilominus non puto Eccleſiæ militanti quicquam iuris eſſe in cœlitum ſuffragia, ita vt poſſit fructu precum à cœlitibus ad noſtram miſeriam leuandam fuſarum, ſpoliare excommunicatum. Nec illud item ſatis intelligo, quod ibidem addit Soto: Nimirum publicam illam totius Eccleſiæ intentionem, qua pia mater pro filiorum ſalute in communibus precibus ſollicitam curam gerit, regulá eſſe & directionem ac medium ſpecialium omnium intentionum, quatenus quicquid ſingula membra operantur in Eccleſia, dirigunt iuxta eius intentionem & per eam Deo offerunt, ſi ſanè & prudenter ſentiunt: nec vllus qui Eccleſiæ vnitus eſt aliter quicquam agit, etiamſi hoc non cogitet. Hæc dico à me nō ſatis intelligi, & reſpuenda videri. Nam de omnium Doctorum ſententia, fas eſt cuiuis fideli orare priuatim pro excommunicato, quod tamē iuxta Sotum eſſet illicitum; imo nunquam fieret, cum dicat fideles per publicam Eccleſiæ intentionem dirigere orationes ſuas, nec aliter orare, quàm ferat illa Eccleſiæ intentio, etiamſi non cogitent. Quare ſatis eſt, grauitatem damni conſequentis priuationem ſuffragiorum communium, metiri ex ademptione precum nomine totius Eccleſiæ militantis fuſarum.

Obiter de damno excluſionis ab Indulgentiis.

40. Indulgentiarum vſus quo excommunicatus prætereà priuatur, eſt planè magnus: ideóque damnum ea priuatione irrogatum, non poteſt leue videri. Quàm enim optandum eſt, reatum ex peccatis condonatis ſuperſtitem, aliena impenſa abolere, & con-

tractorum

tractorum nominum fideiuſſores, imo diſſolutores, nanciſci locupletes & copioſos; Ipſum inquam Chriſtum Dominum, & Sanctos, è quorum reſiduis ſatisfactionibus inexhauſtus ille theſaurus conflatur, quẽ Eccleſiæ Rectores per indulgentias erogant fidelibus? Notum eſt iuxta antiquos Canones & priſcam Eccleſiæ diſciplinam, quantæ quámque aſperæ pœnæ, vni vel paucis lethalibus culpis imponerentur. De acerbitate quoque ſuppliciorum in emendatoriis ignibus inferendorum, niſi ſordes peccatorum, hîc dum vita ſupereſt, eluantur pœnitentiæ lixiuio, vt loquitur autor ſermonum ad fratres in eremo ſerm. 11. dubitare non licet Catholico, in tam aperta SS. Patrum conteſtatione, de illorum ſuppliciorum grauitate. Quod ergo dignis pœnitentiæ propriæ fructibus eluere, eſſet permoleſtum; in igne autem Purgatorio expiare, multo durius foret, ſumma facilitate abſtergitur à peccatore, ſi indulgentias conſequatur. Vt mihi ſtuporem non rarò iniiciat, ſtupor vulgi Catholicorum; qui huiuſmodi veritatem fide ſanctam habentes, adeò tamen torpent in abradendis peccatorum ſuorum reliquiis; reatu inquam è peccatis dimiſſis ſuperſtite per indulgentias abolendo; quam eſſe eius tollendi rationem omnium expeditiſſimam diximus. De damno ergo excommunicati ex hoc capite, liquere puto.

Immenſum damnum negatæ excommunicato ſpecialis protectionis, perſtrictum.

41. Coronis malorum penes quam excommunicationis horror concipiendus meritò ſit, propone-

batur carentia ſpecialis protectionis diuinæ,& Angelici præſidij peculiaris. Hunc damnorum excommunicationis (vt ita dicam) apicem,nemo rectè æſtimarit, cui noſtra diuinæ illius ſpecialis protectionis neceſſitas,& vbertas fructuum ex peculiari illo Angelico præſidio obueniens, non ſit explorata. Verſamur hîc in perpetuis diſcriminibus, vallati, & obſepti, vel etiam oppreſſi,hoſtium in noſtram perniciem iuratorum examinibus populoſiſſimis,cum internis tum externis, vt non dubitet S. Cyprianus ſub initium libri de mortalitate prę tot támque denſis certaminibus,& hoſtium inſultibus, mortem ipſam ducere optabiliorem. [Quid aliud(inquit)in mundo quàm pugna aduerſus diabolum quotidie geritur? Quàm aduerſus iacula eius, & tela conflictationibus aſſiduis dimicatur? Cum auaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione,congreſſio eſt.Cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus,aſſidua,& moleſta luctatio eſt.Obſeſſa mens hominis,& vndique diaboli infeſtatione vallata,vix occurrit ſingulis,vix reſiſtit. Si auaritia proſtrata eſt,exſurgit libido; ſi libido compreſſa eſt,ſuccedit ambitio;ſi ambitio contempta eſt,ira exaſperat,inflat ſuperbia,vinolentia inuitat,inuidia concordiam rumpit, auaritiam zelus abſcindit. Cogeris maledicere quod diuina lex prohibet,compelleris iurare quod non licet.Tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur & delectat hic inter diaboli gladios diu ſtare, cùm magis concupiſcendum ſit & optandum ad Chriſtum ſubueniente velociùs morte properare.]

Ago in hanc rem copioſè, tractans titulum illum quo Chriſtus dicitur Rex virtutum, ſiue Princeps exerci

exercituum Domini. Tot ergo támque malignorum hoſtium nequitiam ſollicita auertere diuina prouidentia, mille iuuandi artibus ac modis, quâ præcauendo, quâ retundendo, quâ vertendo in bonum malè intentata, proſpicit per ſe ac ſuos adminiſtros, ſaluti ac tutelæ fidelium, communione Catholica potientium. Excommunicatus verò, tametſi non eſt diuinæ protectionis & Angelici præſidij prorſus expers, iis tamen ſpecialibus bonis ac fauoribus ad eam ſpecialem protectionem pertinentibus priuatur, quorum diuina promiſſio exhibita Eccleſiæ, ſecuros facit fideles non præciſos. Idque voluerunt Gloſſa ad cap. *audi.* 11.q.3. & Panormit. rubric. de ſent. excom. num. 4. cum dixerunt Angelum cuſtodem minus operari erga excommunicatum quàm ante excommunicationem. Hæc quanta ſit deſtitutio, & quàm certa moraliter in peius progreſſio, ac in extremum exitium præcipitatio, citra omnem expenſionem res ipſa prodit.

Quàm iuſtus excommunicationis horror, è tot eius malis in viuos.

42. Obſigno hoc caput, & expenſionem grauiſſimorum damnorum quæ excommunicatio viuis infert, ea apoſtrophe qua Laurent. Iuſtinianus ſerm. in Domin. Palmarum, affatur religioſum proprietarium, eo nomine excommunicatum. Quòd enim in huiuſmodi ſpecialem excommunicatum dixit, æquè in alios quoſuis cadit. [Pertimeſce (inquit) quiſquis per excõmunicationis cenſuram ab Eccleſiæ vnitate alienus efficeris, ne in eadem ſententia corporis & animæ patiaris interitum. Pauc ſæuientium beſtiarum incurſus, quæ foris errantes diripere conſueuerunt. Scito te toties

ties eſſe alienum à Chriſto,quoties per religionis tuæ ſtatuta excommunicaris à Præſule. Noli (quæſo) pro paruis, atque pro terrenis commutare cœleſtia. Noli inquàm pro peritura ſubſtantia,participatione carere fidelium. Omnium bonorum quæ in Eccleſia fiunt, communicatione te priuas, ſi excommunicatus in cordis obduratione perſiſtas. Nam quemadmodum abſciſſum membrum nullo modo vegetatur in corpore; ita inhærens viuificans ſpiritus nutrire nos deſinit. Hoc Propheta inſinuans inquit: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua.]

Profecit Iuſtinianus ex D. Auguſtino, cuius illa ſunt ſanè aurea & ad hunc locum aptiſſima tract. 27. in Ioann.ad illud, *verba quæ ego loquor vobis,ſpiritus & vita ſunt.* Præfatus namque, vnionem fuiſſe commendatam communione Euchariſtiæ, vt in Chriſto maneamus, & Chriſtus in nobis, ſubdit. [Manemus enim in illo, cum ſumus membra eius, manet autem ipſe in nobis,cum ſumus templum eius. Vt autem ſimus membra eius, vnitas nos compaginat;vt compaginet vnitas, quid facit niſi charitas? Et charitas Dei vnde? Apoſtolum interroga.*Charitas*(inquit)*Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.* Ergo Spiritus eſt qui viuificat. Spiritus enim facit viua membra,nec viua membra ſpiritus facit,niſi quę in corpore quod vegetat,ipſe Spiritus inuenerit: nam ſpiritus qui eſt in te ô homo, quo conſtas vt homo ſis, nunquid viuificat membrum quod ſeparatum inuenerit à carne tua?Spiritum tuum dico, animam tuam. Anima tua non viuificat niſi membra quæ ſunt in carne tua. Vnum ſi tollas,iam non viuificatur

catur ex anima tua, quia vnitati corporis tui non copulatur. Hæc dicuntur, vt amemus vnitatem, & timeamus ſeparationem. Nihil ſic enim debet formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à corpore Chriſti. Si enim ſeparatur à corpore Chriſti, non eſt membrum eius: ſi non eſt membrum eius, non vegetatur ſpiritu eius. *Quiſquis autem* (inquit Apoſtolus) *Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius.*] Non eſt quod timorem vltra facere, & horrorem incutere poſſit, ſi hoc non facit. Qui ad hoc tonitru non excitatur, non ſurdus aut ſopitus, ſed exanimis & mortuus audire debet.

CAPVT VI.

Virulentia excommunicationis, ex damnis quæ mortui fideles ob eam in vita contractam, nec ablatam, ſubeunt, aperitur.

1. QVÆ ſuperiori capite expoſuimus, ingentem omnino excommunicationis malignitatem ex tam tetris eius effectibus, patefactam dederunt. Non exiguum tamen illius malignitatis ſuperpondium eſſe, ęquus arbiter ſtatuet, quòd homini, poſt mortem quoque ſit infeſta, cum arceat eum à magna parte ſubſidiorum, quibus datur nobis iuuare mortuos. Enumerat in hunc modum, præcipua ex illis ſubſidiis S. Auguſt. ſerm. 32. de verb. Apoſt. [Pompa funeris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, monumentorum opulenta conſtructio, viuorum ſunt qualiacumque ſolatia, non adiutoria mortuorum.

mortuorum.Orationibus verò ſanctæ Eccleſiæ,& ſacrificio ſalutari,& eleemoſynis quæ pro eorum ſpiritibus erogantur, non eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cū eis miſericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorantur, oritur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur.] Dixi, S. Auguſtinum ibi,præcipua tantùm ſubſidia iuuandi vita functos attingere, quia iiſdem, S. Gregorius aut quiuis alius cuius eſt cap. *anima defunctorum*.13. q. 2. adiungit ieiunium. Et certum eſt omnia æquè opera pœnalia fidelium,cum ſint ſatisfactoria, poſſe æquè eodem conferri. Agitur de his mortuorum ſubſidiis,ab his qui de Purgatorio vel de ſatisfactione diſſerunt, & benè à Thyræo l. de locis infeſtis à c.74.ad 82.Omnino ergo ingens eſt diſpendium excommunicati, quod tametſi Deo per contritionem reconciliatus, tamen ſi ante exſolutionem ab excommunicatione mortem obeat,arceatur à magna parte ſubſidiorum, quibus fas nobis eſt iuuare defunctos. Arcetur enim à ſepultura in loco ſacro, & à ſuffragiis communibus:hoc eſt à fructu ſacrificij,quatenus nomine Eccleſiæ exhibiti, itémque orationum nomine Eccleſię fuſarum.Remouetur denique à participatione indulgentiarum è communi theſauro depromptarum, & mortuis per modum ſuffrágij applicabilium.Hęc diſpendia quàm magna ſint,atque adeò quantoperè ex hoc capite ſit extimeſcenda excommunicatio,breuiter eſt attingendum.

Negatio

Negatio ſepulturæ Chriſtianæ, quàm damnoſa excommunicato.

2. De damno excommunicati ob negatam ſepulturam in loco ſacro, nemo rectè pronunciarit, niſi qui commoda ſepulturę in loco ſacro conceſſæ, benè perſpexerit. Agit de commodis illis S. Auguſtinus l. de cura pro mortuis, cap. 4. & 5. quem allegat qui idem quoque argumentum verſauit Iulianus Toletanus l. 1. prognoſt. cap. 20. Summa doctrinæ quam tradunt, eo breuiter reducitur, quod non poſſit quidem locus aliquid per ſe conferre mortuo; Inde tamen non parum commodi ad mortuum deriuetur, quod occaſione loci ſancti in quo iacet, commeantium illuc fidelium orationibus adiuuetur. Quæ eſt etiam S. Gregorij ratio l. 4. Dialog. c. 50. Accedit quòd Eccleſia, loco ſacro ſuas preces ac ſuffragia veluti conſeruit, quod eſt potentiſſimum medium ad leuamen à Deo fidelibus illic iacentibus exorandum. Has ob cauſas, pij quique iam olim magna ſollicitudine curarunt dum aduiuerent, vt poſt mortem tumularentur in locis ſacris, & benedictione Eccleſiaſtica ad ſepulturam fidelium addictis; notíſque ac cognatis mortuorum magna religio fuit, id beneficium illis curare. S. Ambroſius in Satyri fratris epitaphio his verſibus concinnato, hanc ſibi fuiſſe mentem monſtrauit.

Vranio Satyro, ſupremum frater honorem,
Martyris ad læuam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, vt ſacri ſanguinis humor,
Finitimas penetrans abluat exuuias.

Protuli in eam rem non pauca in Opere de Martyr.

P. 4.

p.4.c.6.num.7.E contrario autem apud S.Cyprianum epiſt.68.num.25.magno probro datur Martiali Pſeudoepiſcopo Hiſpano, [quod filios in eodem Collegio exterarum gentium more,apud profana ſepulchra depoſuiſſet,& alienis conſepeliuiſſet.] Nunc quoque hominibus execrandis quibus pro ſceleribus vita eripitur, complementum ſupplicij decerni ſolet,vt ſepeliantur ſepultura aſini,careantque Eccleſiaſtica tumulatione. Ex amaritudine igitur huius effectus, pronunciare fas erit de acerbitate excommunicationis eum inferentis, & quantum ſit extimeſcenda colligere.

Quàm item negatio ſacrificij nomine Eccleſiæ.

3. Sacrificium quoque incruentum *defunctis* prodeſſe,certa eſt Eccleſię Catholicæ fides,nec vllum eſſe defunctorum ſubſidium cum ipſo conferendum, affirmat Gabriel lect. 57. in Canon. Ardens ſtudium curandi animæ ſuæ huius ſubſidij, exhibuit ſub vitæ metam S.Monica,adiurans tam ſtudioſè Auguſtinum filium moribundæ aſtantem,vt ad altare ſanctum memor eſſet parẽtis,poſtquàm exceſſiſſet è viuis. Narrat hoc ipſe D.Auguſt.l.9.Confeſſ.qui etiam ſerm.32.de verbis Apoſt.ait à Patribus traditum, ab vniuerſa Eccleſia obſeruari morem illum animas defunctorum ſubleuandi per incruentum ſacrificium. Videndus prætereа in Enchir.cap.110.& l.20.Ciuit.c.9. Quanta affectus teneritudine S. Ambroſius, cum Valentinianum Imperatorem, tum fratrem Satyrum, oblato pro eis ſacrificio Miſſæ, commendarit Deo, videre apud eum licet in vtriuſque monodia. Quia non hoc ago,

ago, vt fidelium mortuorum leuamen per Miſſæ ſacrificium ſtabiliam, quod Ioannes Garetius & Iodocus Coccius, prolatis ex omni Chriſtiano ſeculo Doctorũ claſſibus, aliíque innumeri omni genere probationis aſtruxerunt, tempero pluribus. Tantúmque dico, quod noſſent antiqui Chriſtiani quantopere ſacrificium Miſſæ prodeſſet defunctis, non illis ſat fuiſſe curare mortuis ſacrificium quo díe exceſſiſſent è viuis, ſed die inſuper tertia, item ſeptima, nona, trigeſima, quadrageſima, & anniuerſaria: quod ex antiquiſſimis Patribus diligenter de more confirmant Durantus l.2.de ritibus c.43.num.5.& 6. Turrianus l.4.pro epiſt.Pontif.c.12.13.& 14. & Pamelius ad epiſt.66. S. Cypriani num. 13. & Tomo 1. Liturg. ſeculo 1. pag. 77. Nimirum agnoſcebant columnæ illæ Chriſtianitatis, quantum in Miſſæ ſacrificio ſubſidium eſſet fidelibus defunctis repoſitum. [Non fruſtra, hæc (inquit præter cæteros Chryſoſtomus homil. 3. in ad Philipp.) ab Apoſtolis ſunt legibus conſtituta, vt in venerandis atque horrificis myſteriis memoria eorum fiat; qui deceſſerunt, nouerunt hinc multum ad illos lucri accedere, multum vtilitatis. Eo enim tempore quo vniuerſus populus ſtat manibus paſſis, ac cœtus Sacerdotalis & illud horrorem venerationis plenũ incutiens ſacrificiũ, quomodo Deum non placabimus, pro iſtis orantes? Atque id quidẽ de iis, qui in fide deceſſerunt.] Addit, nequaquam id pertinere ad Catechumenos, quia non exceſſerunt initiati. Quod quomodo accipiendum ſit, ſuo loco diſcuſſum eſt.

Sine controuerſia tamen ſtatuendum eſt, quod de Catechumenis vita functis affirmat ibi S. Chryſoſtomus, nempe eos ex intentione Eccleſiæ non iuuari

per incruentum ſacrificiũ quatenus nomine Eccleſiæ offertur, valere quoad excommunicatos: atque adeò eripi illis potentiſſimum illud ſubſidium, quo ſubleuari potuiſſent, ſiue per ſacra ſpecialiter illis applicata curantibus cognatis & amicis, ſiue per generalem in omnibus vbilibet terrarum ſacrificiis commemorationem mortuorum prout factam nomine Eccleſiæ, ſponſæ apud Deum gratioſiſſimæ. Eodem enim modo quo excommunicati viuentes fraudantur fructibus ſacrificij, vt in ſuperioribus eſt expoſitum, eodem proportione ſeruata, mortui quoque, excluduntur eorundem fructuum participatione. Itaque hoc diſpendium in tanta animarum calamitate quantam mox attingam, eſt ſanè maximum, & dignum ratione cuius excommunicatio illud inferens, omnibus benè ſibi proſpicientibus, ſit horrori.

Ac etiam precum communium.

4. Eſt & alia victima, quam pro defunctis fidelibus exhibere Deo ſolet Eccleſia; preces nimirum cõmunes. Has quippe nomine alterius ſacrificij pro defunctis, donat S. Chryſoſtomus perilluſtri loco ex homil. 41. in 1. ad Cor. quem de proprio proximè memorato, & de hoc improprio per preces ſacrificio, ſplendidè agentem, iuuat adſcribere. [Non eſt temerè hoc excogitatum, nec fruſtra eorum qui exceſſerunt in diuinis myſteriis meminimus, & pro ipſis accedimus rogantes agnum propoſitum, qui mundi peccatum tulit; ſed vt inde eis ſit aliqua conſolatio. Neque abs re is qui adſtat altari dum veneranda peraguntur myſteria, clamat: Pro omnibus qui in Chriſto dormierunt, & iis qui pro ipſis celebrant memorias. Nam

ſi pro

ſi pro ipſis non fierent commemorationes, ne hæc quidem dicta eſſent. Non ſunt enim res noſtræ ludi ſcenici, abſit. Hæc enim fiunt ordinatione ſpiritus. Eis ergo opem feramus, & commemorationem eorum peragamus. Si enim Iobi filios expiabat patris ſacrificium, quid dubitas an nobis pro eis qui exceſſerunt offerentibus, eis exiſtat aliqua conſolatio? Solet enim Deus etiam aliis pro aliis gratificari. Et hoc oſtendebat Paulus dicens: *Vt ex multis perſonis eius quæ in nobis eſt donationis, per multos gratiæ agantur pro nobis.* Ne nos pigeat opem ferre iis qui exceſſerunt, & pro eis offerre preces. Eſt enim propoſitum, orbi terræ commune piaculum. Propterea fidenter pro orbe terræ tunc rogamus, & cum martyribus eos vocamus, cum Confeſſoribus, cum Sacerdotibus; etenim vnum corpus omnes ſumus, etiamſi ſint membra membris ſplendidiora, & fieri poteſt, vt veniam eis omni ex parte conciliemus à precibus, à donis, quæ pro eis offeruntur.] Petrus Damiani Opuſc. 33. c. 5. hæc eſſe defunctorum alimenta, eleganter dixit. Pius æquè ac fortis Iudas Machabæus, ſanctam hanc & ſalubrem cogitationem appellauit pro defunctis orare, vt à peccatis ſoluantur. Sanctam quidem ex parte ipſorum orantium, quos charitas ad hanc miſericordiam afflictiſſimis animabus impendendam impellit. Salubrẽ verò, & orantibus qui alios iuuantes, ſibi primùm proſunt, & præcipuè animabus huius ſubſidij egentiſſimis. Quod tamen qua ex parte poteſt eſſe efficaciſſimum, hoc eſt qua ex parte preces ſunt publicæ, & Deo nomine totius Eccleſiæ exhibentur, eſt excommunicatis inutile, quia ex intentione Eccleſiæ inde excluduntur.

5. Indulgentiarum denique theſaurum ex Chriſti & Sanctorum ſuperabundantibus ſatisfactionibus conſtantem, quo alienis impenſis debitæ pro abſterſis peccatis pœnę redimuntur, Eccleſia diuinitùs edocta, ita fidelibus defunctis releuandis applicat per modum ſuffragij, vt ad excommunicatos, quos viuentes earum opum participatione excluſerat, nihil illius cœleſtis beneficentiæ deriuari patiatur. Et quidem pia mater, pro fidelibus vita functis (quod Bracharius epiſt. ad Ianuarium ſcitè aduertit) non ſecus ſollicita eſt, quàm Aia filia Reſpha, olim Saulis concubina, pro filij ſuſpenſi cadauere à volucribus ſeruando, donec ſtillaret ſuper illud ros de cœlo. Tamen pro mortuis excommunicatis, claudit ex hac parte viſcera miſericordiæ, nec eos communium illorum bonorum participes vlla ex parte eſſe concedit.

Neceſsitas ſubſidiorum prædictorum, ex tanta Purgatorij acerbitate.

6. Verùm vt liquidiùs perſpiciatur, quanta ſit excommunicationis virulentia penes omnes prædictas priuationes ſubſidiorum defunctis applicabilium, conſiderandum eſt, quanta quámque aſpera ſit ignium emendatoriorum ſæuitia. Nam elongationem à beato Dei vultu conſpiciendo, placet in præſentia non vrgere, tametſi malum eſt pœnis ab igne inflictis longè acerbius, iudice S. Chryſoſtom. l. 1. de compunct. cordis *ſub finem*, & priore ad Theodorum paræneſi, itémque S. Thoma in 4. d. 21. q. 1. artic. 1. quæſtiunc. 3. & Richardo ibid. d. 20. artic. 2. q. 1. Quod tamen pleriſque, ex vſu noſtro, & tenui in Deum charitate

tate hæc metientibus, ægrè perſuaderetur. Flammarum ergo purgantium quanta ſit acerbitas, Patres ſæpè tradunt. Diſertè Auguſtinus l. de cura pro mortuis c. 18. ignem Purgatorij ait eſſe [miro modo grauem, excederéque omnes pœnas quas aliquis in hac vita paſſus eſt.] quod confirmat Pſal. 37. ad verſ. 1. vbi S. Gregorius, Pſalmum illum qui eſt tertius inter pœnitentiales, exponens, idipſum tradit: vt & Beda ad eundem locum, & Cæſarius homil. 8. Item S. Bernardus ſerm. de obitu Humberti *in ipſo fine*, & creditus Anſelmus in c. 3. epiſtolæ 1. ad Corinth. Affectum & ſenſum Petri Bleſenſis nolo præterire. Is tract. de transfiguratione ad illa verba, *veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix*, quid de pœnarum Purgatorij acerbitate ſentiret, quid de multorum Chriſtianorum, eas nunc pœnas parũi facientium cæcitate iudicaret, ſic eſt conteſtatus. [Quia plerunque peccata in baptiſmo mortua recidiuant; & renigreſcit in nobis, quod fuerat ſuper niuem dealbatum, alia nobis indulgetur ablutio, ſecunda ſcilicet poſt naufragium tabula, id eſt pœnitentiæ medicina. Sed plerique ablutione hac negligenter vtuntur, expectantes vt quidquid in eis ſqualoris aut rubiginis confeſſio non mundauit, igne Purgatorio abluatur. O inſẽſati & cæci ſi lauerit Dominus ſordes filiarum Sion in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Nónne conſultius vobis erat, breui contritione cordis & confeſſione purgari, quàm illud incendium expectare, licet non ſit æternum, quod omnes dolores vitæ præſentis, omnes anguſtias noſtræ ſenſualitatis excedit?]

7. Diuinum viſum in hanc rem planè inſigne ex Alberto Magno refert Cantiprat. l. 2. Apum, cap. 51.

num. 11. Affirmat enim animæ in Purgatorio per vnum diem iam detentæ, duriorem viſam eſſe eam detentionem, languore acerbiſſimo vitæ huius,ad finem vſque mundi prorogando. Differunt de hoc argumento plenè ac ſolidè varij Theologi;nominatim Dionyſius Richelius l. de iudicio anim. à cap. 14. & Suarez t.4.3.p. d.46.ſ.3.à num.5. & varij quos annotat Scortia l. 2. de Miſſa,cap. 2. *in fine*. Hæc quiſquis non perfunctoriè,aut fide luſcioſa,vel languente, ſed viuida & perſpicaci contuitus fuerit; næ ille horrebit in eum ſe ſtatum per excommunicationem coniicere, in quo tam dira támque acerba patiens, leuamen per prouiſa diuinitùs ſubſidia,nullum accipiat.

CAPVT VII.

Horror excommunicationis ex damnis eius per ritum accidentarium quo ſolemniter intorquetur,expreſsis.

1. QVÆ hactenus propoſuimus, vt excommunicationem fidelibus valdè pauendam eſſe oſtenderemus, pertinent ad eius quaſi eſſentiam. Nunc prætermittendus non eſt horror ille, qui iniici poteſt ex damnis eius,expreſſis per adiuncta quibus aliquando conueſtitur excommunicatio. Verè enim ritus & ceremoniæ religioſis officijs ac pœnis adiunctæ, mirum quantum ad permouendas mortalium mentes conducunt. Vt propterea apud Ethnicos, quod Tertullianus lib. contra Valentin. cap. 1. obſeruauit,

obſeruauit, magnus apparatus rituum præuiorum, turpia ſacra efficeret veneranda. E contrario autem, pleriſque infidelibus res Chriſtianas viluiſſe & obſoleuiſſe, quod illa adiunctorum illuſtrium pompa carerent, idem Tertullianus l. de baptiſm. c. 2. ſic tradit. [Nihil adeò eſt quod obduret mentes hominum, quàm ſimplicitas diuinorum operum quæ in actu videntur, & magnificentia quæ in effectu repromittitur: vt hîc quoque quoniam tanta ſimplicitate, ſine pompa, ſine apparatu nouo aliquo, denique ſine ſumptu homo in aqua demiſſus, & inter pauca verba tinctus, non multo, vel nihilo mundior reſurgit, eo incredibilis æſtimetur conſecutio æternitatis. Mentior, ſi non è contrario idolorum ſolemnia vel arcana, de ſuggeſtu, & apparatu, déque ſumptu, fidem & authoritatem ſibi extruunt.] Hoc itaque conſilio, Eccleſia ne excommunicatio obſoleſcat, adiungit plerunque vibrationi eius quoſdam ritus horrificos, quorum inſpectione & conſideratione, ſtuporatæ mentes percellantur, & neglectum excommunicationis dedoceantur.

Adiuncta anathematis, ſupra excommunicationem.

2. Eiuſmodi eſt ritus, illi excommunicationi quam anathema vocant, adiungi ſolitus. Fateor anathema, ſi ſubſtantia & veluti eſſentia eius ſpectetur, non differre ab excommunicatione maiori, vt liquet ex cap. *Engeltrudam.* 3. q. 4. & rectè docent Toletus l. 1. inſtruct. cap. 5. num. 1. Auila 2. p. c. 1. diſp. 1. Syluester v. *excommunicatio.* 1. q. vltima (malè reiectus à

 Caſtro

Caſtro l.2.de iuſta hæreticor.punit.c.20.quaſi voluiſſet hanc ſolam eſſe anathematis notionem, cum tamen tantùm voluerit quod dicimus:)Nauarrus comment.de datis & promiſſis notab. 4. num. 10. qui tamen præter aliorum quos allegauimus communem ſententiam,adductis nonnullis iuribus,& Bullis Pontificiis, contendit anathema idem prorſus eſſe quod excommunicationem maiorem,etiam abſque vlla ſolemnitate vel apparatu vibratam.Sed paſſim DD.anathema cenſent ſonare aliquid horribilius,& continere adiuncta quædam ad incutiendum horrorem accommodata.Adiuncta anathematis appello,ſolemnitates quaſdam, quæ in ſimplici excommunicatione non vſurpantur,vnde per eas excommunicatio ſecernitur accidentariò ab anathemate. Sic cap.*cum non ab homine.* de iudic. cum reus eſt ſimpliciter contumax, decernitur feriendus ſimplici excommunicatione: quod ſi erectus in ſuperbiam, fiat vlteriùs proteruus & contumax, dicitur feriendus anathemate, id eſt mãdatur repeti excommunicationem, adiunctis horrificis ſolemnitatibus,vt ibi notat Panormit. & communiter alij, contra Gloſſam malè ſecùs interpretatam illum textum.Eas ſolemnitates,quia in variis Eccleſiis variæ ſunt,propono ex cap.*debent.* 11.q.3. deprompto ex epiſtola Zachariæ Papæ ad S.Bonifacium,vbi ſic præcipitur intorquendam ſolemnem excommunicationem. [Debent 12.Sacerdotes,Epiſcopum circumſtare,& lucernas ardentes in manibus tenere,quas in concluſione anathematis,vel excommunicationis proiicere debent in terram & conculcare pedibus. Deinde Epiſtola per parochias mittatur, continens excommunicatorum nomina, & cauſam excom

excommunicationis.] Idem modus intorquendi anathema præſcribitur in Pontificali Romano p. 3. cap. *de ordine excommunicandi*, niſi quod omittitur conculcatio cerei proiecti. Quòd ſi Epiſcopus iaciens anathema, ſit ipſemet ſummus Pontifex, tunc pro 12. Sacerdotibus Epiſcopo ſolemniter excommunicanti aſtantibus, adſunt Pontifici 12. Epiſcopi vt refert Sayrus l. 1. de cenſur. c. 15. n. 4. Sed reguſtemus ſingula ſolemnis excommunicationis adiuncta iure communi præſcripta; ſunt enim magnis fœta Sacramentis, ad incutiendum excommunicationis horrorem valdè appoſitis.

Quid denotet Epiſcopus, & duodenarius Sacerdotum.

3. Epiſcopus & 12. Sacerdotes, Chriſtum & duodenarium Apoſtolorum repræſentant; ſignificatúrque, eorum autoritate ac in ipſorum perſona, vibrari anathema. Sicut enim olim in Conciliis, codex Euangeliorum in medio conclaui ſuper ſolio ad id parato conſtituebatur, vt ſignificaretur Chriſtum adeſſe, & præeſſe ſynodo; ita Epiſcopi & 12. Sacerdotum perſona, deſignat Chriſti præſentiam & Apoſtolorum, inque eorum perſona vibrari ſententiam. Ex hoc adiuncto Syluest. v. *excommunicatio*, 1. n. 5. *in fine*, poſt Gloſſam communiter receptam cap. *cum ab Eccleſiarum prælatis*, de offic. ordinar. intulit ius & poteſtatem ſolemnis anathematis intorquendi, penes ſolum Epiſcopum eſſe. Idem habent Nauar. comm. de datis & acceptis notab. 4. num. 10. & Sayrus lib. 1. de Cenſur. cap. 15. num. 5. Imo Concilium Meldenſe

can. 56. permiſſa Epiſcopo facultate excommunicandi ex certa & rationabili cauſa, ſubdit, anathema tamen non poſſe intorqueri niſi ex conſenſu Archiepiſcopi, vel Coëpiſcoporũ: eo quod anathema ſit æternæ mortis damnatio: id eſt, eo quod ferè contingat, hominem diris illis deuotum malè perire, & damnari. Vides ergo anathema ſoli Epiſcopo, ac ne abſque aſſenſu quidem aliorum Antiſtitum, eſſe vſurpandum. Chaſſanæus tamen conſil. 1. præſuppoſito 5. n. 1. cum Felino in c. 2. de except. exiſtimat, anathema non ab Epiſcopo tantùm, ſed etiam à quocunque habente iuriſdictionem Epiſcopalem, vibrari poſſe. Imo ibid. præſupp. 4. num. 52. negat eſſe amplius in vſu, vt ſolus Epiſcopus intorqueat ſolemne anathema. Receptum ſanè videmus, vt ſimplex Sacerdos aduocatis nonnullis è clero, vibret aliquatenus ſolemnem excommunicationem, eámque (vt paſſim loquimur,) fulminet. Quia tamen tunc, ſaltem Epiſcopus non adeſt, deſideratur plenitudo ſolemnitatis præſcriptæ cap. *debent:* ac proinde adhuc poteſt aſſeri, anathema ſiue excommunicationem ſolemnem, (vtique ſi plenè ſolemnis ſit,) à ſolo Epiſcopo intorqueri.

Quid cerei extinctio, proiectio, calcatio.

4. Lucernæ, id eſt cerei ardentes, (nam etiam Gedeon ac ſocij, dicuntur lucernas prætuliſſe, cum cereos præferrent:) cerei inquam in manibus Epiſcopi & Sacerdotum, ſignificare primò poſſunt, horrẽdam maledictionem, qua feriuntur qui percelluntur anathemate. Sic enim in vita S. Bernardi, legimus ſanctũ virum cum execrari vellet impuriſſimum dæmonem, à quo

à quo miſera mulier turpiſſimè infeſtabatur, iuſſiſſe omnes aſtantes præferre manibus cereos accenſos, quos mox cum Satanæ deteſtatione proiicerent, & extinguerent, quaſi in illum flammã deiicerent. Nam etiam Pſal. 57. irrogatio pœnæ grauiſſimæ, ſignificatur verbis illis, *ſupercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Similiter ergo ſuperiectio hæc candelarum incenſarum, poteſt ad intorſionem pœnæ diuinitùs homini deuoto inferendæ, pertinere. Iuxta Clementem Alexandrinũ in protrept. columna nubis & ignis Hebræis præuia, ſicut ratione nubis tegentis, gratiæ indicium fuit; ita qua ex parte ignis erat, conteſtabatur maledictionem contumacibus inferendam. Ea item ex cauſa, Deus vt ſe vltorem fore ſignificaret, intelligeréntque tranſgreſſores rem ſibi cum igne fore, deſcendit legem laturus exhibito igne, vt philoſophatur S. Cyrillus t. 6. Conc. Epheſ. cap. 5. Et olla ſuccenſa, poſt virgam exhibita eſt apud Prophetam, vt doceremur, quem monitio non correxerit, pœnæ eſſe addicendum, vt notauit S. Chryſoſt. orat. de SS. Martyr. t. 1. Græcol. 919. In ſumma, tam familiare eſt ſcripturis, ignem pro atroci ſupplicio & graui maledictione vſurpare, vt Achan quem lapidibus obrutum interiiſſe conſtat; igne, id eſt, duriſſimo & grauiſſimo ſupplicio, periiſſe legatur. Eo ergo pertinere poteſt cerei ardentis proiectio, vt ſignificetur, quàm atrox ſupplicium maneat excommunicatum, quáſque in ſe aduocet pœnas, & maledictiones. Nam his diſtinctiùs exprimendis, in quibuſdam Eccleſiis, non modò in actu exercito, (quod ſemper fit,) ſed etiam in actu ſignato, adiunguntur anathemati maledictiones, vt infra dicam in capitis calce. Reducitur ad hanc interpretationem

pretationem proiectionis & extinctionis cerei, quod in Concilio Lemouicenſi, vbi hic ritus eſt adhibitus, vt referam c. 9. dicitur precatos Epiſcopos, vt ſic extingueretur lætitia reorum, quos tunc excommunicabant.

Poteſt præterea cerei proiectio & extinctio, ſignificare myſticam hominis interfectionem, per gratiæ quæ interni hominis lumen ac ſplendor eſt, excluſionem ab eo factam in quem anathema intorquetur. Non quod anathema excludat gratiam, ſed quod eam ſupponat excluſam: eius autem excluſionis commemoratio fiat, cum cauſa refricatur, ob quam quis tam dira caſtigatione percellitur. Cereum ſignificare hominem, ex vſu priſco latinorum, trado latè cum de Chriſto per cereum expreſſo. Quod ſi homo phyſicè ſumptus, cereo commodè exprimitur, optimè quoque per cereum exhibetur, quatenus ſupernaturaliter collucens. Nihil vulgatius, quàm vt cereus incenſus Chriſtianum hominem Catholicæ cõmunionis participem, & fide viua colluſtratum repræſentare cenſeatur. Sic enim ad fidei viuæ conteſtationem & profeſſionem edendam eo facto, mox animam efflaturis cereus ardens in manus datur. Eandémque ob cauſam, qui baptiſmum ſuſcipit, ardentem cereum præfert manibus, de quibus omnibus plura in prædicto opere. Fidei ergo viuæ & Eccleſiaſticæ communionis extorrem, ſignificat candelarum in anathemate proiectio & extinctio.

Poteſt denique deiectio illa & extinctio cereorum in terram, eo pertinere, vt inſinuetur, ſicut Satanas quem Scripturæ ac Patres priuſquàm ſtatu gratiæ excideret, ſpecie luminis exprimunt, deiectus eſt deorſum

ſum magno impetu, iuxta illud, *videbam Satanam ſicut fulgur de cœlo cadentem*; ita eum qui anathemate feritur, de cœlo Eccleſiaſticæ communionis deiici, & deinceps partem ſuam habiturum cum Satana & Angelis eius, qui cum eſſent ſecunda lumina, vt loquitur Nazianzenus, deiectione ſua è cœlo, tenebrati ſunt.

5. Conculcatio cerei deiecti, facta pedibus anathematizantium, deſignat protritionem & conculcationem excommunicati, per Satanam cui deditur. Ita ex Iaſone, Romano, Felino, Neuizano, Saulio, Nauarro, ac Ferrario, Lazarius ſect.1.q.19.num.9. Significare præterea poteſt ea conculcatio, excommunicatum eſſe ex eorum numero qui ſunt probro Eccleſiæ, & leges eius per effrænem audaciam conculcant, ſuntque velut Iebuſæi in medio filiorum Iſraël. Iebuſæum enim interpretantur *conculcantem*, vt ait Origenes homil.21.in Ioſuë. Vnde ſubdit. [Videamus qui ſunt in Eccleſia conculcantes. Illi ſine dubio, de quibus dicit Dominus in Euangeliis. *Nolite mittere ſanctum canibus, neque margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi elidant vos.* Iſte eſt ergo Iebuſæus conculcatio, qui indigni audiunt verbum Dei: & cum audierint neque vt infideles diſcedunt, neque permanent vt fideles, ſed percepta myſteriorum notitia, fidei noſtræ ſecretioribus ſcrutatis, conuerſi poſtmodum impugnant nos, & contradictionibus ſuis corda noſtra dirumpunt, conculcantes verbi Dominici margaritas, & ornamenta fidei maculantes.] Vſus porrò fert, vt candelæ ſic calcatæ ad nullum poſtea vſum aſſumantur, vt ſignificetur excōmunicatum eſſe ſal infatuatum, qui ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras & conculcetur ab hominibus, vt

habetur

habetur cap. *non omnes*,2.q. 7. & tradit Gloſſa ad cap. *debent*,v. *conculcare*,11.q.3.

Anathematis euulgatio, cuiuſmodi.

6. Addit Zacharias, mittendam eſſe epiſtolam per parochias, quæ reorum nomina & inflicti anathematis cauſam contineat: quod pertinet ad diſſeminationem probri, vt omnibus innoteſcat hominis dirè deuoti malignitas tanto verbere flagellata. Hac ipſa ex cauſa, decreto Concilij Aruernenſis referente Iuone Carnotenſi epiſt.76.*ſub finem*,conſtitutum eſt, vt excommunicatus ab vno Epiſcopo, à vicinis item Epiſcopis excõmunicetur.Idem epiſt.179.*in fine*,poſt interpellatã Adelam Comitiſſam pro Eccleſiæ quiete & indemnitate ſubdit.[Quòd ſi hæc omnia contempſeritis,ſciatis quia Eccleſia corde cõtrito & humiliato, aſcitis ſibi omnibus Eccléſiis ſubiectis, quotidie ante corpus & ſanguinem Domini, & ſanctorum patrocinia, clamorem faciet(id eſt excommunicationẽ ſonantiſſimè proferet,) aduerſus omnes huius mali patratores,& conſentaneos: (Galliſmus eſt, quo deſignantur conſentientes, *les conſentans*,) & ad hoc ipſum, ex debito omnes vicinos Epiſcopos cum Eccleſiis ſibi ſubiectis inuitabit.] Itaque tametſi in decreto Zachariæ vox *parochiæ* paſſim accipiatur iuxta communem notionem,ita vt non ſignificet Eccleſias extra Dioceſim Epiſcopi excommunicantis, ſed eas quæ illi ſubiacent duntaxat:Tamen non improbabiliter etiam dici poteſt, ſignificatas ea voce Eccleſias quaſcunque vicinas, tametſi alterius Diœceſis quales ſunt multæ in finibus Epiſcopatuũ. Quinimo obſeruatu

uatu facile eſt quod ex 2.conſtit. Apoſtol.c. 58. monuit Franc.Turrianus l.5.contra Magdeb.c.2.in antiquis Conciliis, & epiſtolis Pontificum, vocem *parochiæ*, ad deſignandum Epiſcopatum vſurpari frequenter: Sicut vox *diæceſis* pro Archiepiſcopali prouincia, vt ex Hincmaro notat Coluenerius in Onomaſtico ad Eccleſiæ Remenſis hiſtoriam à Flodoardo conſcriptam. Quare euulgatio anathematis per parochias, accipi poteſt pro euulgatione eius per quaſcunque non procul diſſitas Eccleſias, ſiue eiuſdem, ſiue alterius Epiſcopatus, vt videmus factum tempore S. Baſilij, quod apud eum legere eſt epiſtola 47. & ſeruatum etiam monſtrauimus tempore Iuonis. Variis item decretis cautum videmus, vt charta damnationis publicè tanquam programma appendatur pro Eccleſiæ foribus, vt in Andronici anathematizatione factum à Syneſio legimus. Videſis cap. *cura ſit.* 11. q. 3. & cap. *parochianos*, de ſent. excommun. & cap. *ad certitudinem*, eodem in extrau. commun. Quæ ad præſentem vſum denunciationis & promulgationis propoſitæ pertinent; à quo videlicet, & quomodo ſit facienda, proſequitur latè Ricciullus l.4.de iure perſon. extra Eccleſ.cap.62.

Apud Græcos, ad eandem infamiæ euulgationem, anathema publicè in columna proponebatur. Quod aliqui colligunt ex Socrate qui 7. hiſtor. c. 33. mentione facta anathematis in Neſtorium vibrati, ſubdit. [Sic Chriſtiani appellare ſolemus pronunciatum contra blaſphemos decretum, quando id veluti columellæ affixum, manifeſtum cunctis oſtendimus.] Arbitror huc reſpexiſſe S.Baſilium in c.1. Eſaiæ ad illud, *auferam omnes iniquos abs te*; cum dixit, fuiſſe

ſigna

ſigna circum Eccleſiam locata, quibus excommunicati arcebantur ab Eccleſia: quod non videtur poſſe aliter accipi quàm de nominibus & damnatione excommunicatorum, columnæ circum Eccleſiam conſtitutæ adſcriptis. Sed apud Socratem, particula *veluti*, prouerbialiter dictum videtur innuere, quod de columna adiungit. Sicut apud Nazianzenum orat. 3. *ſub initium & in fine*, legimus orationem illam qua Apoſtatæ ſcelera particulatim deſcribuntur, ſtatutam illi eſſe velut columnam, in qua ad perpetuam ignominiam inſculpta cernerentur eius crimina. Fauet tamen ſententiæ, quæ verè inſcripta columnæ nomina diris deuotorum apud Græcos ſtatuit, quod Elias duobus ex Theologo notatis locis habet, de vſu antiquorum, [vt quorum inſignis quædam improbitas eſſet, eorum vituperationes in columnis inſcriberentur, vt & ab omnibus legerentur, & omni tempore permanerent.] Sic apud Demoſthenem Philipp. 3. *ſtilites* dictus eſt, qui infamia aſpergebatur, nomine eius, columnæ infixo. Sic etiam Æmilius Probus in Alcibiade ſcribit, Alcibiadem migraſſe Lacedæmonem, ex quo audiuit ſe capitis damnatum, bonis publicatis; & Eumolpidas Sacerdotes adactos à populo eum deuouere, & proponere in lapidem pila inciſum deuotionis exemplum, quò perennis eſſet illius memoria. Habet idipſum Iſocrates orat. de iugo. Obſeruat autem Raderus 3. p. virid. SS. cap. 4. *non multùm ab initio*, nomen illius columellæ cum in malam partem accipiebatur, non fuiſſe ϛύλος, per υ, ſed ϛῆλος per η. Vnde infert aliud eſſe ἐν κίονι ἢ ϛύλῳ ἱϛάμενος, aliud autem eſſe ϛηλιτευόμενος, quod poſterius plerunque reſpõdet famoſo ſcripto, quo noxij crimina

crimina publicè proponebantur legenda, dicebatúrque λόγος ϛηλιτευτικός. Erat quidem propriè ϛήλη, cippus ſepultorum tumulis impoſitus cum inſcriptione, qualis illa Iulij Cæſaris, quam Tullius *execratam columnam* nominat. Tamen vſus, fortaſſis ob ciuilem mortem & infamiam nocentium, ad illos quoque eã vocem extendit. Ex hoc vſu profanorum, manaſſe vt Græci Antiſtites nomen eius qui anathemate percellebatur, ipſámque anathematis ſententiam, ſin minùs lapideæ columnæ inſcriberent, & inciderent; at ſaltem in ea appenderent conſcriptam in charta; argumento eſſe poteſt, quod Græcis ſcriptoribus non inſolens locutio eſt, qua ϛηλιτέυειν dicũt, pro eo quod eſt, deuouere, & anathemate percellere publicè, & in omnium oculis. An ad deuotionem & quaſi excommunicationem huiuſmodi, pertinebat quoque vſus Pythagoræorum, ſtatuentium columnas nominibus eorum prænotatas, qui Philoſophiam abieciſſent, facti deſertores? Refert Clemens Alexandr. l. 5. ſtrom. & Origenes lib. 2. contra Celſum.

Scriptio ſententiæ, aliquando Chriſti ſanguine.

7. Nolo circa hanc anathematis in charta conſcripti euulgationem in qua verſamur, prætermittere illud, ſingulare prorſus, & ad horrorẽ incutiendũ planè aptum, quod aliquoties factum legimus: Nimirum vt ſententia anathematis, in ea charta exararetur intincto calamo in Chriſti ſanguinem ſacro calice contentum. Factum id eſſe in Concilio Romano ſub Theodoro anno 648. cõtra Pyrrhum Monothelitam

 celebrato,

celebrato,ſcribit his verbis Theophanes, in miſcella, anno 20.Heraclij.[Pyrrhus cum Roma diſceſſiſſet, & Rauennam perueniſſet, vt canis ad ſuum vomitum reuerſus eſt. Quo Papa Theodorus comperto, plenitudine conuocata Eccleſiæ, ad ſepulchrum verticis Apoſtolorum acceſſit, & diuino calice expoſtulato, ex viuifico ſanguine in atramentum ſtillauit, & ita propria manu depoſitionem Pyrrhi excommunicati fecit.]Id eſt,& excommunicauit,& depoſuit,vtraque damnationis parte comprehenſa ſcripto, ſic exarato Chriſti ſanguine. In rebus tamen geſtis Theodori Papæ antiquitùs ſcriptis, quibus Pyrrhi damnatio fusè deſcribitur,prætermiſſa eſt hæc circunſtantia:eámque etiam omiſit S. Martinus I. Secretario 1. ſiue actione 1.Concilij Lateranenſis,commemorans damnationem Pyrrhi per Theodorum. Suppetit alterum exemplum exaratæ Chriſti ſanguine excommunicationis,ex Niceta Paphlagone in rebus geſtis S.Ignatij Conſtantinopolitani Patriarchæ. Scribit enim Octauam Synodum Conſtantinopolitanam,duorum ſupra centum Epiſcoporum, excommunicaſſe & depoſuiſſe Photium,ad eum modum.[Subſcripſere(inquit)calamis non nudo atramento, ſed in quo penitus contremiſcas, vt eos qui rem norant aſſeuerantes audiui,ipſo Saluatoris ſanguine tinctis.]

Horror excommunicationis,ex dictis infertur.

Non plura de ritibus iure communi præſcriptis in anathematis intorſione & euulgatione. Ex quorum expoſitione liquere poteſt, de excommunicationis damnoſitate. Nam tametſi ritus illi non adhibentur

in

in quauis excommunicatione, tamen effectus per eos adumbrati, æquè omnī excommunicationi ſunt communes. Vnde in omni æquè excommunicatione adhiberi poſſunt, ſi noxius obdureſcat, vt habetur cap. *cum non ab homine*, de iudic. vbi Cæleſtinus Papa mādat, vt clericus incorrigibilis, ſi poſt excommunicationem obfirmetur in nequitia, feriatur mucrone anathematis, id eſt excommunicatione ſolemni, & iis ritibus conueſtita quos propoſuimus. Eòdem pertinere vult Alphonſus de Caſtro l.2.de iuſta hær. punit.c. 20. quod Conciliorum & Pontificum decretis, poſt intentatam excommunicationem ſubiicitur ſemper, numquam autem præponitur comminatio anathematis: vt ſignificetur, poſt vibratam excommunicationem, ſi non ſequatur emendatio, progrediendum fore ad intorſionem anathematis horrifici, iis quos propoſuimus accidentariis ritibus ſupra excommunicationem ſimplicem conueſtiti. Poteſt ergo apparatus ille rituum conſtitùens anathema, adiungi cuiuis excommunicationi ſimpliciter dictæ, ſi obfirmatio noxij & malignitas id ferat.

Speciales alicubi ritus anathematis.

8. In variis Eccleſiis particularibus, præter ritus propoſitos, alij quidam in anathematis vibratione vſurpantur valdè horrifici, quos recenſet Alphonſus de Caſtro l.2.de iuſta hæret.punit.c. 20. & Henriq. l.13. cap.20.num.3. Ad duo capita eos refert Viguerius in inſtit.tit.de Ordine verſ.15. Primum quod interdicatur quindecim proximioribus vicinis, ne extra neceſſitatem quaſi extremam, miniſtrent excommunicato

aquam aut ignem, aliáve vlla obſequia illi impendant. Secundum quod in eum intorqueantur imprecationes, & maledictiones. Verùm primum caput generale eſt, & cuiuis excommunicato denunciato commune. Quoad maledictiones autem & imprecationes, quas Viguerius in ſecundo capite collocat, varius eſt variis in locis modus. Adſcribo quem audio teneri in Diœceſi Gratianopolitana, cuius nunc finibus teneor. Parochus ſacro communi ac publico ritè abſoluto nigram ſtolã ſuper ſacerdotalẽ caſulam indutus, ad Eccleſię valuas progreditur, pręeunte cruce pullis velis adoperta. In vicinis quibuſdam Eccleſiis, audio ipſam crucem per humum trahi. Sed hic eſt *deteſtabilis abuſus, horrendæ indeuotionis*, vt dixit Gregorius 10. in Concilio Lugdun. refertúrque tit. de offic. Ordin. c. 3. in 6. Dimiſſa ergo ea impietate, ignaris haud dubiè Præſulibus vſurpata, pergamus cœpto itinere. Comitantur Parochum Sacerdotes ac Clerici linteati, quanto fieri poteſt numero. Interim æra campana inconditis & lugubribus modis perſtrepũt, ad Tragœdię vſque Cataſtrophã. Qui ritus pręſcribitur quoque à Ioanne XXII. Extrau. *Infidelis.* de furtis, cum mandat direptores cuiuſdã theſauri, ſolemniter excommunicari. Progredientes verò ad Eccleſiæ valuas Sacerdotes & Clerici, decantant reſponſorium illud: [Reuelabunt cœli iniquitatem Iudæ, & aduerſus eum non ſurget, & manifeſtum erit peccatum illius in die furoris Domini. ℟. Cum eis qui dixerunt Domino Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. ℣. In die perditionis non ſaluabitur, & ad diem vltionis adducetur. ℟. Cum his qui dixeunt Domino Deo, recede à nobis, ſcientiam viarum

tuarum

tuarum nolumus.]Ad templi limen cum ventum eſt, cantatur Antiphona.[Media vita in morte ſumus,quẽ quærimus adiutorem niſi te Domine, qui pro peccatis noſtris iuſtè iraſceris. Sanctè Deus, Sanctè fortis, Sanctè & miſericors Saluator, amaræ morti ne tradas nos. Ne proiicias nos in tempore ſenectutis, cum defecerit virtus noſtra ne derelinquas nos.] Subiicitur totus Pſalmus 108. Tum maledictio intorquetur in ſingula membra eius qui anathemate percellitur, proiecta in terram ad vniuſcuiuſque membri maledictionem, ardente candela.Hæc autem ſunt concepta maledictionis verba.[Maledictum ſit eius caput, crines,ſupercilia,oculi,nares,labia,dentes, brachia, manus,viſcera,venter,pectus,tibiæ,pedes,& omnia eius membra. A planta pedis vſque ad verticem capitis, non ſit in eo ſanitas. Inferat Deus ſuper eum & bona eius,maledictionem æternam. Diabolus ſit ſemper à dextris,& à ſiniſtris eius,donec dies eius pauci fiant.] Interim comburuntur ſpinæ iuxta illud Nahum: *Sicut ſpinæ ſe inuicem complectuntur, ſic conuiuium eorum pariter potantium, conſumetur velut ſtipula ariditate plena.* Tandem tres lapides, magno conniſu & valido impetu iaciuntur in terram, Deum rogando, vt ſimiliter percuſſum velit anathematizatum,ac olim Core, Dathanum,& Abironem percuſſit;ſicque eodem quo ventum erat ordine,ab omnibus receditur.

Adiuncta anathemati imprecationes,abſque labe.

9. Non eſt quod aliquem moueat imprecatio malorum, qua videt in propoſita formula tangi excommunicatum ſolemniter;præſertim verò impreca-

tio æternæ maledictionis, qualis etiam vſurpatur in formula quarundam Eccleſiarum, in quibus vt refert Caſtro l.2.de iuſta hæret.punit.c.20.cum candela accenſa, eſt extinguenda, ſuperfunditur ei aqua inter proferendum hæc verba:[Sicut hæc cădela extinguitur in hac aqua,ita anima huius excommunicati,pereat in Inferno.]Nec ſecus factum videtur,per eas maledictiones quas priſci vocabant Scariothicas, quod totidem eſſent,quot iaciuntur in Iudam Pſal.108.Dixi de illis execrationibus olim per Epiſcopos adhibitis,nonnulla in Opere de Iuda c.13.num.2.poſt Gretſerum l.de maledictionibus c.6.Hæc inquam non eſt quod admirationem moueant,cum etiam in pleriſque Scripturis, ſimilia vſurpata vel mandata legamus, vt notauit Campegius tract.de excomm.*ſub finem*, & Viguerius de Sacram.Ord.verſic.15.Prophetæ namque diuinitùs moti, ſæpè æterna ſupplicia,(& multo magis temporalia,) imprecantur impiis. Et quamuis D. Auguſtinus in Pſalmum 5.ad verſ. 12. tales imprecationes, à Prophetis in ſpeciem fuſas, cenſet non diras & imprecationes, ſed prænunciationes eſſe malorum quæ impiis aduenient; Quamuis item Nyſſenus orat.1.in Orat.Domin. exiſtimet, diras illas propheticas, ſpectare tantùm deſtructionem peccati,non damnum peccatoris:Tamen nihil eſt neceſſe, exiſtimare Prophetas ſemper in ſenſibus prædictis fudiſſe imprecationes:ſed verè, ſi minùs ſemper,at ſaltem aliquando,apprecati ſunt impiis iuſtum ſalarium impietatis,etiam æternum, ſuppoſita obduratione perpetua, & finali impœnitentia, quæ libera eſt peccatori.Poſito enim quod peccator, illud æternæ maledictionis fundamentum velit ponere, dignũ

ac

ac iuſtum eſt, vt ei rependatur moles æternarum calamitatum, éſtque rationi valdè conforme, eam illi in ſua pertinacia morienti imprecari, vt diuinæ iuſtitiæ ſatisfiat. Doctrina eſt S. Thomæ 2.2.q.76. artic. 1. & Gabrielis in 4. d. 18. q. 2. art. 1. *in fine*, qui declarant maledictionem poſſe labe vacare, ſi vel intorqueatur ſub ratione boni vtilis, (v. g. cum optatur homini ægritudo, vt reſipiſcat) vel certè feratur ſub ratione boni iuſti, quia iuſta pœna homini deſideratur. [Et ſic (inquit D. Thomas,) Eccleſia maledicit anathematizando. Indubitatum porrò videtur, huiuſmodi Eccleſiaſticas execrationes & imprecationes non abire caſſas. Nam Deus, ſicut precantem Eccleſiam audit, ita & imprecantem. Perſpicuum itaque exiſtimo, eas imprecationes multum officere, nec exiguum horrorem anathematis, iniici ea nominatim ex cauſa oportere. In hac meta obiter moneo, Iulianum Imperatorem poſt Apoſtaſiam, cùm ſe pro ſummo Ethnicismi ſacrorum Pontifice gereret, & Sacerdotem quendam ab omnibus ſacris & Sacerdotis officiis per trimeſtre arceret, noluiſſe execrationes adiungere, vti factum anteriùs refert: ſed contra exempla Deorum. Videſis epiſtolam eius 62. Videri poſſet Chriſtiana anathemata momordiſſe, niſi quod, adhibitas anteriùs Deorum execrationes affirmat: quod in Chriſtianos minus aptè cadit.

CAPVT VIII.

Quomodò Excommunicationis pernicies in Scripturis noui Teſtamenti exprimatur.

1. VT penitùs infigamus quæ hactenus conſtituta ſunt de extimeſcenda animaduerſione Eccleſiaſtica, operæpretium eſt percurrere & expendere, quibus loquendi modis Spiritus ſanctus in nouo Teſtamento eam expreſſerit: Eritque hoc confirmationis ab autoritate exordium. Nam Scriptura cum ſit verbum Dei, ſummo & irrefragabili eius teſtimonio grauidatur. His itaque loquendi modis enunciatur in nouo Teſtamento, hoc quod paſſim dicimus *excommunicari*. 1. Anathema fieri. 2. tradi Satanæ. 3. tolli de medio, auferríque. 4. abſcindi. 5. mitti foras. 6. eſſe ſicut Ethnicum & Publicanum. 7. ligari in terra & in cœlo. 8. virgæ ſubiici. 9. increpari durè. 10. notari. Reguſtemus ſingulos.

1. ANATHEMA ESSE. Græcè ἀνάθεμα, quod aliud ſonare quàm ἀναθῆμα, videre eſt apud Serarium in c. 16. Iudith. Et quanquam D. Hieron. in c. 1 ad Galat. ad illud, *ſed licet nos*, &c. dicat vocem ἀνάθεμα eſſe propriè Iudæorum, non negauit tamen S. Hieronymus, hanc vocem eſſe Græcam; ſed ſignificare voluit, Græcam hanc vocem habere ſubiectam ſibi notionem, quæ ſit propria Hebræorum, vt rectè vidit Marianus Victorius in Indice Hieron. v. *anathema*. Quæ porrò circa eam notionem ineptiuerunt nonnulli

nulli Scholaſtici & Iuriſperiti, vix adducor vt referam, adeò ſunt inſulſa. Attingo duntaxat vnius & alterius cogitationem. Vorrilongus in 4. d. 19. q. 1. artic. 1. ait anathema idem eſſe quod ſeparationem rectam, id eſt iuſtè factam: ab ἄνα, quod eſt *rectum*, & τόμος, id eſt *diuiſio*. Ἄνα, autem ſignificare *rectum*, probat hic autor, adductis verſibus ex opere inſcripto *Graciſmus*. Hæc eſt manifeſta ruditas, & ignoratio Græci idiomatis, tum quoad particulam ἄνα, tum quoad vocem τόμος, quam bonus hic Homerus cum dormitaret, aut cæcutiret, non aduertit carere θ, & habere τ, contra quàm ſit in voce ἀνάθεμα. Ferè æquè ineptè Chaſſanæus conſil. 1. præſuppoſ. 5. num. 1. poſt Panormitanum cap. *cum non ab homine.* de iudic. num. 23. itémque Sylueſt. v. *excommunicatio.* 1. q. vltima, anathema deriuat ab ἄνω, quod eſt *ſurſum*, & θέτα, quæ eſt nota confixionis & maledictionis, iuxta illud Perſij Satyra 4.

Et potis es, nigrum vitio præfigere theta.

Itémque illud Martialis l. 7. epigr. ad Caſtricum.

Noſti mortiferum Quæſtoris Caſtrice ſignum:
Eſt operæpretium diſcere theta nouum.

Quia ergo θ, erat nota damnationis, exiſtimat Chaſſanæus cum aliis allegatis, anathema perinde ſonare ac maledictionem, de ſurſum ſiue è cœlo vibratam. Et hanc quoque notationem anathematis, ſubſannat meritò Nauar. comment. de datis & acceptis, notat. 4. num. 10. Sed de his gerris plus ſatis.

2. Veram anathematis notionem, diſcere licet ex Patribus, nominatímque ex Chryſoſtomo homil. de Anathemate. [Quid eſt (inquit) hoc ipſum dicere Anathema? Vide quid dicis: cognoſce quid loqueris.

Noſti verbi vim? Quamuis inuenies in ſacra Scriptura, quod dicitur contra Hiericho : *& anathematizabis totam ciuitatem Domino Deo tuo.* Et inualuit apud nos omnes conſuetudo, quæ in hodiernum vſque diem durat, vt anathema dicatur quid certo loco ſuſpenſum. An hoc tu dicis anathema? Sed hoc plerunque in bonum ſonat, & eſt interdum oblatum Deo. Quid ergo illud, quòd anathema tu dicis eum qui oblatus eſt diabolo, nec vltra regionem ſalutis inhabitat, ſed alienus eſt à Chriſto?] Optimè quoque homil. 16. in ad Rom. *ferè initio*, exponens deſiderium Apoſtoli, vt eſſet anathema à Chriſto pro fratribus ſuis. [Quid igitur eſt anathema? Audi ipſum ita loquentem: *Si quis nō amat Dominum noſtrum IESVM Chriſtum, is anathema ſit*: Hoc eſt, ab omnium commercio ſegregetur, alienus ab omnibus ſit. Nam quemadmodum anathema, donúmque id quod Deo oblatum dedicatur, nemo eſt qui temerè manibus contingere audeat, neque ad id propiùs accedere; ſic & eum qui ab Eccleſia ſepararur, ab omnibus abſcindens, ac tanquam longiſſimè abducens hoc nomine (à contrario ſcilicet) appellat, magno cum terrore omnibus interminatus, ab eo vt ſeparentur, ac pedem referant. Anathemati enim, honoris gratia appropinquare nemo audebat. Ab eo autem qui ab Eccleſia abſciſſus erat, ex oppoſita omnes ſententia ſeparabantur. Quapropter ſeparatio quidem, tum hæc, tum illa, ex æquo à vulgo abalienatio erat: ſeparationis verò modus non vnus, ſed illi contrarius. Ab illo enim abſtinebant, tanquam Deo dicato; ab hoc autem decedebant, tanquam à Deo alienato, & ab Eccleſia abſciſſo.]

Non diſſimiliter de anathematis notione S. Auguſt.

q.41.in Numer.& ferè autor q.121.ad Orthod. apud Iuſtinum:vbi notat, anathematiſmum in malam ſemper partē accipi. At anathema,(quod de ei antiſtropha Hebræa voce *Kerem*,latè proſequitur Serarius in c. 6. Ioſue q.33.) nunc rem Deo ſacram, nunc è contrario rem omni cū execratione auerſandā deſignare; quòd ſicut rem Deo ſacram,nemo auſit contingere,ita percuſſum anathemate, nemo auſit communicationis ſuæ facere participē.Catathema autem iuxta eundem creditum Iuſtinum,eos ſignificat,qui ſe iungunt anathematiſmū vibranti. Quāquam Oecumenius Actor. 23.arbitratur catathema dicendum eſſe,quod per abuſum dicitur anathema.Nam ſurſum appendi,ἄνω,minùs aptè vſurpatur ad ſignificandam deiectionē deorſum cum Satana, quàm κάτω, quod verè *deorſum* ſonat. Vſus tamen obtinuit, vt notio anathematis eſſet quam diximus, ſignificetúrque ea voce, contritio plena,& clades omnimoda excommunicato illata.

3. Facit hunc ſenſum ea vox apud Apoſtolum 1.Cor.16. verbis illis. *Si quis non amat Dominum IESVM Chriſtum,anathema ſit.* id eſt malè peribit, & extremæ contritioni ſubiacebit. Eodem ſenſu in pleriſque aliis ſcripturis accipi vocem anathematis,docet D.Hieron.q.9.ad Algaſ.& in c.14. Zachariæ ad illud, *anathema non erit amplius.* Nec aliud ſignificare voluit Tharaſius epiſt.ad Conſtantinum & Irenem,cum dixit, anathema nihil aliud eſſe quàm ſeparationem à Deo. Quia enim Deus eſt omne bonum, ſeparari à Deo,eſt ſeparari ab omni bono,& omnibus malis inuolui.Eandem ſummam cladem ſonat vox anathematis Malach. vltimo, vbi Deus denunciat ſe miſſurum Eliam Prophetam, vt conuertat cor patrum ad filios, & cor

& cor filiorum ad patres eorum; *ne fortè* (inquit) *veniam, & percutiam terram anathemate*; id eſt, ne terram conteram ac perdam, cladíque æternæ, & exitio immedicabili ſubiiciã. Septuaginta verterunt ἄρδην; quæ vox ſignificare poteſt *omnino*, vel *ſubitò*, vt ibi monuit S. Hieronymus. Vox *omnino*, facit ſenſum quem diximús. Et eodem recidit vox *ſubitò*. Senſus quippe eſt. Præmittam aduentui meo ad iudicium, Eliam Prophetam, ne cogar ſubitò penitùs diſperdere orbem, plena ei & extrema clade illata, vt fiebat iis vrbibus quæ iuſſu Dei perdebantur funditùs, & idcirco dicebantur fieri anathema, id eſt penitus deleri.

Quia ergo excommunicatus afficitur ſuprema clade, inde factum eſt, vt vox anathematis quæ ex ſe latiùs patet, reſtricta ferè ſit ad deſignandam excommunicationem, præſertim ſolemnem, & horrificis quibuſdam acceſſionibus conueſtitam. Hac ratione, in Conciliis quoties aliquid intentata excommunicatione tenendum decernitur, additur, *anathema ſit*. Significari enim ea locutione ſolam excommunicationem intentatam & ferendam, cenſet Gloſſa cap. fin. de foro compet. & Sanchez l. 7. de Matrim. diſp. 12. num. 2. & lib. 2. in Decal. cap. 38. num. 91. quamuis Suarez t. 5. 3. p. d. 3. ſ. 3. num. 4. & Sayrus l. 1. de cenſur. cap. 11. num. 10. contendant, eo modo loquendi denotari latæ ſententiæ nec vltra pendentis excommunicationem. Quod noſtra parum refert: quia ſufficit ad rem præſentem, quod ea locutione deſignetur excommunicatio, vt docuit Petrus Damiani l. 1. epiſt. 12. ferréque videtur ſenſus omnium, vno quod ſciam dempto Ægidio de Coninck, qui diſp. 14. de ſacram. dub. 1. num. 4. cenſuit Concilia hæreſes damnantia

ſub

ſub ea formula, non intendere eum excommunicare qui talia credit aut docet, *ſed tantùm intendere, damnare talem doctrinam vt hæreticam, non ſtatuendo, ſed definiendo eum qui illam tenet, eſſe omnino execrabilem, ac à Deo alienum & diris deuotum.* Hoc non probo, quia Concilia non iubent propoſitionem aliquam eſſe anathema, ſed vt quiſquis eam aſſeruerit, ſit anathema. Non poſſent autẽ clariùs iubere, vt qui eam propoſitionem aſſeruerit, irretiatur excommunicatione, ſi reuera vellent eum irretiri. Igitur eo ſenſu accipienda eſt locutio illa. Nec refert quod Apoſtolus ad Galat. 1. Angelum quoque ſi iis quæ ipſe prædicauerat aduerſaretur, iubeat eſſe anathema, quod certum eſt non poſſe de vera excommunicatione accipi, (quicquid cenſere ibi videatur D. Thomas lect. 2.) cum Apoſtolus nullam in Angelos iuriſdictionem ſit nactus, quod præſupponi debet in excommunicante. Ex quo infert Ægidius, anathema in formulis Conciliorum, non ſonare excommunicationem. Hoc inquam non refert. Nam quamuis Apoſtolus verbis prædictis noluerit Angelum excommunicare, idve ſignificare eo loquendi modo; tamen non ſequitur, ſemper & vbiuis eum loquendi modum aliud ſonare quàm excommunicationem. Eo quidem loco apud Apoſtolum, vſurpatur anathema ad ſignificandam diſſociationem & ſegregationem omnimodam, quam velit Apoſtolus fieri etiam ab Angelo, ſi per impoſſibile doceret repugnantia fidei. Et quia ſegregatio noſtra ab excommunicato, eſt omnimoda, ibi quidem voce anathematis ob ſubiecti incapacitatem, excommunicatio non denotatur plena & adæquata, ſed tantùm ſub generali ratione ſegregationis omnimodę.

Quoties

Quoties autem circunſtantiæ aliud ferent, & ſubiecta materia patietur, vocem anathematis vſurpari pro excommunicatione propriè dicta; multo autem magis ſi contextus id clamet, & aſtipuletur ſenſus Doctorum omnium, vt contingit circa decreta Conciliorũ firmata munimine appoſiti anathematis; non eſt cur gratis tricemur, & aliò detorqueamus talem formulam, quàm ad deſignandam excommunicationem veram, ſiue latam, ſiue ferendam, de quo variant Doctorum ſententiæ, vt paulò ſuperiùs attigimus.

4. Iuſtiùs ambigitur, quæ ſit notio anathematis apud S. Chryſoſtomum homil. de anathemate, cuius hæc eſt inſcriptio. *Quod nec viui nec mortui, anathemate plectendi ſint.* Hæretici enim contendunt, ibi vocem *anathematis*, vſurpari pro excommunicatione, auidóque hoc arripiunt, vt negent Eccleſiæ poteſtatem excommunicandi, præeunte S. Chryſoſtomo. Sed hæc mera impoſtura eſt. Nam vt benè notauit Sixtus Senenſis lib. 6. biblioth. annot. 267. perſpicuum eſt, S. Chryſoſtomum non abrogare Eccleſiæ eam poteſtatem; diſertè enim eam concedit in c. 18. Matth. & homil. 15. in 1. ad Cor. & homil. 5. in 1. ad Timoth. & homil. 4. in ad Hebr. ac ſæpè alibi. Quid tamen voluerit S. Chryſoſtomus homilia illa de anathemate, nonnihil obſcurum eſt. Eſſe quidem eam homiliam germanum S. Chryſoſtomi fœtum, dubitare non licet; nec audiendus vllo pacto eſt Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 1. qui nodum ſcindere potiùs quàm ſoluere tentauit, negando eam homiliam eſſe S. Chryſoſtomi, quod putat liquere ex ſtylo. Sed probatiores ſtyli iudices, nihil ſubodorati ſunt in ea homilia, eiúſve ſtylo, quod Chryſoſtomum non redoleat.

doleat. Quare aliò confugiendum eſt.

Dimiſſis verò iis quæ minùs commodè tradit Suares t.5.3.p.d.1.ſ.2. num.17. dicendum eſt cum Baronio, anno Chriſti 382. num. 52. S. Chryſoſtomum, eam homiliam habuiſſe Antiochiæ adhuc Diaconum, abſente Flauiano Epiſcopo, Conſtantinopolim profecto ad Synodum. Eo tempore Antiochena Eccleſia, in duas Catholicorum factiones ſub duobus Epiſcopis diſtracta erat: & pars vna in qua Chryſoſtomus, Flauiano adhærebat; altera Paulino, cui tunc Romæ ſedes Antiochena fuerat adiudicata. Contigit ergo vt populus partis Flauiani, in partem Paulino ſubiectam concitaretur, & officij immemor in eam anathema inclamaret. Talem populi licentiam, acriter corripit S. Chryſoſtomus, reiiciens inſanam anathematizationem Catholicorum partis Paulini, per plebeculam partis Flauiani, conflatam ex rerum ſacrarum imperitiſſimis, furibundis, nugacibus, contentioſis. His quippe coloribus depingit illos anathematum prodigos, aduerſus quos ſtylum ſtringit ea homilia. Sumit ergo ibi S. D. anathema, pro tumultuoſa execratione, quæ non tam eſt excommunicatio ſimilitudinaria, quàm excommunicatio impudenter arrogata à non habentibus eius inferendæ facultatem. In eo tamen cernebatur aliqualis vmbra veræ excommunicationis in tali facto, quod populus vel potiùs colluuies & fæx eius, non ſecùs ſe haberet erga eos quos ſic execrabatur, quàm erga eos ſe habere ſoleret, qui verè fuiſſent à legitimis Præſulibus excommunicati. Toto igitur cœlo aberrarunt, qui cenſuerunt, S. Chryſoſtomum ea homilia poteſtatem excommunicandi ab Eccleſia remouiſſe. Imo diſertè ea ipſa homilia, agnoſcit

agnoſcit excommunicandi poteſtatem ab Apoſtolis reuocatam ad vſum, parcè tamen, & valdè prudenter; ita vt obſeruet eos non niſi ſemel aut iterum, nec ferè niſi generatim, & abſque certæ perſonæ determinatione, excommunicaſſe hæreticos; cum tamen ij cum quibus agebat, auderent nominatim anathema vſurpare in Catholicos, creberrimè ac ferè perpetuò.

5. Placet plagulas nonnullas ex ea homilia decerpere, quibus conſtet, non eſſe à nobis gratis conficta quæ diximus. [Cur (inquit) quod nullus eorum, qui poteſtatem acceperunt, vel facere, vel declarare auſus fuit, tu facere audes, planè aduerſarius mortis dominicæ, & præoccupans iudicium Regis?] Addit antiqui cuiuſdam Patris ſuffragium. Creditur fuiſſe S. Ignatius, quod apud eum epiſt. ad Smyrnenſes tale quid legatur. Subdit porrò. [Vultis diſcere, qualia de hoc Sanctus quidam dixerit, qui & Apoſtolorum temporibus martyrium meruit? Monſtraturus huius verbi grauitatem, tali vtebatur exemplo: Sicut priuatus homo, regiam ſibiipſi purpuram circumponens, vnà cum omnibus qui ſe iuuant, punitur vt tyrannus; ita & qui dominicam ſententiam fert, & hominem facit anathema Eccleſiæ, abducit ſeipſum in extremam perniciem, vſurpando dignitatem filij Dei. Sic ille dicebat.] En hic quoque S. Pater, quem Chryſoſtomus ſuffragatorem adhibet, aduerſus hominem priuatum & iuriſdictione Eccleſiaſtica deſtitutum agit. Ita enim planè fatendum eſt, vt comparatio ex priuato purpuram vſurpante petita, quadret in rem de qua agebat Chryſoſtomus, qui concludit. [Putatíſne hanc parui momenti rem eſſe, ante iudicem iudiciique tempus aliquem eiuſmodi ſententia condemnare?

nare ? Anathema enim,omnibus modis à Chriſto ſeparat.] Vel cæcum, ex his perſpecturum puto, non fuiſſe ibi ſermonem S.Chryſoſtomo, niſi de illa execratione,vtcunque redolente verum anathema,vt expoſuimus; non autem de verò anathemate, quod eſt ſubſtantialiter idem cum excommunicatione ſimpliciter dicta, addito tantùm nonnullo dirarum & accidentariorum rituum horrificorum auctario.

6. Inter ea additamenta,quibus excommunicatio redditur horribilior, tranſitque in anathema, eſt vox *maranatha*, quam plerique Hebræam, D. Auguſtinus epiſt.178.Syriacam affirmat.Adhibuit eam adiunctionem Apoſtolus 1.Cor.16. cum iuſſit eum qui Dominum Ieſum non amaret, eſſe maranatha. Non intendit quidem ibi Apoſtolus excommunicare eos qui Chriſtum non amarent, quippe qui maximam partem erant infideles,atque adeò non erant ſubiecta idonea veræ excommunicationis. Itaque tantùm denunciat cladem extremam cuicunque auerſo à fide & amore Chriſti Domini. Tamen quia excõmunicatio, infert animæ haud abſimilem cladem ei quam ſubeunt qui penitus vaſtantur & conteruntur, meritò Eccleſia ſicut vſurpauit vocem anathematis ad inſinuandam vaſtitatem quæ excommunicatione infertur,ita adiunctum illud ab Apoſtolo appoſitum adhibet, quando ſolemniùs & terribiliùs vult plectere contumaces:quia eo adiuncto, vt Baronius rectè obſeruauit anno Chriſti 57.num.171.exprimitur conteſtatio diuini iudicij, cuius præſertim comminatio, horrorem incutere eſt idonea. Sanè D. Auguſtinus epiſt.illa 178.*maranatha* interpretatur,*donec Dominus redeat*.Vnde patet eum ſuffragari interpretationi pro-

poſitæ. In Concilio item Toletano, quod adducitur in priſca Synodo Rhemenſi, habentur hæc verba, quæ planè ferunt ſenſum propoſitum. [Qui contra hanc veſtram definitionem præſumpſerint, anathema maranatha, hoc eſt, perditio ſint in aduentu Domini, & cum Iuda Iſcarioth partem habeant.] Sunt qui notent duas eſſe voces *maran*, *ata*, quarum ſit ſenſus; *veniat Dominus*; ſupple ad extremam cladem in iudicio inferendam perculſis anathemate, quod bellè conſentit cum allata interpretatione: præter quam non me latet, alias eſſe, quarum nonnullas refert Felinus in cap. *Rodulphus*. de reſcriptis, num. 33. Quibuſdam anathema maranathā, nihil eſt aliud quàm anathema geminatum, ita vt ſicut dicimus *Abba pater*, ſic dicatur *anathema macharam mota*, & corruptè maranatha. Videtúrque concinere Theodoricus Abbas S. Trudonis, in priſco carmine quod refert Iuretus ad epiſtol. 44. Iuonis.

Dic ſint maranatha Deus,
Hi dic ſint anathema.

Alij verò cum S. Hieronymo epiſt. 137. *maranatha* interpretantur, *Dominus noſter venit*. Vnde in prolato Apoſtoli loco cenſent additum eſſe maranatha, vt reddatur ratio cur denuncietur exitium & anathema infidelibus; nimirum quia Chriſtus venit. Eſt autem ingratitudinis ſupra omnem cumulum exaggeratæ, non amplecti & exoſculari tam benignum Dominum qui propter nos in carne venit; quæ eſt Chryſoſtomi & Theophylacti ratiocinatio. Sed interpretatio quam propoſui, videtur omnium accommodatiſſima.

7. Annotat Mariana l. 7. hiſtor. Hiſpan. c. 6. *in f.* & Baron.

Baron.anno Chriſti 775. *in fine,* ex hoc, *Maran,ata,* fluxiſſe,vt Catholici Hiſpani,Iudæos aliquando Chriſtianis adiunctos,poſtmodùm verò fœdè apoſtatátes; & vel ad Mahumetiſmum tranſgredientes,vel regredientes ad Iudaïſmum,execrando vocarint *Maranos,* vt ſignificarent eos horribili execrationi ſubiacere. Alij tamen aliunde deriuant nomen *Marani.* Sunt qui Maranos dictos volunt,quaſi Mauranos,quod ad Mauros, ſiue Mahumetanos, ſiue Iudæos deficerent, nominatímque quod abſtinerent ſuilla, quam inde plebs Hiſpana vocat *Marana.* Simancas in Cathol. inſtit.tit.27.num.8.contigiſſe in Hiſpania ait,vt Iudęi de venturo Meſſia gloriantes, vulgo dicerent *Maran,*hoc eſt,*Dominus noſter.*Hos repellentes Chriſtiani reponebant, *Maranatha,* hoc eſt, *Dominus noſter venit.* Exiſtimat ergo Simancas, ab ea Iudæis perpetua gloriatione de Deo, (quam Apoſtolus quoque Rom. 1. non tacuit,cum dixit, *ſi tu Iudæus cum ſis,requieſcis in lege,& gloriaris in Deo*)vocatos eſſe à Chriſtianis *Maranitas*, qui vel Iudæi eſſent, vel Iudæorum partiarij.Videndus quoque Godofredus in rubr. C. de Apoſtatis. Fauet huic notationi vocis *Marranus*, quod apud Gulielmum Tyrium l. 1. de bello ſacro c. 17. ex vſu Syrorum apud quos Tyrius ſcribebat, Barones & Comites cruce ſignati, leguntur nominati *Marrani*, id eſt *Domini,* voce deducta à Syriaco nomine *Marrim*, quod Dominum deſignat: Sectarij verò Reineccij ignorantiam,qui ſordens nūc ac tetrum Marrani nomen ex vſu præſenti conſideratum, magnatibus à Tyrio tributum expoſtulat, caſtigatam habes apud Gretſerum in Apologia pro cruciatis expeditionibus c. 4. Tandem Reuclinus lib. 1.

artis Cabaliſticæ, *ipſo ferè initio* aliam profert notationem & notionem vocis *Marranus*, ſic inducens loquentem, rogatum de ſuo nomine Marranum. [Marranum me vocant, nomen à Cerintho & Ebione Scholaſticis. Notum quod & aqua tinctus, & recutitus apella. Vtrinque alioqui, tā Moyſi legibus, quàm Chriſtianorum doctrina ſum initiatus.] Maranos & Maranitas, Arabum & Saracenorum gentem de qua Strabo lib. 16. & Diodorus Siculus l. 4. c. 3. huic *Maranitarum* & *Maranorum*, appellationi præbuiſſe cauſam, non habeo vnde confirmem.

8. II. TRADI SATANÆ. Hic de excommunicatione loquendi modus, peridoneus eſt ad incutiendum excommunicationis horrorem. Apoſtolus eum vſurpauit, 1. Cor. 5. vbi ſic affatur maiores natu Eccleſiæ, & cœtum vniuerſum illis ſubiectum, agens de ſpurco illo Corinthio qui fœdarat ſe fornicatione tali, qualis nec inter gentes, *impius patris de matrimonio hæres*, vt eſt apud Tertullianum l. de pudic. cap. 13. Eum fuiſſe Sacerdotem, refert ex nonnullis nec improbat S. Chryſoſtomus priore ad Theodorum paræneſi. *Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam iudicaui vt præſens, eum qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri IESV Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri IESV Chriſti, tradere huiuſmodi Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri IESV Chriſti.* Sic Apoſtolus ea epiſtola, quam Tertullianus lib. de pudic. c. 14. hunc ipſum locum verſans, ait non atramento, ſed felle eſſe conſcriptam, vocátque tumentem, indignantem, dedignantem, comminantem, inuidioſam. Alibi quoque, Hymenæum & Alexandrum à ſe eſſe

eſſe Satanæ traditos affirmat, vt diſcerent non blaſphemare. Ita habet 1. Timoth. 1. Quem locum attingens S. Chryſoſt. hom. 3. de patientia Iobi, ait Apoſtolum in eo facto, vſum eſſe Satana vt carnifice. Hæc cum ſint ipſis Solis radiis conſcripta apud Apoſtolum, vtroque illo loco agentem de excommunicatione, nihil defuiſſe Luthero patet quominus ad ſummum inſaniæ verticem proueheretur, cum negare auſus eſt peccatorem per excommunicationem tradi Satanæ, vt ex eo refert Roffenſis artic. 23. qui hoc fuiſſe Lutheri argumentum prodit, quod peccator anteriùs ad excommunicationem, vi peccati mortalis, ſit traditus Satanæ, ac proinde non poſſit ei denuò tradi per excommunicationem. At hoc eſt cornicum oculos configere, imo ipſum Spiritum ſanctum loqui docere. An non enim Apoſtolus, ex Spiritus ſancti afflatu, dixit ſpurciſſimum illud Satanæ mancipium, iam tanta labe ſordens, à ſe denuò tradi Satanæ per excommunicationem? An non item Iudas, cùm per feraliſſimam pactionem, imo per cogitationem de Chriſto prodendo admiſiſſet in ſe Satanam, vt affirmat Euangeliſta, poſtmodum accepta de Chriſti manu buccella, denuò dictus eſt accepiſſe intra ſe Satanam? Ipſum nodum directè infra diſſoluemus. Nunc ratum eſto, excommunicatum per excommunicationem Satanæ tradi. Qua traditione horrificum quid ſignificari, nemo non videt, vt propterea S. Benedictus in regula c. 25. hanc Apoſtoli ſententiam, vocet *terribilem*.

9. Sed quid illud ſit horrificum ac tremendum, quod hac traditione infertur, non prorſus liquet, variantibus circa hoc Catholicorum ſententiis. Rober-

tus Epiſc. Arboric. Tomo 2. de vtroque gladio, Theoremate 7. hanc traditioně excommunicati, videtur accipere de eiectione in eãdem cũ Satana ſortě, vt ſicut Satan è cœlo extorris factus eſt, & Sanctorũ communione priuatus: ita etiam excommunicatus, detrudatur è cœlo Eccleſiæ, in eandem cum Satana ſentinam. Fauet S. Auguſt. ſerm. 68. de verb. Apoſt. & habetur c. *omnis Chriſtianus*. 11. q. 3. Verùm hæc interpretatio non ſatisfacit. Tum quia hoc non eſt Satanæ dedi, eiúſque tyrannidi ſubiici: Tum quia iuxta hanc interpretationem traditionis iſtius, non poteſt quadrare quod dixit Apoſtolus, ſe excommunicatum tradere Satanæ in interitum carnis. In altero extremo eſſe videtur Tertullianus l. de pudic. cap. 14. Nam inſinuat traditum Satanæ fuiſſe Corinthium, in interitum carnis, quia corporali vita priuatus eſt. Propoſitis enim Apoſtoli verbis, quibus queritur Corinthios non luxiſſe, vt tolleretur de medio eorum qui ſe inceſta copulatione fœdarat, addit; [Pro quo lugerent? vtique pro mortuo. Ad quem lugerent? vtique ad Dominum. At quomodo auferatur de medio eorum? Non vtique vt extra Eccleſiam detur: (hoc enim non à Deo poſtularetur, quod erat in præſidentis officio:) ſed vt per mortem hanc quoque communem, & propriam carnis ipſius, quæ iam cadauer, quod captiuum eſſet immunditia irrecuperabili tabioſum, pleniùs de Eccleſia deberet auferri. Et ideò, quomodo interim potuit auferri, iudicauit dedendum eiuſmodi Satanæ in interitum carnis. Maledici enim eam ſequebatur, quæ diabolo prouciebatur, vt ſacramento benedictionis exautoraretur, nunquam in caſtra Eccleſiæ reuerſura.] Hoc ex eo errore pronunciat, quo mœchis excluſum

volui

voluit regreſſum ad Eccleſiam in perpetuum. Cæterum conſtat Corinthium illum non fuiſſe à Satana occiſum corpore, ſed ſuperſtitem fuiſſe & reſipuiſſe, móxque ab Apoſtolo vinculis iniectis fuiſſe exſolutum. Igitur neceſſe eſt, aliud ſubeſſe traditioni illi in interitũ carnis. Hilarius Diaconus hoc loco, interitum carnis interpretatur reſipiſcentiam & regreſſum à culpa, quæ hominem totum fecerat carneum, ad ſpiritualem vitam. Nam iuſtos eſſe Eccleſiæ ſpiritum, peccatores autem tranſire in carnes, plenè proſequor agens de Chriſto capite. Aſtipulatus videtur huic interpretationi S. Ambroſius l. 1. de pœnit. c. 17. *in fine*, verbis illis. [At ne quis fortè eo moueatur, quia ſcriptum eſt: *tradidi huiuſmodi hominẽ Satanæ in interitum carnis*, & dicat; quomodo potuit ad veniam pertinere, cuius omnis interierit caro, cùm manifeſtum ſit in vtroque redemptum hominem, in vtroque ſaluari, neque animam ſine carne, neque carnem ſine anima; cùm ſibi ſint geſtorum operum conſortiis copulatæ, ſine conſortio vel pœnæ eſſe vel præmij? Is ſibi reſponſum hoc habeat, quod interitus non conſummatam abſumptionem carnis ſignificet, ſed caſtigationem. Sicut enim mortuus peccato, Deo viuit; ita illecebra carnis interit, & cupiditatibus ſuis moritur caro, vt caſtitati cæteríſque bonis operibus reuiuiſcat. Et quod aptius exemplum quàm de matre ſumamus? Namque ipſa de qua aſſumpti ſumus terra, intermiſſo exercitio cultúque, videtur deſerta, & aut vinetis quibus conſitus eſt ager, aut oleis moritur, ſuccum tamen proprium velut quandam ſui animam non amittit. Denique repetitur à cultore, & creditis ſeminibus quibus habilis æſtimatur, feracior aſſurgit fructibus.

Non ergo alienum,ſi etiam noſtra caro,interire ſic dicitur,vt repreſſa magis quàm aſſumpta credatur.] Profecit vt aliàs frequenter ex Origene, qui homil.1. in Pſalm.37.ad illud,*non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ*,traditionem hanc Satanæ in interitum carnis fusè & pereleganter exponit de mortificatione, concluditque. [Tradi ergo in interitum carnis, tale eſt vt emoriatur ſenſus carnalis in nobis,& non viuat carnis cupiditas in ea. Ex eo enim quod moritur ſenſus carnis vt non ſecundùm carnem ſapiamus,ſpiritus ſaluus efficitur. Alioqui dum viuit ſenſus in nobis carnis, & caro viuit, non poſſumus de ſpiritualibus ſapere. Hoc ergo modo Apoſtolus, tradidit in interitum carnis eum qui ſecundùm carnem vixerat, vt ſenſu carnis emortuo, ſpiritus ſaluaretur.] Eadem habet S.Auguſtinus l.3.contra Parmen.cap.1.Verùm neque hęc expoſitio ſatis cohęrere videtur cum ſimplicitate literæ. Prætterquam quod manet ſemper enodandum quod præcipuè quæritur; quomodò ſcilicet excommunicatus tradatur Satanæ.

10. Sic diſcuſſis minùs commodis traditionis illius interpretationibus,duæ ſuperſunt veriſimiliores. Prior, *tradi hominem Satanæ*, idem eſſe cenſet, quod priuari Eccleſiaſtica communione, ſiue eiici de Eccleſia.Inde enim conſequitur,vt homo Satanæ libidini eiúſque tyrannidi veluti dedatur, quia per excluſionem à Sacramentis & ſacrificio,ſuffragiíſque communibus,necnon à diuina ſpeciali protectione,homo in eum ſtatum tranſit, in quo à Satana circumagatur pro libito, nec aliter quàm mancipium tractetur. Ita S.Bonauent.in 4.d.18.p.2.q.1.artic.1.*ad vltimum*. In Concilio item Rhemenſi cap.1. vt per ſe notum aſſumitur

mitur excommunicatum tradi Satanæ,quia ab Eccleſiaſtica communione remouetur.Apertè S.Ambroſ.l. 1.de pœnit.cap.14.[Benè dicitur tradi Satanæ,qui ſeparatur à Chriſti corpore.] Præclarè Theophylactus 1.Tim.1.*in fine*,verbis illis.[Quomodò verò tradebatur Satanæ?Eiiciebatur ex Eccleſia,abiiciebatur à charitate , tradebatúrque nudus lupo. Vt enim olim tabernaculum protexit nubes , ſic & Chriſti Eccleſiam Spiritus paracletus. Si quis igitur,extra hanc & ſpiritum fuerit,citra laborem ab aliis deinceps capi poteſt. Talis igitur excommunicationis mulcta eſt.]

Idem voluit S. Hilarius in Pſal. 118. *Litera Ain*, ad illud , *feci iudicium & iuſtitiam*, exponens quid ſit, quod Dauid poſtulat , ne ſibi nocentibus dedatur. [Omnis in quo peccati voluntas eſt , Deo vacuus eſt: & vbi Deus non erit , illic Diaboli locus eſt, qui inſidians atque obſidens , vbi abeundi opportunitatem habuerit , tanquam vacuam domum occupet, quæ ei Deo eam deſerente ſit tradita.] Subiungit id fieri per excommunicationem,profértque in hanc rem locum Apoſtoli ex 1.Cor.5. & 1.Tim.1. Tum quorſum excommunicati dicantur Satanæ dedi , & cur Satanas à Pſalte dicatur *nocens* , ſic denuò exponit. [Qui enim ab Eccleſiæ corpore reſpuuntur, quæ Chriſti eſt corpus, tanquam peregrini & alieni à Dei corpore , dominatui Diaboli traduntur. Sed Propheta, ne nocentibus ſe tradatur orat. Adſunt enim inimicæ infeſtęque virtutes,quæ fidei propoſitum conturbent , quæ timorem Dei obliterent, quæ in terrenas cupiditates & deſideria ſollicitent ; quæ infirmam corporis naturam quibuſdam blandimentorum aculeis in vitia cõmoueant. Nouit & Apoſtolus hãc multitudinem dominantium

minantium virtutum dicens, *in quibus & vos aliquando ambulaſtis, ſecundùm principem poteſtatis aëris, Spiritus qui nunc operatur in filiis diffidentiæ.* Fecit ergo Propheta iudicium & iuſtitiam, & ne tradatur ſe nocentibus, rogat: & hoc modo nocentibus, cum in peccatum impellunt, cum in gloriam inflant, cum in iram accendunt, cum in odium exacerbant, cum ad laſciuiam illiciunt, cum ad auaritiam prouocant: Sed cum per hæc nocere properent, obtinere tamen eos qui innocentes ſunt, niſi ſibi per ſeceſſionem Dei traditi fuerint, non valebunt.]

Profecit manifeſtè S. Hilarius ex Origene homil. 2. in Iudices, qui præclarè omnino proſequitur, quomodo excõmunicatus tradatur Satanę, quâ per Eccleſiæ prę ſides vibrantes exteriùs excõmunicationẽ, quâ interiùs & abſque externo ſigno, per ipſum Deum excommunicantem ſceleſtos, etiam priuſquàm Eccleſiæ paſtores, ad deiectionem morbidæ ouis proceſſerint. [Scire debemus, (inquit) quia ſi peccauerimus Domino, & animi noſtri voluptates, ac deſideria carnis velut Deum colamus, tradimur etiã nos, & Apoſtolica autoritate in manus Zabuli concedimur. Audi denique ipſum dicentem de eo qui peccauerat, *tradidi*, inquit, *huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.* Vides ergo quia non ſolum per Apoſtolos ſuos Deus tradidit delinquentes in manus inimicorum, ſed & per eos qui Eccleſię pręſident, & poteſtatem habent, non ſolùm ſoluendi, ſed & ligandi, traduntur peccatores in interitum carnis, cum pro delictis ſuis à Chriſti corpore ſeparantur. Et (vt mihi videtur,) dupliciter etiam nunc traduntur

homines

homines de Eccleſia in poteſtatem Zabuli. Vno modo quo ſuperiùs diximus, cum delictũ eius manifeſtum fit Eccleſiæ, & per Sacerdotes de Eccleſia pellitur, vt notatùs ab omnibus erubeſcat, & conuerſo eueniat illi quod ſequitur, *vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Alio autem modo quis traditur Zabulo, cum peccatum eius manifeſtum non ſit hominibus: Deus autem qui videt in occulto, perſpiciens eius mẽtem & animam, vitiis ac paſſionibus ſeruientem, & in corde eius non ſolùm amorem ſeculi, ſed aut auaritiam, aut libidinem, aut iactantiam, vel alia huiuſmodi; iſtum talem ipſe Dominus tradit Satanæ. Quomodo eum tradit Satanæ? Diſcedit à mente eius, & auertit ſe, & refugit à cogitationibus eius malis, & deſideriis indignis, & derelinquit domum cordis eius vacuam, & tunc complebitur in illo homine, quod ſcriptum eſt, *cum autem immundus ſpiritus exierit ab homine, circuit loca arida, & ſi non inuenerit requiem, redit ad domum ſuam, & inueniens eam vacantem & mundatam, aſſumit ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & intrans habitat in domo, & tunc fient hominis illius nouiſſima peiora prioribus.* Hoc ergo modo intelligẽdum eſt, Deum tradere quos tradit; non quia ipſe tradat aliquem, ſed ex eo quod derelinquit, indignos eos ſcilicet iudicans, qui ſe non ita excolunt, & à vitiis purgant, vt libenter in eis habitet Deus. Ipſo refugiente, atque auertente ſe ab anima, quæ in immunditia, ac vitiis poſita eſt, tradita dicitur ex eo quod Deo vacua inuenitur, & inuaditur ab ſpiritu nequã.] Itaque hæc traditio, ſimillima eſt planéque germana eius qua quis dicitur tradi in ſenſũ reprobum. [Haud aliter (inquit Iſid. Peluſ. l. 4. epiſt. 101.) ac ſi quis paſtor

bonus

bonus oues peſtilentiali lue correptas, extra gregem abire, & quodammodo lupis tradere conſueuit: non quod eas in fauces luporum proiiciat; ſed quod ſua cura ac præſidio eas denudet ac deſtituat.]

11. Aliis verbis, ſed idem reuera ſonantibus, hãc excommunicati traditionem ſic expoſitam, expreſſit S.Hieronymus cũ dixit, excommunicatum dari eſcã populis Æthiopum, & Satanæ cibum fieri. In caput enim 18. Eſaiæ, tractans illud, *quia hæc dicit Dominus quieſcam, & conſiderabo in loco meo*, aperit in primis bonum eorum qui perſtant in Eccleſia, verè Dei loco, in quo Deus illos conſiderat & contemplatur, & velut nubes roris in die meſſis, amœniſſimè refrigerat. Tum ſubiicit damna præciſorum ab Eccleſia, quos Propheta ait relinquendos auibus montium & beſtiis terræ, quæ æſtate & hyeme illis incubabũt. Hoc quid ſit, ita exponit S.Hieronym. [Ramuſculi qui inutiles ſunt, falcibus præcidentur, dicente in Euangelio Saluatore: *Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt: omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eũ, vt fructum plus afferat.* Et quæ præciſa fuerint, relinquentur auibus montium, & beſtiis terræ. Auibus, quæ iuxta viam ſeminata populantur: & beſtiis quibus traditur anima non confitens Deum. Ita vt qui à Domino præciſus fuerit, & abiectus, & de corpore illius quod eſt Eccleſia ſeparatus, tã in æſtate quàm in hyeme, hoc eſt, in proſperis & in aduerſis, volucrum & beſtiarum manſio ſit. Sicut autem hi qui inutiles ſunt & infructuoſi in Eccleſia, amputãtur & proiiciuntur, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat, ſic è contrario fieri poteſt.] & cætera, quibus demonſtrat

poſſe

poſſe eſſe ab illa per Satanam vexatione regreſſum. Rurſus in c.19.ad illa verba:*tradam Ægyptum in manus dominorum crudelium & Rex fortis dominabitur eorum*, poſt deſcriptam impiorum malignitatem, meritò excommunicatione feriendam,ſubdit. [Cúmque illi hoc fecerint, Dominus tradit eos in manu dominorum crudelium:iuxta illud Apoſtolicum: *Quos tradidi Satanæ vt diſcant non blaſphemare*: quo ſeruitute duriſſima oppreſſi, ad clementiſſimũ Dominum reuertantur. Pulchréque dæmones, crudeles dominos vocat, quibus nihil crudelius eſt. Rex quoque fortis qui dominus eſt eorum, perſpicuè Diabolus intelligitur: quem & in Euangelio Dominus fortem vocat,quo vincto, & oppreſſo, vaſa domus eius, & præda diripitur.]

12. Poſterior,eáque omnium commodiſſima traditionis de qua agimus interpretatio, eſſe videtur, quæ excommunicatos traditos Satanæ affirmat, vt ab eo corporaliter vexarentur,citra occiſionem,ſiue vexarentur per energumeniſmum, ſiue immiſſione alicuius corporeæ infirmitatis. Qua ratione Iob traditus eſt Satanæ, ſeruata anima, id eſt ſalua vita. Et olim quidem omnes qui excommunicabantur, fuiſſe à Satana corporaliter correptos atque vexatos, tanquam certam maiorum traditionem proponit Hilar. Diac. 1.Tim.1.& idem agnoſcit Theodoretus ibi,& 1.Corinth.5. & ibid. creditus Anſelmus, necnon S. Thomas in 4.d.18.q.2.artic.1.quæſtiunc.2.ad 3. Abulenſ. in cap.12.Exodi q. 48. Lindanus l. 4. Panopl. cap. 58. Henriq.l.13.cap.3.num.3.Et quanquam hoc tempore infrequentius ſit,vt excommunicati corripiantur corporaliter à Satana,fiántque exteriùs energumeni, tamen

men|interdum quoque concedi Satanæ hanc vltionem contingit. Scribit enim Petrus Lelohyer lib.4.de ſpectris, c. 10. comperiſſe ſe, noſtra ætate nonnullos excommunicatione percuſſos, adeò fuiſſe vexatos à Satana, vt ſanitate mentis exciderent, quàm poſtea ab Epiſcopo exſoluti recuperaſſent. Eam tamen vexationem corpoream, qua olim maximè, & interdum nunc quoque, ad interitum carnis, id eſt ferocientis corporis, & carnis affectuum ſubactionem, Deus malè haberi voluit excommunicatos, non eſſe de ſolo energumeniſmo accipiendam, ſed poſſe quoque eo nomine venire omnem aliam grauem corporis vexationem, vt febrem vehementem, notauit Lindanus l. illo 4. adducens in eam ſententiam S. Chryſoſtomum 1. Tim.2. & epiſtolam ad Toloſanos cap. 23. Meliùs allegaſſet Theodoretum 1.Tim.1.vbi ſic habet de Hymenæo & Alexandro. [Eos tradidit Diabolo, non vt bonorum magiſtro, ſed vt ſæuo carnifici. Et ideò non dixit, vt eos doceret, ſed vt doceantur non blaſphemare. Ab Eccleſiaſtico enim corpore ſeparati, & diuina gratia nudati, ab aduerſario crudeliter flagellabantur, incidentes in morbos & difficiles affectiones, & alias calamitates. Hæc enim conſueuit inferre hominibus, quoniam eſt & inimicus, & vltor, vt dicit Propheta.] Vides immiſſiones per Angelos malos, tanquã per carnifices Chriſtianæ Reipublicæ. Sic enim nominare Satanam, grauiſſimos Patres memini; Chryſologum ſerm.17. Origenem 7.contra Celſum *in fine*, & rurſus lib.8. S.Hieronymum in c.2. Ioëlis; Baſilium, Syneſium, & Auguſtinum, ad idem produco in Natur. Theol.diſt.3.num.143. Eadem ratione, interitum carnis in quem inceſtuoſus eſt ab Apoſtolo traditus Satanæ,

Satanæ, de carnis anguſtiis & detrimento membrorum, id eſt de corporea ægritudine membra malè afficiente, interpretatus eſt Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum.

13. Ex illo igitur antiquo vſu, quo excommunicati corripiebantur & corporaliter vexabantur à Satana, ortum eſt, vt excommunicatus dictus ſit tradi Satanæ: quod nomen à primo vſu tametſi antiquato ductum æquè retentum eſt, vt plurima alia nomina, v.g. *Eunuchi & martyrologij*, mutato licet vſu primæuo ex quo indita fuerant; ſunt nihilominus deinceps vſurpata, vt notaui in Opere de martyr. p. 3. c. 6. num. 8. & benè S. Chryſoſt. t. 2. Græcol. hom. 7. addititia in Geneſ. Non me latet, Genebrardum in expoſitione liturgiæ cap. 28. contendere, nunc quoque excommunicatos fieri energumenos, non quidem vt olim agitato corpore, ſed quod miſerabilius planè eſt, agitato animo, vnde cenſet tantam excommunicatorum vitiationem exiſtere. Fauet Gloſſa cap. *audi.* 11. q. 3. & Panormit. rubr. de ſent. excomm. num. 4. quatenus aiunt, Satanam vti animo excommunicati, ſicut ruſticus vtitur iumento ſuo; nec ſecus excommunicati animum quaqua verſum circumagere, quàm agaſo aſellum ſuum verſet, & agat quo lubet. An hic dicendus ſit energumeniſmus interior, viderint alij.

Vtrauis porrò interpretationum propoſitarum ineatur, facile erit intelligere, quomodo excommunicatus qui per mortale peccatum iam erat Satanæ mancipium, poſſit iteratò ei dedi per excommunicationem, quod erat Lutheri argumentum, ad probandum perperam dici excommunicatum tradi Satanæ, vt ex Roffenſi initio retulimus, ad artic. 23. Lutheri. Nam

Nam iuxta priorem interpretationem, commodè dicitur, excommunicatum iteratò tradi Satanæ, quia fit multo magis obnoxius eius ludibriis ob ademptum præſidium Sacramentorum & communium ſuffragiorum. Ita eum nodum extricat ibi Roffenſis. Nec minùs commodè expeditur iuxta poſteriorem interpretationem, dicendo, peccatorem qui priùs myſticè tantùm occupabatur à Satana ratione peccati mortalis, poſtea realiter & corporaliter tradi Satanæ per excommunicationem.

14. III. Tolli de medio, avferriqve. Eodem cap. 5. epiſtolæ 1. ad Cor. Apoſtolus excommunicationem expreſſit hac loquendi formula. *Non magis luctum habuiſtis, vt tollatur de medio veſtrûm qui hoc opus fecit?* Et inferiùs. *Auferte malum ex vobis ipſis.* Multa circa hæc Apoſtoli verba perpendit Pacianus epiſt. 2. ad Simpron. quæ quia ad rem præſentem non faciunt, dimittens aduerto, his vocibus apud Apoſtolum æquè ac in communi vſu Latinorum, ſignificari interfectionem, quæ fit per excommunicationem. Docuit id in hunc modum S. Auguſt. q. 39. in Deuteron. tractans illud Deuter. 24. *interficietur, & auferes malum de medio tui*, quod de fure hominis ibi ſancitur. [Aſſiduè hoc dicit Scriptura, cum iubet occidi malos. Qua locutione vſus eſt etiam Apoſtolus cum diceret, *quid enim mihi de iis qui foris ſunt iudicare? Nonne de iis qui intus ſunt vos iudicatis? Auferte malum ex vobis ipſis.* Nam Græcus habet τὸν πονηρὸν, quod etiam hîc ſcriptum eſt. Hoc autem potius *malignum* ſolet interpretari, quàm *malum.* Nec ait τὸ πονηρὸν: id eſt, *hoc malignum*, ſed τὸν πονηρὸν, quod eſt *hunc malignum.* Ex quo apparet eum voluiſſe intelligi, qui

qui aliquid tale commiſit, vt excommunicatione ſit dignus. Hoc enim nunc agit in Eccleſia excommunicatio,quod agebat tunc interfectio.] Sic ibi Auguſtinus,quem tacito de more nomine,exſcripſit Rabanus l. 3.in Deuter. cap. 15. Fuerunt qui extrema illa Apoſtoli verba,*auferte malum ex vobis ipſis*, negarent ad excommunicationem pertinere, velléntque eorum ſenſum eſſe, mandari vnicuique vt bonus eſſet; non autem vt mali per excommunicationem auferrentur.Hunc ſenſum S.Auguſtinus loco notato iudicat non improbabilem,confirmátque l.3. contra Parmen. c.1. nec improbat l.de fide & oper.c.2. Meritò tamen q.illa 39. cenſet his verbis denotari effectum excommunicationis.Id enim apertè fert textura capitis. Nec ſanè vox Græca πονηρὸν,quam Latinus interpres vertit,*malum,*poteſt ſubſtantiuè accipi,ſed adiectiuè tantùm:atque ita non ſignificat vitium, vt ſupponitur in alia interpretatione,ſed hominem excommunicatum qui tollitur è medio, & aufertur à fidelibus per excommunicationem, tanquam per interfectionem ſpiritualem. [Neque enim, (vt pergam cum eodem D.Auguſtino epiſt.75.)hęc corporalis eſt pœna,qua legimus quoſdam contemptores Dei cum ſuis omnibus qui eiuſdem impietatis participes non fuerunt pariter infectos. Tunc quidem ad terrorem viuentium mortalia corpora perimebantur,quandoque vtique moritura. Spiritalis autem pœna,qua fit quod ſcriptum eſt, *quæ ligaueris in terra, erunt ligata & in cœlo*, animas obligat, de quibus dictum eſt, *anima patris mea eſt,& anima filij mea eſt:anima quæ peccauerit,ipſa morietur.*]Addit paulo poſt,ſi per ſeueritatem Eccleſiaſticam qua domus Claſſiciani ab Auxilio iu-

uene & præferuido Epiſcopo fuerat anathemati ſubiecta, vel vna anima exceſſiſſet inexpiata, immenſum inde damnum fuiſſe exoriturum. Nam[innumerabilium mors corporum, ſi de Eccleſia homines innocentes violenter abſtrahantur & interficiantur, huic damno non poteſt comparari.]

15. Qui ſic interfecti ſunt, dormiunt cum incircuncisis, iuxta illud Ezechielis 32. *quo pulchrior es, deſcende, & dormi cum incircunciſis*, quod S. Hieronymus ibi, ad excommunicatum accommodat, verbis illis. [Hoc ſpecialiter ad eũ pertinet, qui baptiſmate Chriſti renatus, & audiens cum Eccleſia, *quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata, innitens ſuper fratruelem ſuum?* poſteà vel fornicatione, vel aliis vitiis ſordidatus, eiicitur de Eccleſia, & dicitur ad eum: *de aqua pulcherrima deſcende, & dormi cum incircumciſis, cum immundis:* iuxta illum ſenſum quem ponit Apoſtolus: *nos ſumus circũciſio, qui in ſpiritu Deo ſeruientes, & gloriantes in Domino, & non in carne confidentes.* Hi omnes in medio vulneratorum, ſiue interfectorum cadent, cum Pharaone, illo gladio quem venit mittere Dominus ſuper terram.] Hanc excommunicationis comparationem cum interfectione, legere licet ſub finem capitis *peruenerabilem*. qui filij ſint legitimi. Et hac quoque ratione, de ipſius Chriſti ſententia, tolli omnem palmitem non ferentem fructum, aſſerit idem S. Auguſt. l. 22. contra Fauſt. c. 20.

16. IV. ABSCINDI. Apoſtolus ad Gal. 5. iis qui Galatas dimouebant è ſtatu libertatis & gratiæ Euangelicæ, optat abſciſſionem, id eſt vt ibi exponit Cornelius, excommunicationem. Confirmo hanc expoſitionem Apoſtoli, ex S. Innocentio 1. epiſtol. ad Conc.

Conc. Mileuit. vbi excommunicat Pelagium & Cœleſtinm. Eſt 93. inter epiſtolas D. Auguſtini. [Pelagium (inquit) Cœleſtiúmque, id eſt, inuentores vocum nouarum, quæ ſicut dixit Apoſtolus, ædificationis nihilum, ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quęſtiones, Eccleſiaſtica communione priuari, Apoſtolici vigoris autoritate cenſemus, donec reſipiſcāt de diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ſecundùm ipſius voluntatem, eoſque interim dominico ouili non recipi, quòd ipſi peruerſæ viæ ſecuti tramitem deſerere noluerunt. Abſcindendi ſunt enim qui nos conturbant, & nolunt conuertere Euangelium Chriſti. Simul autem præcipimus, vt quicunque id pertinacia ſimili defenſare nituntur, par eos vindicta conſtringat. Non ſolùm enim qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, quia non multùm intereſſe arbitror, inter committentis animum, & conſentientis fauorem. Addo amplius, plerumque dediſcit errare, cui nemo conſentit. Hæc igitur fratres chariſſimi, in ſupradictos maneat fixa ſententia, abſint atriis Domini, careant cuſtodia paſtorali.] Vides, apertè S. Innocentium accipere memoratam ab Apoſtolo abſciſſionem, de excommunicatione.

In Romano item Pontificali p. 3. cap. de ordine excommunicandi, hæc abſciſſio præter cætera fundatur in illis Chriſti verbis, *Si manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proiice abs te.* Et quamuis ibi Chriſtus non agat ſpecialiter de excommunicatione, eatenus tamen locus ille poteſt ad hoc inſtitutum accommodari, quatenus in ea mandatur ſegregatio ab iis qui nos ad malum poſſunt inducere, quæ ſegregatio in excommunicatione perculſos cadit belliſſimè.

Et ita eum locum accepit Origenes homil.7. in Ioſue *ſub finem*,cum dixit; [Hæc non ideò dicimus, vt pro leui culpa aliquis abſcindatur:ſed ſi fortè commonitus quis & correptus pro delicto ſemel, & iterum, ac tertiò,nihil emendationis oſtenderit, vtamur medici diſciplina. Si oleo perunximus, ſi emplaſtris mitigauimus,ſi malagmate molliuimus, nec tamē cedit medicamentis tumoris duritia,ſolum ſupereſt remedium deſecandi. Sic enim Dominus dicit, *Si dextra manus ſcandalizauerit te,abſcinde eam,& proiice abs te.*Nunquidnam manus corporis noſtri, aliquando ſcandalizat nos? An de hac manu corporis Euangelium dicit, *abſcinde eam, & proiice abs te?* Hoc eſt quod dicit, vt ego qui videor tibi manus eſſe dextra, & Presbyter nominor,& verbum Dei videor prædicare, ſi aliquid contra eccleſiaſticam diſciplinam, & Euangelij regulam geſſero,ita vt ſcandalum tibi Eccleſiæ faciam, in vno conſenſu Eccleſia vniuerſa conſpirans, excidat me dextram ſuam,& proiiciat à ſe. Expedit enim tibi Eccleſiæ,abſque me manu tua, quæ malè agēdo ſcandalum fecit, introire in regnum cælorum, quàm mecum ire in gehennam. Hæc idcirco diximus,quia videmus in Scripturis ſanctis referri, quod propter vnū peccantem,anathema facti ſunt filij Iſraël, ita vt vincerentur ab hoſtibus.] Manifeſtè Origenes deſectionis & abſciſſionis nomine donat excommunicationem, vnde roboratur tradita Apoſtoli expoſitio quoad locū ad Gal.5.quem alij aliter accipiunt.Nonnulli enim cēſent Apoſtolum illis Iudaizantibus pro conciſione qua Chriſtianos è Gentiliſmo conuerſos inurere volebant,optaſſe exſectionem; id eſt plenam genitalis membri truncationem zelo vindictæ iuſtæ

adductum.

adductum. Congruétius quoque Auguſtinus & Anſelmus, abſciſſionem illam accipiunt de caſtratione Chriſtiana per caſtitatem & conſilia Euangelica. Tamen ſimpliciſſimus & planiſſimus ſenſus eſſe videtur quem propoſui, & illis quoque aliis ex Euangelio adductis verbis ſubiectum ab Origene docui, nempe quod excommunicatus abſcindatur, quia gladio ſpirituali reſecatur, & abſcinditur vt putre membrum.

17. Sanè excommunicationem vocari gladium abſcindentem, vel mucronem, frequens eſt apud Patres, & in iure etiam receptum. 16. q. 2. cap. *viſis.* Et cap. *quoniam in pleriſque.* de Offic. Ordinar. Videndus Vgolinus tab. 2. cap. vlt. num. 6. & 7. Fateor D. Auguſtinum l. 1. contra Epiſt. Parmen. c. 7. imperitiſſimos vocare quoſdam Donatiſtas, qui illud Apoſtoli Rom. 13. *non ſine cauſa gladium portat*, accipiebant de gladio excommunicationis. Tamen mens D. Auguſtini non tulit, inficiari quod rectè excommunicatio dicatur gladius: Voluit ergo tantùm aſſerere, eam denominationem non debere fundari in eo Apoſtoli loco qui apertè reſpicit Magiſtratū ſecularem, vt monſtrat tributorum collatio de qua mox ibidem agit Apoſtolus. Quare meritò excommunicatio dicitur gladius abſcindens, cuius impactionem grauiùs nocere quàm iniectionem gladij materialis, docet Chriſtus ipſe apud S. Brigittam l. 4. reuel. c. 99.

Iuuat hanc noxiorum ſpiritualem abſciſſionem per gladium excommunicationis, illuſtrare ex nonnullis Patribus. S. Cyprianus epiſt. 62. num. 15. agens de inceſtis copulationibus ſacrarum quarundam perſonarum, eíſque ſi in ſcelere perſtarent, intentans excommunicationem, ſic eam deſcribit. [Interfici Deus

 iuſſit,

iuſſit, Sacerdotibus ſuis non obtemperantes, iudicibus à ſe ad tempus conſtitutis non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circunciſio carnalis manebat. Nunc autem quia circuncíſio ſpiritalis eſſe ad fideles ſeruos Dei cœpit, ſpiritali gladio ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia eiiciuntur. Neque enim viuere foris poſſunt, cum domus Dei vna ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit. Indiſciplinatos autem perire, dum non audiunt nec obtemperant ſalubribus præceptis, teſtatur Scriptura diuina quæ dicit; *non diligit indiſciplinatus caſtigantem ſe. Qui oderunt correptiones, conſumentur turpiter.*]

Cyprianum eo loco, expreſſit vt alibi ſæpè S. Hieronymus epiſt. 1. quę eſt ad Heliodorum. Agens enim de reuerentia Sacerdoti debita, ait: [Mihi ante Preſbyterum ſedere non licet. Illi, ſi peccauero, licet tradere me Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini Ieſu. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet, aut, extra caſtra poſitus, lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta, contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens, ſpirituali mucrone truncatur; aut eiectus de Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpitur.] Hæc poſtrema verba leguntur quoque in epiſtola Anteri Papæ ad Epiſcopos Hiſpaniæ.

Proſper ſcitè l. 2. de vita contempl. c. 7. [Qui diu portati, & ſalubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi: ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis, putredinis ſuæ contagione corrumpit: ita iſti, qui emendari

dari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis in Sanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant.]

Tandem S. Ambroſius lib. de Elia cap. 22. cum præmiſiſſet cædem à Leuitis iuſſu Moſis patratam, [Apoſtolus (inquit) docet, vt ſeparemus nos ab omni fratre inquietè agente: percutiamus eum gladio ſpiritali, qui eſt verbum Dei. Non fratris, non propinqui accipiamus perſonam, ſed omnem immundum à Chriſti ſecernamus altaribus, vt emundet & corrigat lapſus ſuos quo ad ſacraméta Chriſti redire mereatur.] Porrò hæc excommunicati abſciſſio ſpirituali gladio facta, videri poteſt continere alluſionem ad ſciſſionem illam, quam Daniel impudico ſeni ab Angelo Dei eſt comminatus. Tametſi non me latet, excidium quodcunque in ſcriptura, diuiſionis atque adeò ſciſſionis nomine donari, vt cum de malo ſeruo dicitur quod dominus diuidet eum, & cum Ozias ob attrectatam arcam dicitur diuiſus.

18. V. MITTI FORAS. Chriſtus ipſe Matth. 5. cum Apoſtolos, & in eis quoſcunque fideles ex fidei ſcitis viuentes, vocaſſet *ſal terræ*, addit; *quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Et Lucæ 14. *Bonum eſt ſal, ſi autem ſal euanuerit, in quo condietur? Neque in terram, neque in ſterquilinium vtile eſt, ſed foras mittetur.* Conculcatio cuius eſt hic mentio, referri poteſt ad illam olim eiaculationem execrationum, & probrorum in excommunicatum communiter ab omnibus factam, vt eſt apud Clementem l. 2. conſtit. cap. 20. & ab Apoſtolo quoque expreſſam 2. Cor. 2. cum agens de inceſtuoſo iam pœnitente eique

confirmandam charitatem ſtatuens, ait; *ſufficit illi qui eiuſmodi eſt, obiurgatio hac quæ fit a pluribus.* Hanc ſibi conculcationem & contemptionem optabat, vt ſpiritus ſaluus fieret, & regreſſum exoraret Ecebolius Sophiſta poſt Iuliani Apoſtatæ mortem ſub cuius imperio rebus Ethnicorum proſpero curſu fluentibus à fidé defecerat, vt referunt Socrates l.3.cap.13.& Nicephor.lib.10.c.23. Vocabat enim ſe ſalem infatuatum & euanidum, ideóque foras proiiciendum, & calcandum omnium pedibus. Quod verò iiſdem locis ait Chriſtus, ſalem infatuatum eſſe foras proiiciendum, Palacius Matth. 5. accipit de proiectione extra Eccleſiam per excommunicationem. Id quod etiam ad eundem Matthæi locum, benè præter cæteros verſat Chromatius in exemplo Apoſtatarum, aut ad hæreſim tranſgredientium, ideóque excommunicatorum. Sic enim ſcribit. [Infatuari eos oſtendit, qui cum ſemel per fidem & ſapientiam cœleſtem eruditi, fideles ac ſtabiles debeant permanere, relicta fide & ſapientia diuina, aut in hæreſim ruunt, aut ad ſtultitiã Gentilium redeunt. Et idcirco ait: *Si autem ſal infatuatum fuerit, in quo condietur?* Quia infatuati fraude Diaboli huiuſmodi homines, amiſſa fidei gratia, euaneſcunt. Qui cùm potuiſſent etiam alios non credentes, adhuc à fide alienos, diuinæ prædicationis verbo condire, etiam ſibi inutiles extiterunt. Denique Iudas Iſcariothes, de huiuſmodi ſalibus fuerat, ſed poſteaquàm diuinam ſapientiam reprobauit, & de Apoſtolo, apoſtata factus eſt, non ſolùm aliis prodeſſe non potuit, ſed & ſibi miſer & inutilis factus eſt. Et ideò addidit Dominus, dicens: *ad nihilum valet, niſi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quia huiuſmod

modi iam non fideles, ac domeſtici, ſed proiecti ab Eccleſia, vt extranei, & fidei hoſtes habendi ſunt. Vnde & Iudas, de domeſtico fidei, inimicus factus eſt veritatis. Proiecti itaque huiuſmodi extra Eccleſiam, neceſſe eſt vt diuerſis vitiis carnis & variis voluptatibus ſæculi cõculcentur. Et hoc eſt quod ait, *ad nihilũ valet, niſi vt proiiciatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quid ſit autem conculcari ab hominibus, etiam Salomon in libro ſuo retulit, cum de muliere meretrice loqueretur: *Mulier,* inquit, *fornicaria, quaſi ſtercus in via, ab hominibus prætereuntibus conculcatur.*]

19. Sub alia metaphora, excluſionem hanc excommunicatorum ab Eccleſia, expreſſam in ſcripturis eſſe cenſent nonnulli: nempe ſub metaphora clauium, quibus ianua obſeratur ne quis domum poſſit ſubire. Iuxta quos is cui fores domus Dei ſunt occluſæ per excommunicationem, dicẽdus eſſet foras miſſus per claues. Sed eum loquendi modum vſus non recipit, quamuis enim dicatur quis clauium interuentu foris retineri, non dicitur tamen primò excludi per claues. Aptius eſt quod Molanus l. 3. de imagin. c. 21. ipſam excommunicandi poteſtatem nomine clauis expreſſam cenſuit; eo pertinere arbitratus, quod è duabus clauibus quæ ſolent S. Petro appingi, vna eſt aurea, alia argentea. Tales enim exhibentur claues illæ, & in Pontificum inſignibus, & in aliquibus vrbium quarundam Italiæ portis. Auream ergo clauem, Molanus refert ad poteſtatem abſoluendi; argenteam verò refert ad poteſtatem excommunicandi. Quod Cõſtantinus Caëtanus ad opuſc. 4. Petri Damiani *ſub finem*, aſſerit in vetuſtiſſimis vrbis monumentis appingi S. Petro tres claues quas manu teneat, commo-

dare poteſt ad monſtrandum,quomodo habeat quoque Eccleſia clauem ſcientiæ,quam alioqui fatendum eſſet altera binarum duntaxat clauium expreſſam eſſe; cum certum ſit,clauem ſcientiæ (vt Scriptura ipſa loquitur) Eccleſiæ à Chriſto eſſe attributam, ſeorſim à claue iuriſdictionis. Per hanc ipſam tamen, abſque alia claue diſtincta, rectè intelligitur fieri noxiorum extramiſſionem & proiectionem extra Eccleſiam. Eſt enim ea dimiſſio & proiectio,actus iuriſdictionis luculentus ac nobilis.

20. Cæterum, cuiuſmodi ſit hæc excommunicati dimiſſio & proiectio extra Eccleſiam,nonnihil ambiguum eſt apud Doctores. Nonnulli exiſtimant,excommunicatum mitti extra corpus myſticum Chriſti & Catholicam Eccleſiam. Ita Catechiſmus Romanus in Symboli explicatione, Valdenſ.l.2.doctr.c.9.Turrecr.in ſumma de Eccleſ.l.8.c.3.Bellarm.l.3.de Eccleſ. c.6.Bayus l.1.inſtit.Chriſt.relig.c.300. Ricciullus l.4. de iure perſon.extra Eccleſ.c.1. aliique ex Iuriſperitis permulti, quos adducit Sanctarellus tract. de hæreſi cap.43. dub.2. num.19. Fauent planè multa iura. Sic enim cap. *Canonica.* 11. q. 3. vbi Eccleſiæ violatores excommunicantur, & *à gremio S. Matris Eccleſiæ, & à conſortio totius Chriſtianitatis eliminantur.* Similia habentur cap. *Omnis Chriſtianus*, & cap. *cum aliquis*, itémque cap.*quicunque*.& cap.*videas*.11.q.3. Rurſus cap.*de communione.* & cap.*Sacerdotes.* & cap.*Apoſtolicæ*.24.q.2.& cap.*per tuas.* de ſent.excommun. Suffragantur varij Patres, præter eos è quibus Gratianus prædicta capita collegit. Non obſcurè Clem. Rom.l. 2.conſtit.c.43.Item Hieron. in c.3.ad Titum, vbi ait, idcirco hæreticum hominem dici ab Apoſtolo, iudicio

cio

cio proprio damnatum: quia quò peccator fidelis abit Epiſcoporum iudicio per excommunicationem, eò hæreticus ſponte ſua abit, id quod S. Maximus hom, 2. de Chriſti accuſat. & iudicio, *in fine*, pulchrè confirmat. Sicut ergo hæreticus vltrò exit ex Eccleſia, ita peccator fidelis foras extra Eccleſiam mittitur, trudente Antiſtite ac expellente. Apud S. Auguſtinum c. 65. Enchir. excommunicatus, pronunciatur ſeparatus à Chriſti corpore. Ex eiuſdem S. Auguſtini autoritate S. Gregorius in Pſalm. 4. pœnit. ad verſ. 1. cum dixiſſet, Chriſtum eſſe Eccleſiæ caput, animam verò eſſe Spiritũ ſanctum addit; [Vnde dicit B. Auguſtinus: Si vis viuere de ſpiritu Chriſti, eſto in corpore Chriſti. De hoc ſpiritu non viuit hęreticus, non viuit ſchiſmaticus, non viuit excommunicatus: non enim ſunt de corpore.] Denique Marcionem priuſquàm hæreticus fieret, à patre ſuo ob turpitudines, eiectum fuiſſe ab Eccleſia cui præerat pater, affirmat S. Epiphan. hær. 42. Agnoſcit ergo eum qui excommunicatur, fieri extra Eccleſiam.

21. E contrario tamen graues DD. negant, excommunicatum præcisè vi excommunicationis, deſinere eſſe de Eccleſia. Ita Azor t. 2. l. 5. c. 20. q. 6. Suarez diſp. 9. de fide ſ. 1 à num. 14. Turrianus ibid. diſp. 14. dub. 1. difficult. 4. Videtur fauere D. Auguſtinus l. contra Donatiſtas, poſt collationem cap. 20. cum ait [neque enim à populo Dei ſeparamus qui excommunicátur, & ad humiliorem gradum rediguntur.] Verùm hic locus meritò ſuſpectus eſt. Videtur enim librarij flagitio excidiſſe ex eo particula negans, cuius adhibitione exiſtet ſenſus planè contrarius quem textura capitis planè exigit. Planè ſiquidem D. Auguſtinus ibi vult

vult aſſerere criminoſos cum per tempora & circunſtantias licet, eiici ex Eccleſia. Itaque legendum eſt. *Neque enim à populo Dei non ſeparamus*,&c.Quare ille locus malè allegatur pro hac ſententia. Firmat verò eam optima ratio; nimirum quod excommunicatus poſſit Chriſto coniungi per fidem & charitatem. At hoc ipſum eſt, eſſe membrum Eccleſiæ, & coniungi cum cæteris membris Chriſto capiti ſubiacentibus. Imò ſi agatur de eſſentiali & veluti conſtitutiua forma membri Eccleſiæ, ſufficit fides, quam certum eſt poſſe in pleriſque excõmunicatis ſuperſtitem manere. Sunt quidem aliqui excommunicati qui fide deſtituuntur: illi nimirum qui propter hæreſim vel apoſtaſiam excommunicantur: de quibus DD. huius ſecundæ ſententię exponunt Patres,cum interdum dicunt, excõmunicatos non eſſe membra Eccleſiæ,ſed ab ea eiectos vel ſecluſos eſſe. Sed hos excommunicatio non tam præſcindit ab Eccleſia,quàm reipſa iam præciſos, fecit manifeſtè agnoſci quod erant, vt monuit D.Auguſtinus l.de vnit.Eccleſ.cap.vltimo.

22. Momenta rationum huius poſterioris ſententiæ, videntur potiora. Poteſt tamen adhiberi vtriuſque ſententiæ conciliatio, dicendo, excommunicatum vt ſic, manere quidem membrum Eccleſiæ quæ eſt myſticum Chriſti corpus, vt poſterior ſententia contendit: dici tamen eiectum ab Eccleſia,quia relegatur ab omni cum cæteris fidelibus commercio,& à templo ferè excluditur. Eccleſia autem,vt Iſidor. Peluſ.notauit l.2. epiſtol. 246. quandoque cœtum fidelium, quandoque templum deſignat. Ad hunc modum non incommodè exponitur, quomodo excommunicatus etiamſi perſeueret eſſe verum & ſubſtantiale

tiale membrum Eccleſiæ quæ eſt corpus Chriſti myſticum, dicatur tamen eiici ab Eccleſia, & extra eam mitti. Et ita notauit Couar. in cap. *alma mater*. p. 1. *in initio*, num. 6. Driedo l. 4. de dogmat. Eccleſ. c. 2. p. 2. ac ferè Valentia in Analyſi lib. 6. cap. 3. *ſub finem*. Faciliùs etiam exponitur, quomodo excommunicatus dicatur remoueri, aut repelli, vel ſeparari à corpore Chriſti, etiamſi in Eccleſia pergat eſſe tanquam membrum. Ea enim remotio, & repulſa, vel ſeparatio, accipienda eſt de prohibitione accipiendi Euchariſtiam, quæ eſt reale corpus Chriſti, non autem de præciſione à corpore Chriſti myſtico, ſiue de plena exciſione ab Eccleſia & congregatione fidelium. Laborarunt ergo homonymia vocis, quotquot pręciſionem à reali corpore Chriſti, id eſt ab Euchariſtia, tranſtulerunt ad præciſionem ſimpliciter dictam à myſtico Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia. Sanè S. Cyprianus lib. de orat. Dom. excommunicationem vocat, *ſeparationem abſtenti à corpore Chriſti*. Manifeſtè autem & citra omne dubium agit de ſeparatione à participatione Euchariſtiæ, non autem de abſciſſione à myſtico Chriſti corpore, ſiue ab Eccleſia.

Qualiſcunque autem ſtatuatur eſſe ſeparatio excommunicati à Chriſti corpore, iuxta vtramuis ſententiam proximè tractatam; hoc eſt, ſiue ſit ſeparatio ab Euchariſtia & cæteris Eccleſiæ opibus tantùm, iuxta poſteriorem ſentētiam; ſiue ſit excluſio ab ipſamet Eccleſia viua, vt volebat prior ſententia, fatendum eſt, talem ſeparationem & proiectionem, eſſe planè horrendam, quod bellè aperit luculenta diſputatione Chryſolog. ſerm. 131. Attexo partem. [Homo quid aliud te docuit in tuo corpore, aut ſic diuiſa coniunctio

iunctio, aut tam coniuncta diuiſio, niſi vt ex multis vnus, & vnus in multis viueres? Eſt membrorum commercio ſalutaris, pretioſus oculus, ſed ſi perſeuerat in corpore: alioqui vbi corpori defuerit, ſibi non aderit: debent illi mēbra omnia ſuæ lucis obſequium: ſed & ipſe oculus ſentit corpori ſe debere quod lux eſt, qui vtique cum omnibus membris miniſtratum membrorum prouideat, euulſus à corpore nec ſibi videt. Quiſquis ille eſt qui ſe putat eſſe aliquid, tali inſtitutus exemplo, maneat in Eccleſia, vt ſit aliquid: alioqui vbi defuerit illi, ſibi eſſe mox deſinit. Quod qui pleniùs noſſe deſiderat, Apoſtoli de corpore Chriſti loquentis perlegat inſtituta: quia nos illa percurrere ſermonis breuitas amica non patitur. Lex eſt data non vni, ſed omnibus; Chriſtus non pro vno, nec ad vnum, ſed ad omnes & pro omnibus venit: vt redintegraret omnes in vnum ſolum bonum, ſolum iucūdum. Propheta futuri præſcius, ſic proclamat, *ecce quàm bonū & quàm iucundum habitare fratres in vnum.* Quia Deo non ſingularitas eſt accepta, ſed vnitas. Spiritus ſanctus, Apoſtolis in vnum cōgregatis vbertate tota ſui fontis illabitur: cuius vt ſimul diſcipuli operirentur aduentum, Dominica ſunt præceptione commoniti. Fratres, amittit diuina munera, perdit gratiæ largitatem, charitatis fraudatur bonis, vnitatis illum benedictio non manebit, qui in ſe malefidus, & ex defectu ſuo ſtultè ſibi ſufficiens, ſic præter Eccleſiam vitam quærit, quam in ipſa tantum eſſe Propheta teſtatur, dicendo; *Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum; quia illic mandauit Dominus benedictionem, & vitam vſque in ſæculum.*]

23. VI. ESSE SICVT ETHNICVM ET PVBLICANVM

BLICANVM. Perfrictæ frontis Chriſtianum qui Eccleſiam non audierit, eique autoritati quam in Eccleſiæ capitibus Deus ad ſui populi regimen ineſſe voluit, fuerit pertinaciter aduerſatus, iubet Chriſtus Matth. 18. haberi ſicut Ethnicum & Publicanum, id eſt vt omnes æquè ibi agnoſcunt, excommunicari. Cur autem excõmunicatus, dicatur fieri ſicut Ethnicus, ridiculè exponunt nonnulli Iuriſperiti, affirmantes perinde id eſſe, ac ſi diceretur, eum deuoueri & addici ignibus infernalibus Montis Ætnæ in Sicilia, quod paſſim creditur vnũ eſſe ex inferni ſuffumibulis. Ita Ioan. Andr. & Abbas ad cap. *nouit*. de Iudic. Hæc inſulſitas, condiendis fatuis hiſce betis quas hîc iampridem eſitamus, opportuna viſa eſt. Nam genuinus illorum Chriſti verborum ſenſus, non eſt obſcurus. Nimirum ſancire voluit Chriſtus, vt fideles non plus commercij haberent cum excommunicatis, quàm haberent olim Iudæi cum Ethnicis & Publicanis. Conſtat enim, Iudæos ſtudioſiſſimè auerſatos eſſe conſortium Ethnicorum, & quoſcunque alterius religionis, etiamſi non idololatras, ſed cultores veri Dei, eo ipſo tamen quod Gentiles & Ethnici erant, fuiſſe Iudæis horrori. Nam illud Ioan. 4. *non coütuntur Iudæi Samaritanis,* hîc non vrgeo, quia poteſt referri ad ſchiſma, quo à Iudæis diuellebantur Samaritani. Hoc flagrantiſſimum Iudæorum ſtudium in vitandis quibuſcunque externis, nè eorum veluti contagio polluerentur, conceperant Iudæi ex diuino decreto Deuter. 7.

24. Publicanos verò Iudæi, cane peius & angue auerſabantur: tùm quia odioſi erant populo, qui ſe tributorum penſitatione liberum obtendens, à publicanis tamen auſteriſſimis exactoribus exugebatur: Tum

Tum etiam quia publicani, genus hominum ferè erat flagitioſiſſimum & probris omnibus coopertum, vnde apud Iudæos erant infames, vt pluribus proſequitur Angelus Caninius in locis Hebr. noui Teſtam. cap. de publicanis. Locum eximium Chryſoſtomi de hac Publicanorum nequitia, & exaggerata improbitate, protuli in tractatione de S. Latrone cap. 4 num. 11. ex eius ſerm. de Chananæa t 6. Græcol. Habet verò planè affinia idem Chryſoſtomus t. ſerm. Græcol. ſer. 56, vbi Publicanum definit, limitem vltimum improbitatis, liberam violentiam, rapinam abſque reprehenſione. Legeſis præterea ibid. ſer. 68. & Aſterium hom. de Zachæo inter Photij breuiculos ç. 271. & in Catena Corderij Lucæ 19. vbi ſic habet. [Omnis quidem iniuria, mala eſt, odióque digna: ſed Publicanus omnes excedit. Non enim vllum legitimum peccandi prætextum habet. In aliis quidem inuenitur mali quędam neceſſitas, & origo, vnde iniquitas procedit. Publicanus fera eſt, & peſtis, quæ prætextum non habet, viis Regiis incumbens. Violenta eſt, & publica autoritate ac vi armata. Publicani enim munus, furti quoddam genus eſt, quod punitioni non ſubiacet, inuerecundus auaritiæ modus, negotiatio ratione ac titulo carens, impudens mercatura, terminus denique ac finis iniquitatis. Quod Chriſtus declarare volens, vbique meretrices & publicanos, tanquam maximorum exempla malorum inducit.] Exempla ſcelerum & rapinarum, huic hominum colluuiei familiarium, non accumulo. Inſtar omnium eſſe poterit ſplendidiſſimum exemplum atrocitatum maligniſſimarum vnius Publicani, deſcriptum à Philone l. de ſpecial. legibus, quod qui conſiderauerit, perſpicuè deprehendet,

quanto

quanto Iudæorum odio flagraret non abs re, genus publicanorum; nec aliud requiret ſimulachrum illius feraliſſimæ expreſſionis Publicani quæ habetur apud Baſilium Seleuciæ orat. 35.

Vt ergo ſignificaretur perfecta alienatio fidelium ab excommunicatis, Chriſtus inter Iudæos agens, ex eorum vſu locutus, ſummam illam qua ab Ethnicis & Publicanis auertebantur offenſionem animorum, & à quocunque commercio elongationem, propoſuit in exemplum; ſignificans non ſecùs fidelibus eſſe coütendũ excommunicato, quàm Iudæi Ethnicis ac publicanis coüterentur, quæ erat ſumma tunc & perfecta cõmercij inter aliquos intercluſio. Quid verò viſum eſt Caietano Matth. 18. vt diceret, rigore Chriſti edictum tranſcendẽte, excommunicatos nunc eſſe nobis pluſquàm Ethnicos & publicanos; cum etiam qui illis communicant, fiant abominabiles, quod olim non contingebat iis Iudæis, qui cũ Ethnicis & publicanis eſſent verſati? Non puto ſugillationem aliquam iuſtiſſimi Eccleſiæ edicti de contagio communicantium excommunicatis, latere in ea Caietani obſeruatione. Itaque molliter repono, locum meritò apud nos eſſe illi rigori, quia de maiore diſpendio periclitamur communicantes cum excommunicatis, quàm olim Iudæi cum Ethnicis & publicanis verſantes, quos tamen ex eo commercio habitos pollutos, neminem latet.

25. VII. Ligari in terra, et in coelo. Eodem cap. 18. Matthæi, Chriſtus Dominus, poſtquã mãdauit contemptorem Eccleſiæ, haberi ſicut Ethnicum & Publicanum, id eſt excommunicari, cauens ne quis id leue eſſe arbitraretur, ſubdidit; quæcunque ab

Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus ligata eſſent, itidem in cœlo ligata fore: quod S. Chryſoſtomus ibi, retulit ad pœnam alterius vitæ, ſupra pœnam excommunicationis iam expreſſæ comparatione excommunicati cum Ethnicis ac publicanis. Sed meliùs Vrbanus & Gelaſius Pontifices, adducti à Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit. c. 19. & ad eum locum S. Hieronymus, ac S. Hilarius ibidem, paſſimque cæteri, cùm ad alia Eccleſiaſtica vincula, tum nominatim ad excommunicationem, tam comparationem cum Ethnico & publicano, quàm ligamina iſta retulerunt, vt textura capitis planè exigit. Inde verò terrorem maximum iniici, quo omnes in præſenti continerentur, ſtatuit S. Hilarius. [Quia dixerat (inquit S. Hier.) *ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, & poterat conteptoris fratris hæc occulta eſſe reſpōſio, vel tacita cogitatio: Si me deſpicis, & ego te deſpicio: ſi tu me condēnas, & mea ſententia condemnaberis: poteſtatem tribuit Apoſtolis, vt ſciant qui à talibus condemnantur, humanam ſententiam diuina ſententia roborari, & quodcunque ligatum fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo.]

11. Quæ porrò vincula iſti ſunt comparabilia, quibus non exteriùs membra corporis, ſed interiùs anima præpeditur? Quem vincula materialia nexuerint, cum libera hominum conſuetudine conſtat prohiberi. At hæc vincula non modò omnem liberam cum fidelibus verſandi facultatem eripiunt, ſed etiam internam ſuffragationum communium participationem adimunt, aliáſque obligationes & nexus inducunt, quibus anima arctè illigatur & præpeditur, vt monet D. Auguſtinus epiſt. 75. qui tract. 50. in Ioann. addit,

hæc vincula ita per Eccleſiam iniici, vt ſimul homo iis innectatur in cœlo, ne quis ea facilè dirumpenda arbitretur. De hoc nemini eſſe ambigendum, indéque magnum excommunicationis horrorem concipiendum meritò eſſe, præclarè tradit Gregor. Nyſſ. orat. in ægrè ferentes reprehenſ. *ſub medium*, adducendus infra cap. 14. Diuus verò Chryſoſtomus, ex eodem fundamento eruit inſignem planè eſſe Chriſtiani ſacerdotij dignitatem, & quacunque terrena poteſtate infinities ſublimiorẽ. Sic enim habet præter cætera lib. 3. de ſacerd. c. 5. [Etenim qui terram incolunt atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt vt ea quæ in cœlis ſunt, diſpenſent: iis datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, *quæcumque alligaueris in terra, erunt alligata & in cœlo: & quæcunque ſolueris in terra, erunt ſoluta & in cœlo.* Habent quidem & terreſtres principes, vinculi poteſtatem; verùm corporum ſolùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipſam etiam animam contingit, atque ad cœlos vſque peruadit: vſque adeò vt quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſupernè rata habeat, ac ſeruorum ſententiam Dominus confirmet.] Non diſſimilem ſenſum ſuum prodidit his verbis S. Gregor. hom. 26. in Euang. [Ecce qui diſtrictum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant, vel liberant, qui ſemetipſos damnari metuebant. Horum profectò nunc in Eccleſia Epiſcopi locum tenent. Ligandi atque ſoluendi authoritatem ſuſcipiunt, qui gradum regiminis ſortiuntur.] Ligationem & ſolutionem quam Epiſcoporum propriam facit, apertè ref_rt

ad cenſuras, præſertímque excommunicationem. Inſignem D. Auguſtini in hanc rem locum ex l. 1. contra aduerſ. leg. & prophet. cap. 17. appendam infra cap. 14.

26. VIII. VIRGÆ SVBIICI. Apoſtoli verba ſunt, 1. Corinth. 4. *Quid vultis, in virga veniam ad vos?* Hoc ad poteſtatem coërcitiuã, præſertim per excommunicationem pertinere, agnoſcunt paſſim DD. Pulchrè S. Ambroſ. l. 1. de pœnit. c. 14. [Venit (Apoſtolus) in virga, quia à communione ſacra conuictum remouit. Et benè dicitur tradi Satanæ, qui ſeparatur à Chriſti corpore. Venit etiam in charitate, ſpiritúque manſuetudinis: vel quia ſic tradidit, vt ſpiritum eius ſaluum faceret: vel quia eum quem ante ſequeſtrauerat, poſtea Sacramentis reddidit. Nam & ſequeſtrari oportet grauiter lapſum, ne modicum fermentum totam maſſam corrumpat: expurgandum eſt vetus fermentum, vel in ſingulis vetus homo, hoc eſt, exterior homo cũ actibus ſuis, vel in populo inueteratus peccatis, vitiiſque concretus. Benè dixit, *expurgandum*, non *proiiciendum*. Quod enim expurgatur, non totum iudicatur inutile. Ideò enim purgatur, vt vtile ab inutili ſeparetur.] En virgam pro excommunicatione. Nihil vulgatius, quàm virgam, cum in ſacris literis, tum etiam apud Ethnicos, ſymbolum eſſe facultatis coërcendi improbos, & malè mulctandi criminoſos. Id enim prælati Conſulibus Romæ faſces virgarum denotabant. Vnde quia tametſi bini erant Conſules, tamen per vices ſumma poteſtate potiebantur, quilibet ad vnum menſem, vt habetur ex Suetonio in Cæſare cap. 20. & ex Liuio decad. 1. lib. 2. idcirco per eum menſem, faſces virgarum ei ſoli præferebantur,

penes

penes quem erat ſumma poteſtas. Ex quo (vt id obiter attingam) intelligi poteſt qua ratione 1. Machab. c.8. dicatur de Romanis, eos obediſſe vni, quod conſtat ſcriptum eſſe de tempore quo Reſpublica Romana per Cōſules adminiſtrabatur. Quare virga ſignum eſt poteſtatis coërcitiuæ; ac proinde Apoſtolus virgam intentans, comminatus eſt correptionem Eccleſiaſticam, quæ præſertim exercetur inflicta excommunicatione.

27. Hanc eſſe dixerim virgam *funiculum*, ſiue flagellum, qua ſimul cum altera cui nomen *decor*, probi paſtores Eccleſiam regunt, vt prænunciatum eſt Zachar. 11. Hæc item eſt virga illa vigilans, per quam qui non reſipiſcunt, incidunt in ollam ignis æterni, vt præclarè circa Ieremiæ viſum diſſerit Clemens Alexand. l. 1. pædag. c. 7. Eſſe quoque hanc virgam, illam ipſam ferream, cuius mentio eſt Pſalmo 2. tradit S. Hieron. epiſt. 53. verbis illis. [Miror ſanctum Epiſcopū in cuius parochia eſſe Presbyter dicitur, acquieſcere furori eius, & non virga Apoſtolica, virgáque ferrea, confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.] Fateor hunc ſenſum verborum Pſaltis non eſſe apud omnes ratum, longéque aliter pleroſque Patres quos adduco agens de Chriſto pacis principe, interpretari virgam ferream, & vaſorum figuli confractionem per eam. Non caret tamen hæc quoque expoſitio probabilitate ſua, vel ſi aliud proferre pro ea non liceret, quàm quod ſit à D. Hieronymo expreſsè tradita.

28. IX. Increpari dvre. Apoſtolus ad Titum 1. arguens quoſdam vaniloquos & ſeductores, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia; ait

Tito: *quam ob cauſam, increpa illos durè, vt ſani ſint in fide.* Græcè eſt, ἔλεγχε ἀποτόμως: qua locutione indicari excommunicationem, inde colligit Turrianus l. 1. pro epiſt. Pontif. c. 5. quod Clem. Rom. l. 2. conſtit. c. 42. his ipſis Apoſtoli verbis adhibitis, atque adeò ad hunc locum alludés, deſcribat excommunicationem. Ait enim Clemens. Κρίνε ἀποτόμως καὶ τῇ μαχαίρᾳ τοῦ πυρὸς παραδώσεις. id eſt, *iudica abſcindendo, & trades gladio ignis.* Et paulò poſt, ἔκκοψον τὸ διασαπὲν μέρος, id eſt, *amputa membrum putreſcens.* Clarum eſt, S. Clementem, his loquendi modis excommunicationem ſignaſſe. Par igitur eſt arbitrari, iiſdem verbis apud Apoſtolum eandem ſubiici notionem, & apud eum, *increpare durè*, vel vt cortex Græcæ vocis potiùs fert, *abſcindere vſque ad viuum*, perinde ſonare, ac infligere excommunicationem. Et ſanè eſſe excommunicationem, increpationem duram, nemo non videt. Rectè Stephanus Brulefer in 4. d. 18. quæſito 6. ait, excommunicationem eſſe increpationem duram & aſperam, quia ſe habet veluti medicamentum acerbum, quod ab Eccleſia ei adhibetur, cui emplaſtra lenientia & ſuauia malagmata non profuerunt. Et hunc ipſum eſſe excommunicationis vſum ac ſcopum, ex ipſo Apoſtolo alibi diſcimus. Idem Apoſtolus 2. Cor. 13. *agere duriùs*, ἀποτόμως, vſurpauit pro eo quod eſt *plectere excommunicatione*, iuxta Turrianum l. 3. de dogm. charact.

29. X. NOTARI. 2. Theſſalon. 3. ſic loquitur Apoſtolus. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, vt confundatur.* Ea notatio aliud eſſe non poteſt, quàm excommunicatio. Neque enim ſenſus Apoſtoli is eſt quem

ibi

ibi affert D. Thomas, & quem ibid. Theophylactus Diuo Chryſoſtomo affingit, cum apud eum non compareat; nimirum *ſi quis eſt inobediens, hunc ad nos deferte per literas, vt à nobis puniatur, & interim deuitate illum.* Nō eſt, inquam, hic ſenſus Apoſtoli, nec illud *per epiſtolam*, iungendum eſt cum verbo *notate*, vt ſenſus ſit, *deferte eum ad me per literas*; ſed illud *per epiſtolam*, referendum eſt ad verbum Apoſtoli per epiſtolam traditum, cui qui inobedientes forent, eos ab Eccleſiaſticis Theſſalonicenſium præfectis, excommunicatione percelli mandat Apoſtolus. Nam ſi Apoſtolo denunciandi fuiſſent per epiſtolam vt ab eo plecterentur, & interim iam vitari debuiſſent, vt habet expoſitio adducta, pœna anteceſſiſſet ſententiam. Senſus ergo Apoſtoli communiter à Patribus & Doctoribus receptus, eſt huiuſmodi. *Si quis fidelis eſt dyſcolus, & inobediens verbo quod per epiſtolam ad vos tranſmiſimus, vos Antiſtites hunc notate*; id eſt, *excommunicate, inurite illi notam qua vitandus ab omnibus agnoſcatur.* Verbum enim Græcum σημειοῦσθε, quod ibi Apoſtolus adhibet, ſignificat appoſitionem notæ qualis bobus cornupetis apponitur, vt declinentur. Qui igitur inter fideles petulci ſunt, & digni qui euitentur ne noceant, notantur per excommunicationem. An alluſum ad notam, Caino, excommunicatorum illuſtriſſimo exemplari impreſſam diuinitùs? An etiam alluſum ad ſtigmatias ſeruos, quos in facie vbi grauiùs deliquiſſent, notare moris erat, vt eſt apud Plinium l. 18. cap. 3. pleniúſque explicant Connanus l. 2. Comment. c. 6. num. 4. Brodæus 4. miſcell. c. 24. & Hermannus Hugo in opere de ſcriptura? Non abſimilis ſanè videri poteſt malorum Dei ſeruorum notatio per

excommunicationem: eámque in loco Apoſtoli cui inſiſtimus, disertè agnoſcunt Tertull. l. de pudic. c. 13. & S. Auguſt. l. contra Donatiſtas poſt collat. c. 4 & in Pſalm. 54. ac l. de fide & operibus c. 3. necnon Caſſianus l. 10. de inſtit. c. 16.

CAPVT IX.

Adumbrationes Chriſtianæ excommunicationis in antiquo Teſtamento, ad cladis per eam illatæ intelligentiam clariorem.

1. QVæ ex nouo Teſtamento ad ingenerandum excommunicationis horrorem ſuppetebant, hactenus propoſuimus. Nunc antiquos eiuſdem typos in veteri ſcriptura abditos, ſcrutari aggredimur. Inde enim non parum lucis accedet, ad eam quam perſuadere nitimur excommunicationis atrocitatem, omnibus meritò extimeſcendam.

Num Satanæ è cœlo deiectio, typus excommunicationis.

Potuiſſet porrò primus locus inter huiuſmodi adumbrationes, dari emigrationi Satanæ de tabernaculo ſuo, & radicis eius de terra viuentium, vt ex Pſal. 51. loquitur Caſſianus lib. 12. de inſtit. c. 4. ei inquam exturbationi deorſum, & religationi per rudentes inferni, negata prorſus communione Sanctorum, quo nullum

nullum eſſe illuſtrius diuinæ ſeueritatis facinus, in confeſſo eſt. Proponit hanc noſtræ excommunicationis imaginem Robertus Arboricenſis Tomo 2. de vtroque gladio theorem. 7. inſinuátque eandem Syneſius epiſt. 58. in deuotione Andronici. Concinnè verò Petrus Bleſenſis ſerm. 29. Satanam ex hac excommunicatione dictum eſſe *anathema*, Chriſtianos verò cum per Baptiſmum à Satana abiunguntur, fieri *anathema anathematis*, his verbis exponit. [Hermon interpretatur, *anathema eius*. Cuius *eius*, niſi ipſius anathematis? Primùm ergo quærendum eſt, quid ſit anathema: deinde, quid ſit anathema anathematis, adiungẽdum. Anathema, hoc eſt, ſeparatio. Anathema anathematis, ſeparatio ſeparationis. Et fortaſsè, ſi ſeparatum eſſe, malum ſit; tamen ſeparatum eſſe à ſeparato, bonum erit. Quis autem meliùs poteſt dici anathema, quàm apoſtata Angelus, qui ſe primùm per ſuperbiam à ſocietate illius ſupernæ ciuitatis ſeparauit, & ex merito præuaricationis ſuæ, dum capitis membrum eſſe noluit, ab vnitate corporis illius præciſus, caput iniquorum omnium factus eſt? Conſtat autem, quod omnis homo, ſecũdùm primam generationem, qua in peccato concipitur, & cum peccato naſcitur, huius corporis membrum eſt, & ad illius ſocietatem pertinet. Sed quiſquis per Sacramenta fidei regeneratus, membrum Chriſti efficitur, ab vnitate huius corporis ſeparatur. Quis eſt ergo anathema, niſi Diabolus, & membra eius, & qui ſunt anathema anathematis, niſi hi, qui ſeparati à corpore Diaboli, facti ſunt membrum Chriſti?] Denique Honorius in Gemma animæ lib. 3. cap. 78. Diabolum ſuperbientem & rebellem, de cœleſti Eccleſia eiectum & excommuni-

catum à Deo aſſerit; Domino (vt ait) formam præbente Chriſtianæ excommunicationis, quæ in ſolos rebelles ac contumaces eſt exſerenda.

Nihilominus, conſultò abſtineo recenſere inter excommunicationis noſtræ typos, hanc Satanæ excommunicationē, omnium licet aſperrimā & calamitoſiſſimam. Et ratio eam dimittendi eſt, quia clades Satanæ irrogata, ex certo Dei conſilio & voluntate fuit immedicabilis atque perpetua, ita vt in Satanæ poteſtate non ſit aut fuerit, ſtatu illo miſerrimo & ærumnoſiſſimo liberari, cōtra delirium Origenis, exiſtimātis abyſſum velut ſeneſcentem, vt S. Gregorius contra eum diſſerit 34. moral. c. 11. & S. Auguſt. 12. ciuit. c. 20. & l. 21. à c. 17. At contra rationem Chriſtianæ excommunicationis eſt, vt ex ſe vel ex inferentis mēte ſit perpetua, nec poſſit diſſolui ad nutum excommunicati reſipiſcentis. Id quod de omni æquè cenſura valere, ſignificatur cap. *ex literis.* de conſtitut. Vbi Felinus num. 34. & Panorm. num. 10. alios in eam rem textus adducunt. Ad alios ergo accommodatiores excommunicationis noſtræ typos, accedamus.

Aptior typus, eiectio Adami è paradiſo.

2. Antiquiſſimam in primis ac appoſitiſſimam excommunicationis noſtræ adumbrationem, ſuppeditat Adami è paradiſo voluptatis eiectio in terram ſentes ac tribulos germinaturam. Idque Adamiani hæreticorum ſpurciſſimi ac cœnoſiſſimi, apud S. Epiphanium hær. 53. agnouerunt, adiuncto pro more, inquinamento. Sic enim ait de eis S. Epiphanius. [Si viſus

ſus fuerit quis (nam & hoc dicunt) in delicto eſſe, eũ non amplius in congregationem admittunt. Dicunt enim ipſum eſſe Adam, qui comedit de ligno, & incidit vt expellatur è paradiſo, hoc eſt, ex ipſorum Eccleſia. Putant enim, ſuam Eccleſiam eſſe paradiſum, & ſeipſos eſſe Adam & Euam.] Dubitari poteſt, an hi ſpurciloqui cenſuerint expulſionem Adami è paradiſo, nunquam accidiſſe ad literam, ſed quod de ea ſcriptum extat, dictum ænigmaticè fuiſſe de abiectione è ſuis ſpelæis. Vt vt ſit, expulſio Adami, ex erronum illorum mente, fuit adumbratio excommunicationis inter Chriſtianos receptæ: quod dimiſſa lutulenta hac ſcrobe, placet aliunde haurire. Ita habet Franc. Arrias repetit. in cap. *porrò*. de ſent. excom. num. 4. Ioan. à S. Geminiano l. 8. de ſimilitud. c. 22. Reuclinus l. 1. de arte Cabaliſtica, vbi iuſſum Dei ad Adamum, ait fuiſſe monitorium, & paſſim iuniores. Sed Patres potiùs audiamus.

S. Hieronymus in cap. 6. Oſeæ, ad illud, *ipſi autem ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum*, hoc dictum interpretatur de peccantibus in paradiſo Eccleſiæ, vnde poſtea eiiciuntur per excommunicationem. Sic enim eum locum ediſſerit. [Ipſi autem imitati ſunt Adam, vt quod ille in paradiſo fecerat, pactum meũ legémque præteriens, iſti in terra facerent. Et ibi, hoc eſt in paradiſo, omnes præuaricati ſunt in me, in ſimilitudinem præuaricationis Adam. Non enim mirũ, ſi quod in parente pręceſsit, etiam in filiis cõdemnetur. Quotidie Deus & eos qui extra Eccleſiam ſunt, & qui pereunt in Eccleſia commorantes, prouocat ad pœnitentiam, & dicit eis: *miſericordiam volo, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei, pluſquàm holocauſta*. Illi verò offerunt panem

panem ſacrilegum,& dant eleemoſynas,& ſectari videntur humilitatem. Quæ ego ſi verè fiant,holocauſta interpretor:cùm autem ſcienriam Dei reliquerint, fruſtra rruncato capite fidei, cætera membra habere ſe iactant. Præuaricati ſunt enim pactum Dei in Eccleſia,ſicut Adam præuaricatus eſt in paradiſo:& imitatores ſe antiqui parentis oſtendunt,vt quomodo ille de paradiſo,ſic iſti eiiciantur de Eccleſia.]

S.Auguſtinus l.11.de Geneſi ad lit.c. 40. adducens varias cauſas abducti à ligno vitæ, & pulſi è paradiſo Adami,hanc profert præter cæteras,[quod in eo eſſet Sacramentum viſibile inuiſibilis ſapientiæ: alienandus inde vtique fuerat, vel iam moriturus, vel etiam tanquam excommunicatus,ſicut etiam in hoc paradiſo,id eſt,Eccleſia,ſolent à Sacramentis altaris viſibilibus,homines diſciplina eccleſiaſtica remoueri.]Videtúrque etiã D. Auguſtinus huc reſpexiſſe paulo poſt, tractãs illud, *& ordinauit Cherubim,& flammeam rompheam quæ vertitur,cuſtodire viam ligni vitæ.* Ait enim. [Hoc per cœleſtes vtique poteſtates etiam in paradiſo viſibili factum eſſe credendum eſt, vt per Angelicum miniſterium eſſet illic ignea quædam cuſtodia. Non tamen fruſtra factum eſſe, niſi quia ſignificat aliquid etiam de paradiſo ſpiritali, non eſt vtique dubitandum.]

Eodem æuo,Bracharius epiſt.ad Ianuar. *ferè initio.* [Ecce in ipſius introitu ſcholæ, occurrunt illic duo authores ſeminis carnalis,Adam & Eua, qui venenato ſerpentis dente percuſſi, non ſtatim pœnæ mortis addicti ſunt,ſed deiecti de paradiſi deliciis; id eſt, de Eccleſię libertate,& ſacri communione myſterij.Ideò temporariè, ſub typo mœroris tribulaţioníſque damnati

nati ſunt, vt malagmate pœnitentiæ ſanarentur; & eò vſque de ligno vitæ, id eſt Chriſti participio exules fierent, donec ad eum per romphæam flammeam, id eſt ignitam martyrij paſſionem, aut per Cherubim Domini, qui interpretatur *multitudo ſcientiæ*, remearent.]

4. Paſchaſius Rathbertus l. de corp. & ſang. dom. c. 9. *ſub initium.* [Sicut fuit arbor vitæ in paradiſo, ita ſancta Dei Eccleſia, quæ paradiſus deliciarum in canticis appellatur, habet in ſe myſterium vitæ, quod in eodem ligno figurabatur; ex quo qui edunt ſeruantes mandata vitæ, nequaquam poſſunt mori in æternum. Quod ſi veluti Adam inobedientes, à Diabolo rurſus peccato mortis perempti fuerint, ſicut ille de paradiſo, remouentur à ſanctis altaribus, & à ligno vitæ, ſcilicet à corpore & à Sanguine Chriſti, qui eſt verum paradiſi lignũ, cuius folium non defluet, & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Remouentur autem, ne ſumant de ligno vitæ, & malè viuant, vt moriantur: imo, vt reſipiſcant à malis ſuis, & per pœnitentiam reconciliati, Chriſti per hunc cibum rurſus reinſerantur viſceribus, & fœliciter deinceps viuant in æternum. Hoc quippe agunt Sacerdotes Chriſti in Eccleſia, & monſtrant quod futurum eſt in illo vltimo examine, quando ſeparabuntur iuſti ab iniuſtis. Sed hîc ſicuti Adam expulſo, ſpes manſit redeundi ad vitam per pœnitentiam, ita præciſis à ligno vitæ, patet facultas, ſi velint redire ad veniam.] Honorius in Gemma animæ lib. 3. cap. 78. [Quod Eccleſia (inquit) peccantes de Eccleſia eiicit, pœnitentes recipit, ſuperbos autem & rebelles excommunicat, & non pœnitentes, indignos ſepultura iudicat; à Domino formam

mam accepit, qui peccatorem hominem de Paradiſo expulit, ſed pœnitenti cœlum aperuit.

Omnibus antedictis antiquior Clemens Rom. 2. Conſtit. c. 42. manifeſtè agnoſcit, Adami expulſionem fuiſſe imaginem Chriſtianæ excommunicationis. Agens enim de fideli peruerſo, mandat Antiſtiti, vt eum iudicet durè, & tradat gladio ignis. Hoc Turrianus ibi, rectè ad excommunicationem retulit. Et rationem reddit l. 1. pro epiſt. Pontif. c. 29. quia gladius ignis per Cherub vibratus, & arcens primos parentes è paradiſo, rectè exhibet excommunicationem, qua peccatores remouentur ab Eccleſiæ paradiſo, per plenitudinem ſcientiæ Prælati; hoc eſt per peritum ac muneris ſui ſcientem Antiſtitem, quem Cherub plenitudinem ſcientiæ nomine ipſo præferens, aptè adumbrauit.

Analogia, Adamum inter & excommunicatum.

5. Ex prolatis SS. Patrum teſtimoniis, ferè liquet, in quo ſita ſit proportio excommunicationis cum eiectione Adami è paradiſo. Ac primùm analogia cõmorationis Adami in paradiſo, cum Chriſtiani conuerſatione in Eccleſia, eſt per ſe manifeſta: cum eccleſia ſit verè paradiſus deliciarum Edeni perſimilis, de quo plura, tractando quomodo Chriſtus ſit Rex gloriæ. Habuit præterea Adamus priuſquàm è Paradiſo exturbaretur, iugem ac ſuauiſſimam Sãctorum communionem & ſocietatem, qua per peccatum excidit. Diuinum præſidiũ ſpeciale, & tutela Angelorum præcipua, aderat. In promptu erat lignum vitæ. Affluebat bonis omnibus, & quantum citra Dei contuitionem

obtingere

obtingere homini poteſt,potiebatur beatitate.Exturbatus è paradiſo,excidit felici illo ſtatu, & interpoſita ignea romphæa per Cherubinum vibrata, prohibitus eſt regredi in paradisũ; tametſi vt ſignificaretur plagam eius non eſſe immedicabilem,& poſſe illi patere aditum ad puriores ac pleniores delicias ſi reſipiſceret,gladius flammeus exhibitus eſt verſatilis,vt Greg. Nyſſenus ad finem orationis ſecundæ de 40. martyribus, ſcitè annotauit. Recogitare quiſque per ſe poteſt,quis ſenſus fuerit Adami, cum primùm è tot tantiſque amœnitatibus,de Angelorum ſocietate,de cœli(vt ſic dicam) ſuburbiis, in vepretum ac ſpinetum, hoc eſt in terram incultam, tribulis ac ſpinis proferendis damnatam,planè inamœnam,procellarum, ac variorum aëris turbinum, & incommodorum ludibrium,abactus eſt,& vt ſcriptura obſeruat, è regione priſtinarum deliciarum,vt magis pungeretur collocatus.Conſiderauit hoc egregiè S. Chryſoſtom, homil. 18.in Geneſ. [Vt iugem (inquit,) dolorem haberet, quotidie cogitans vnde exciderit, & in quem ſtatum ſe coniecerit. Et quamuis grauiſſimi doloris ſpectaculum erat,eſt tamen magnæ vtilitatis occaſio, vt dolens continuo aſpectu,munitior & cautior eſſet in aliis,ne iterum in eadem peccata incideret,qui hominis(vt plurimum)mos eſt. Nam quoniam cùm bonis frueremur,neſciuimus ipſis vt oportet vti,illorum priuatione emendati ſumus, & tunc experientia docti, ſentire cœpimus noſtram deſidiam. Itaque tanta rerũ mutatione, docemur, & à quibus excidimus,& quibus noſipſos malis iniecimus. Itaque quod propè, & è regione paradiſi, eũ qui illinc exciderat habitare iuſſit,maximæ prouidentiæ,& curę ſignum fuit,vt &

ſpectando

ſpectando memor eſſet,& inde lucrum faceret.]

6. Hæc cum quis apud ſe perſpexerit, conuertat mentis oculos ad Chriſtianum ex Eccleſia eiectum, nec minùs miſerandum deprehendet eius ſtatum. Agnoſcet quippe eum ſubmotum ab vſu ligni vitæ, id eſt ab vſurpatione Sacramentorum, in ſolo ſpinarum ac tribulorum feraciſſimo: eiuſmodi enim eſt, hominis eo deducti conditio. Videbit eum extra ſpeciale Dei præſidium, & peculiarem SS. Angelorum protectionem collocatum. Et cum cæteri in domo Dei abundent panibus, tótque ac tantis fruantur ſpiritualibus bonis, præ quibus ſenſibilia paradiſi terreſtris bona faſtidire poſſint, comperiet excommunicatum è regione conſtitutum, videre & tabeſcere, conſiderantem quantis ſe bonis priuum vltrò fecerit, quibus vberrimè potiantur fideles reliqui.

Caïn, typus excommunicati.

Alterum Chriſtiani excommunicati ſpecimen, eſt Cain. In quam rem cum pleraque proferat Robertus Arboricenſis tomo 2. de vtroque gladio, theorem. 7. ego analogiam illam ſic aperio. Caini atrox delictũ, in quo Deum ſe latere poſſe, impiè cenſuit, Victor Cartennenſis l. de pœnit. cap. 4. egregiè expendit, additque c. 7. Caini crimen, non ſimplex, ſed ſeptemplex fuiſſe, cui meritò repẽſum ſit ſupplicium ſeptemplex: quæ ille & crimina & ſupplicia, concidit minutiùs. Septem item Caini ſcelera in vno illo fratricidio inuoluta, ſecernit diligenter S. Chryſoſt. hom. 19. in Geneſ. Tam locupleti ſubſtantiæ criminis, pœna illa reponitur Geneſ. 4. *Maledictus eris ſuper terram, cum operatus*

operatus fueris eam, non dabit tibi fructus ſuos. Vagus & profugus eris ſuper terram. Ipſe Cain verſ. 13. de ſe ait, agens cum Deo. *Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra.* Rurſúſque verſ. 16. ita habetur. *Egreſſúſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra, ad Orientalem plagam Eden.* Egredi à facie Dei Cainum, interprete Chryſoſtomo aliud non fuit, quàm nudari diuino præſidio & protectione ſpeciali: quod eſſe inter excommunicati damna maximè horrendum vidimus ſuperiùs. Sed & illud Caini ſupplicium, eſt excommunicato commune, quod vterque ſemotus à notorum conſortio, ſiue profugus; vterque ſemper pauidus, ſemper ſæua præſumens; è regione Edenis, id eſt non procul quidem à paradiſo, extra paradiſum tamẽ oberrat. Vterque tremens, & diuinam manum ſemper impendentem in momenta ſingula, fulmen & horrenda ſupplicia ſtricturam operiens. Vel ſi tremorem Caini, de paralyſi placeat accipere cum Chryſoſtomo, nihil faciliùs quàm myſticè accommodare ad rem pręſentem, quæ ille de ea Caini pœna egregiè his verbis tradit homil. 4. de verbis Eſaiæ, *Vidi Dominum.* [Semper Deus, vbi peccauit anima, punit corpus. Itidem fecit & in Cain. Anima peccauerat admiſſo parricidio, & corpus illius, paralyſi tactum eſt, idque iure optimo. Quam ob rem, gemens ac tremens eris ſuper terram. Et circuibat Cain, omnibus loquens, ſilentio vocem edens, ſilentióque erudiens. Lingua tacebat, & cætera membra clamabant, cunctíſque exponebant cur gemeret, cur tremeret. Fratrem occidi, parricidium admiſi. Quod poſtea Moyſes ſcripto narrauit, ille rebus ipſis omnibus loquens obambulabat;

non occides. Vidiſti os ſilens,& rem vociferantem? vidiſti legem viuam ferri? vidiſti columnam eminentem? vidiſti vindictam vindicta tolli? vidiſti ſupplicium verſum in eruditionis materiam? vidiſti peccantem animam,& carnem dantem pœnas,ídque admodùm congruenter?]

Et coruus Noëticus.

7. Coruus ex arca à Noemo excluſus, excommunicatum ex Eccleſia eiectum præſignauit,iuxta S. Brunonē l.de laud. Eccleſ.c.2. *ſub finem*; ſic enim ſcribit. [Coruus de arca egreſſus reſtat nunc de coruo dicere,qui de arca egreſſus ad eam vlterius redire neglexit. Per hunc nimirum illi figurantur,qui pro ſuis offenſis ab Eccleſia ſeparati ad eam vlterius redire deſpiciunt.Talis fuit Arrius & Sabellius,tales & Donatiſtæ,qui pro ſuis iniquitatibus ab Eccleſia diuiſi ad eam redire & reconciliari noluerunt; vnde non immerito omne coruinum genus immundum eſſe dicitur. Quid vero per columbam, quæ cum ramo oliuæ virentis ad arcam rediit,niſi illi ſignificantur qui mites ſunt, ſapientes & humiles:hi enim quia pacem & concordiam diligunt, ſi Eccleſiam Dei & fratrum congregationem quolibet modo contra ſe commotam intelligunt,mox humiliati, & per omnia ſatisfacere parati,ad eam redeunt,pacem offerunt, & miſericordiam ſuppliciter depoſcunt. Qui ergo perire timet, & ſaluari deſiderat, ab vnitate Eccleſiæ non recedat. Audiant Dominum dicentem. Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto, qui cum patre & filio, &c.]

Ac qui per Moſem trucidati.

Moſem trucidantem impios, fuiſſe adumbrationem Eccleſiaſtici Præſulis, ſtringentis ſacrum gladiũ, docet S.Auguſtinus l.de fide & operibus c. 2. verbis illis. [Hoc primũ dico,ne quis ea teſtimonia Scripturarum quæ commixtionem bonorum & malorum in Eccleſia, vel præſentem indicant, vel futuram prænunciant, ſic accipiat, vt diſciplinæ ſeueritatem ſiue diligentiam, ſoluendam omnino atque amittendam, non illis edoctus literis, ſed ſua opinatione deceptus exiſtimet. Neque enim quia illam primi populi commixtionem, Moyſes Dei famulus patientiſſimè perferebat, ideò non in multos etiam gladio vindicauit. Et Phinees Sacerdos, adulteros ſimul inuentos ferro vltore confixit: quod vtique degradationibus & excommunicationibus,ſignificatum eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cum in Eccleſiæ diſciplina, viſibilis fuerat gladius ceſſaturus.]

Maria quoque & leproſi vrbe eiecti.

8. Maria vxor Aaronis,Moſis ex fratris coniugio ſoror, non germana vt plurimi perperam putant, ſed cognata,vt rectè Iſid.Peluſ.l.3. epiſt.152. ob grauem noxam multata diuinitùs, & iuſſa aliorum commercium declinare Num. 12. imago ac typus fuit eorum quos Eccleſia ob graues culpas arcet à cæteris, ne ad eos contagium deriuent. Audi Clementem Romanum 2.conſtit.c.16.aliàs 19.[Cum deliquiſſe videris, iube eiici foras, acerbè ferens,de quo eiecto doleant

item diaconi, qui eum obſeruent, & extra Eccleſiam contineant, iidémque in Eccleſiam poſtea ingreſſi, pro eo te rogent. Etenim Saluator noſter pro iis, qui peccauerant, Patrem precabatur, vt eſt in Euangelio ſcriptum: *Pater*, inquit, *ignoſce eis, non enim ſciunt quid faciunt*. Poſtea iubebis ingredi, & facta examinatione, an pœniteat ſitque dignus qui in Eccleſiam ex toto admittatur, caſtiga illum ieiuniis duarũ, aut trium aut quinque, aut ſeptem hebdomadarum, vt delicti genus, & ratio popoſcerit, atque ita dimitte eum, ea locutus quæ eum, qui de peccato commiſſo alium admonendi cauſa increpat, docere, & monere conuenit; vt apud ſe maneat Deum deprecans, vt ſit ſibi propitius, ac beneuolus, illúdque dicat; *ſi iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? Quoniam à te eſt propitiatio*. Tale enim quid innuit, quod in Geneſi dictum eſt Caino, *peccaſti, quieſce*; id eſt, ne pergas peccare. Quòd enim eum qui deliquit, pudere delicti ſui oporteat, ſatis docet quod in Scriptura dictũ eſt Moyſi, cum Moyſes precabatur Deum, vt peccatum ſorori condonaret: ait enim Deus illi: *Si pater in faciem eius expuiſſet, an non erubuiſſet? Septem diebus extra caſtra amoueatur, & poſtea ingredietur*. Sic igitur vos facere oportet, eos ſcilicet, qui ſe pœnitere aiunt peccaſſe, eiicete ex Eccleſia, tempore proportione peccatorum definito: poſtea verò recipere pœnitentes, tanquam patres filios.] Mariæ quoque eiectionem à cœtu populi, & poſt ſeptiduum reuocationem, præſignaſſe excommunicationem docet Rabanus in libro de Pœnitentibus c. 1. *ſub finem* ex S. Iſid. Hiſpal. ad Maſſionem, additque quod Maria ſeptem diebus iuſſa eſſet, manere extra caſtra, inde factum eſſe, vt

canonum

canonum cenſura peccatorem extra collegium S. Eccleſiæ ſeptennio excluderet, nec ſtatui priſtino redonaret ante illud tempus.

Affine eſt quod de leproſi cuiuſuis abiectione extra ciuitatem in locum immundum, ſancitur Leuit. 14. quæ abiectio quid adumbret, accipe ex Tertulliano l. de pudic.cap.20. [Si poſt recuperationem & reformationẽ, rurſus Sacerdos animaduerterit in eadem domo de priſtinis cauſis aliquid, & maculis, immundam eam pronunciauit, & iuſſit deponi materias, & lapides, & omnem ſtructuram eius, & abiici in locum immundum: hic erit homo caro atque anima, qui poſt baptiſma & introitum Sacerdotum reformatus, denuo reſumit ſcabra & maculas carnis, & abiicitur extra ciuitatem in locum immundum, deditus ſcilicet Satanæ, in carnis interitum.]

Item Core ac ſocij abſorpti.

9. Core, Dathan & Abiron, ſeditionis in populo Dei incentores, faces rebellionis, & quod planè inſigniter expendit Facundus l. 12. pro tribus capitulis c. 2. Deo quidem vero, ſed aliter quàm ipſe ſanxiſſet immolare decernentes, horribili ſeparatione à cæteris ſubmoti ſunt, & iuxta S. Cyprianum l. de vnit. Eccleſ. num. 60. adumbrationem excommunicatorum in Chriſtiana Eccleſia, prætulerunt. Præmiſerat ibi S. Cyprianus, non pauca in percuſſos Eccleſiaſtica animaduerſione, hæcque præter cætera. [Vitate quæſo vos eiuſmodi homines, & à latere atque auribus veſtris pernicioſa colloquia velut contagium mortis arcete, ſicut ſcriptum eſt, *Sepi aures tuas ſpinis, & noli*

audire linguam nequam. Et iterum, *corrumpunt ingenia bona, confabulationes peſſimæ.* Docet Dominus, & à talibus admonet recedendum. *Cæci ſunt*, inquit, *duces cæcorum. Cæcus autem cæcum ducens ſimul in foueam cadent.* Auerſandus eſt talis, atque fugiendus qui ſanus fuerat ab Eccleſia ſeparatus. Peruerſus eſt huiuſmodi, & peccat, & eſt à ſemetipſo damnatus.] Mox verò ſubiungit. [Nec dignatur ſcire, quoniam qui contra ordinationem Dei nititur, ob temeritatis audaciam diuina animaduerſione punitur. Sic Chore, & Dathan & Abyron, qui ſibi contra Moyſem, & Aaron Sacerdotem, ſacrificandi licentiam vindicare conati ſunt, pœnas ſtatim pro ſuis conatibus pependerunt. Terra compagibus ruptis in profundum ſinum patuit, ſtantes atque viuentes, recedentis ſoli hiatus abſorbuit. Nec tantùm eos qui authores fuerant, Dei indignantis ira percuſſit, ſed & cæteros ducentos quinquaginta participes eiuſdem furoris, & comites, qui coagulati cum iiſdem ſimul, ad audaciam fuerant, exiens à Domino ignis, properata vltione conſumpſit, admonens ſcilicet & oſtendens, contra Deum fieri quidquid improbi fuerint ad deſtruendam ordinationem Dei humana voluntate conati.]

10. PſeudoConcilium Bagaïtanum excommunicans Maximinianum, apud S. Auguſtinum l.4. contra Creſcon. c.4. eandem de propoſito excommunicationis typo, mentem præfert his verbis. [Maximinianum fidei æmulum, veritatis adulterum, Eccleſiæ matris inimicum, Dathan, Chore, & Abyron miniſtrum de pacis gremio ſententiæ fulmen excuſſit: & quod adhuc eundem dehiſcens terra non abſorbuit, ad maius ſupplicium ſuperis reſeruauit. Raptus enim pœnam

nam ſuam compendio lucrauerat funeris vſuras,nunc grauiores colligit fœnoris, cum mortuus intereſt viuis.]

In Concilio denique Lemouicenſi act. 1. hæc formula excommunicandi rebelles ponitur. [Maledicti ipſi, & adiutores eorum in malum, maledicta arma eorum,& caballi eorum. Erunt cum Cain fratricida & cum Iuda traditore, & cum Dathan, & Abyron, qui viui introierunt in infernum. Et ſicut hæ lucernæ extinguútur oculis veſtris;ita gaudium eorum extinguatur in conſpectu ſanctorum Angelorum, niſi ante mortem ad ſatisfactionem, & emendationem, ſiue pœnitentiam dignam venerint,in iudicium Epiſcopi ſui. Omnes Epiſcopi,& Presbyteri candelas ardentes in manibus tenentes,mox eas in terram proiicientes extinxerunt. Ad quod verbum cor populi valdè expauit,& omnes clamauerunt,dicentes:ſic extinguat Deus lætitiam eorum, qui pacem,& iuſtitiam ſuſcipere nolunt.]

Necnon Achan, & Zambri.

11. Achanem fuiſſe Chriſtianorum excommunicatorum imaginem, eiúſque horribili ſupplicio diſcendum eſſe tranſgreſſoribus rectè ſapere,illud oſtẽdit, quod Achane poſt ſcelus ſuperſtite, denunciauit Deus polluendos fore ex eius conſortio Hebræos omnes,quouſque ipſe, vtpote anathematizatus, contereretur.Analogiam anathematis Achanis,cum anathemate Chriſtiano,agnoſcit apertè Origenes homil. 7. in Ioſue, necnon Catholici Orientales epiſt. ad Agapetum Papam,quam recitat Baron. anno Chriſti.

536. qui etiam Epiſtola ad Imperatores, ibidem adducta, eodem exemplo vtuntur ad demonſtrandam excommunicationis virulentiam.

Phinees Sacerdos, vltore gladio vindicans diuinam iniuriam in ſcortatoribus, adumbrauit Eccleſiaſticum Antiſtitem, plectentem excommunicatione ſpirituales adulteros. Ita docet S. Auguſt. l. de fide & operibus cap. 11. verbis illis. [Phineës Sacerdos adulteros, ſimul inuentos ferro vltore confixit. Quod vtique degradationibus, & excommunicationibus ſignificatũ eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cum in Eccleſiæ diſciplina, viſibilis fuerat gladius ceſſaturus. Nec quia beatus Apoſtolus, inter falſos fratres tolerantiſſimè congemiſcit, quoſdam etiam Diabolicis inuidentiæ ſtimulis agitatos, Chriſtum tamen prædicare permittit: ideò parcendum cenſet illi qui vxorem patris ſui habuit; quem præcepit congregata Eccleſia tradere Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini noſtri Ieſu Chriſti. Aut ideo ipſe non alios tradidit Satanæ, vt diſcerent non blaſphemare.]

Reges Ozias & Nabuchodonoſor.

12. Ozias Rex, ob temeritatem in Sacerdotem & profanam audaciam, ſucceſſor Core, Dathani, & Abironis, lepra à Deo percuſſus, & è templo eiectus, adumbrauit Chriſtianum excommunicatum, cui ob contumaciam in Dei Sacerdotem, contingit expelli è domo Dei, & arceri communione cum cæteris. De Ozia ſic correpto, ita ſcribit S. Chryſoſt. homil. 4. de verbis Eſaiæ, *Vidi Dominum.* poſt deſcriptum ſcelus

eius.

eius. [Continuò effloruit lepra in fronte illius. Vbicunque eſt impudentia, illic & vltio. Vidiſti humanitatem vltionis diuinæ? Non fulmen emiſit, non terram concuſſit, non commouit cœlum, ſed effloruit lepra, non in alio loco quàm in fronte, vt facies præ ſe ferret vindictam; vt tãquam in columna litteræ eſſent impreſſæ. Non enim propter illum factum eſt, ſed propter eos qui ſequuntur Dathan. Quum enim poſſet pro meritis pœnam infligere, non inflixit, ſed ſeu lex poſita eſt, velut in loco ſublimi dicens: Nolite facere talia, ne patiamini ſimilia: Extat lex viua, & frons vocem edidit tuba clariorem: Literæ erant inſculptæ fronti, literæ quæ deleri non poterant. Non enim erant atramento inſcriptæ, vt aliquis poſſet delere, ſed naturalis erat lepra, eúmque reddidit immũdum, vt alios faceret mũdos. Et quemadmodum iure damnatos, poſteaquàm funem acceperint, educunt funem ore geſtantes; ſic & hic adducebatur pro fune lepram ingeſtans, eo quod ſacerdotium affeciſſet contumelia.] Hanc porrò vltionem, exhibuiſſe excommunicationem Chriſtianam, diſtinctiùs ad hunc modum tradit ibid. homil. 5. [Quod Chriſtus adhortatus eſt, vt facerent homines, quoties inuicem peccauerint, hoc Deus fecit erga hominem. *Quoties enim*, inquit, *peccauerit in te frater tuus, abi, argue eum inter te & ipſum ſolum.* Sic & Regem hunc redarguit Deus. Et Chriſtus quidem dicit; *Si te non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & publicanus.* At Deus humanitate proprias ſupergrediens leges, ne ſic quidem illum reſecuit, nec audire nolentem, indignantémque deiecit, ſed iterum aggreditur, caſtigátque, modo correctionem habente potius quàm vltionem. Neque enim fulmen vibrauit è

ſublimi, neque exuſſit impudens caput, ſed tantùm lepra caſtigauit.]

13. Nabuchodonoſorem, quiſquis expreſſam Chriſtiani excommunicati imaginem dixerit, mea ſententia non aberrabit. Homo impius, in ſcelere obfirmatus, & contumax, excepit à vigili ſententiam Daniel. 4. qua eiectus eſt ex hominibus, & eius habitatio cum beſtiis & feris eſt decreta, donec ſciret dominari excelſum in regno hominũ, id eſt, in terra. Vigilem, nemo non videt, vel ipſa nominis notatione ſuffragante, Epiſcopum adumbrare. Iuſto eius decreto, obduratus in ſcelere, ac iniquitatis typho turgens peccator, eiicitur ex cœtu hominum, hoc eſt ex Chriſtiana Eccleſia quam incolunt veri homines, & hominum id eſt (Tertulliano interprete) Apoſtolorum filij. E rationali illo cœtu, abigitur infelix inter feras; quo nomine aptiſſime veniunt infideles, quibuſcum duntaxat commercium eſſe poteſt excommunicato: cui ſtatus ille ferinus, & deſtitutio à ſtatu ſocietatis humanæ bellè conuenit, donec reſipiſcat, & Deum in Eccleſiæ perſona loquentem audiat, mollita obduratione, & peruicta contumacia.

Ionas, & Samaritani.

14. Ionas pertinax & rebellis, ac idcirco deiectus in mare, & à ceto deuoratus, videtur genuina imago fuiſſe hominis ex Eccleſiæ nauicula exturbati, & à Diabolo hauſti, qui proinde poſſit illis Ionæ verbis ex cap. 2. ad ſe aptatis, Deum affari. *Proieciſti me in profundum in corde maris, & flumen circumdedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui ſuper me tranſierunt. Et ego dixi:*

xi: abiectus ſum à conſpectu oculorum tuorum. Verunta-men rurſus videbo templum ſanctum tuum. Circundede-runt me aquæ, vſque ad animam; abyſſus vallauit me, pe-lagus operuit caput meum. Ad extrema montium deſcen-di; terræ vectes concluſerunt me in æternum, & ſubleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus. Cum anguſtiaretur in me anima mea, Domini recordatus ſum, vt veniat ad te oratio mea, ad templum ſanctum tuum. Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericordiam ſuam derelinquunt. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque voui, reddam pro ſalute Domino.

Samaritani Iudæis non coütentes, adumbrarunt noſtros excommunicatos, iuxta D. Auguſtinum l. contra Donatiſt. poſt collat. c.20. verbis illis. [Quod iuſſus eſt quidam Propheta nec panem manducare, nec aquam bibere in Samaria, quo miſſus fuerat, vt corriperet eos qui vaccas conſtituerant adorandas more idolorum Ægyptiorum; hoc omnino facere de-buit quod præceperat Dominus, cui tunc eo modo illos corripere placuit, vt nihil ibi alimentorum tan-geret Propheta, quem miſerat. Nũquid eis in Eccleſia non fit quotidie, quando eos quos acriùs corripiunt, etiamſi in eorum poſſeſſione ſumus, nihil ibi apud eos contingimus, vt ſentiant quantum eorum peccata doleamus?]

An Iudaïca excommunicatio, typus noſtra.

15. Hæ ſunt præcipuæ adumbrationes Chriſtia-næ excommunicationis, quas vetus inſtrumentum ſuppeditat. Quia verò ſub lege Moſaïca, vſus erat no-xios extra Synagogam faciendi, vt vidimus, dicemúſ-que

que rurſus infra,tractantes horrorem quo olim Iudæi concutiebãtur, cum ſic plectebantur;quæri hoc loco poteſt,an ea quoque extra Synagogam eiectio, fuerit adumbratio noſtrę excommunicationis,an verò eiuſdem cum ea ſpeciei fuerit. Senſit hoc ſecundum, qui ſcripſit,Chriſtianam excommunicationem,ita manaſſe ex vſu illo Iudæorum, vt non fuerit niſi eius continuatio,quod habetur ex Polydoro Virgilio l.4.de inuentor. rerum,cap. 12. *ad finem.* Et ſanè cum eſſet in antiqua Eccleſia poteſtas gubernandi populum Dei, eáque vis rectrix abſque facultate coactrice inutilis & manca futura eſſet,non videtur dubium,quin pręſules antiquæ legis potuerint multare peccatores pro delictorum grauitate; non modò eos extra Synagogam faciendo,quod notum eſt, ſed etiam arcendo illos à ſacrificiis & Sacramentis antiquæ legis. Quidni verò potuerint quoque eos priuare fructu ſuffragiorum & orationum communium? Hoc autem eſt,ferire reum maiori excommunicatione.

Reſpondent Soto in 4.d.22. q.1. artic.1. §. *ad hæc*, Henriq.l.13.c.2.*in fine*.Mart.Ledeſma 2.4.q.21.art.1. Sayr.l. 1. de cenſur.c.4. Sacerdotes veteris legis, non potuiſſe inducere priuationem ſuffragiorum cõmunium, quia in ea lege nulla erat ſpiritualis virtus clauium.Sed hoc non ſatisfacit. Quia quamuis Synagoga claues non habuerit per ordinem ad remiſſionem peccatorum & cœli reſerationem; (has enim claues Chriſtus primùm conceſſit:) tamen ſpectando claues inadæquatè,ſiue prout duntaxat ſpectabant gubernationem accommodatam illi ſtatui, & coërcitionem neceſſariam ad veram gubernationem, fatendum eſt, Synagogam habuiſſe claues:quod haud dubiè volue-

runt

runt aliqui adducti in ſupplemento D. Thomæ 3.p.q. 19. artic. 1. diſertè idem concedit Suarez t. 4. 3.p.d. 17. qui etiam l.6.de voto c.9.num.21. probabile indicat, claues in ea lege, comprehendiſſe quoque facultates varias ad diſpenſanda & relaxanda iuramenta & vota, ſine quibus facultatibus, vix ac ne vix quidem rectè poſſet procedere gubernatio fidelium. Idem ergo eſt de ſpirituali facultate coërcendi, quæ quandoquidem agnoſcitur conceſſa Antiſtibus veteris legis quoad ſubmotionem à Sacramentis & ſacrificiis, quidni agnoſci quoque poſſit quoad priuationem ſuffragiorum communium? Atque ita nihil videbitur deeſſe excommunicationi veteris legis, quominus dicatur eiuſdem ſpeciei & rationis fuiſſe cum noſtra; proindéque non fuiſſe adumbrationem & typum eius, ſed germanam atque congenerem.

16. Fateor non conſtare liquidò, an reipſa in veteri Teſtamento fuerit vſus inducendi priuationem orationum communium. Potuiſſe tamen induci eam priuationem, nullus dubitat. Et nihilominus rectè dici poteſt, etiam facta ſuppoſitione illius vſus, excommunicationem Chriſtianam ſpectatam adæquatè, & quoad omnia quæ includit, non fuiſſe in veteri Teſtamento, ſed noſtram excommunicationem ſucceſſiſſe potiùs morti corporali, quam lex vetus in delictorum pœnam infligebat, vt dixit S. Cyprianus epiſt. *62.* Nam ſaltem priuatio ſatisfactionum repoſitarum in communi theſauro, non poterat in veteri lege infligi, quia nullus tunc erat theſaurus communis, cuius clauem accepiſſent Sacerdotes, vt benè cum Innocentio monuit Nauarrus comment. de Indulgent. notab. 20. num. 15. An propter hanc oblæſionem & de-

fectum

fectum antiquæ excommunicationis, tantam verò eius cum noſtra germanitatem quoad cætera, dicendum ſit, antiquam excommunicationem fuiſſe typum & adumbrationem noſtræ excommunicationis, lis eſt de vocabulo, circa quam non placet diutiùs tricari.

CAPVT X.

Summa excommunicationis calamitas per analogiam ad extremam impiorum à bonis ſegregationem cuius eſt typus, iuxta ſupremæ illius ſegregationis expreſſionem in vtriuſque Teſtamenti Scripturis.

1. ACTVM eſt de typis & adumbrationibus excommunicationis Chriſtianæ, in veteri Scriptura propoſitis; eáque ratione, quantus eſſe debeat excommunicationis horror, eſt patefactum. Nunc addendum eſt, qua ratione excommunicatio, ſit typus ſummæ & omnium ærumnoſiſſimæ calamitatis, quæ damnatos inuoluet in altera vita. Quid enim vſpiam eſt tam tetrum & horridum, vt ſtatui damnatorum de calamitatis atrocitate & horrore non concedat? Quare ſi Chriſtianam excõmunicationem teterrimo illi ſtatui valdè affinem eſſe, eique tanquam ſcitè expreſſam imaginem reſpondere demonſtrauerimus, eadem opera demonſtratum manebit, hominis excommunicati ſtatum in hac vita, deterrimum planè ac

ac luctuoſiſſimum habendum eſſe. Hoc vt aſſequamur, & hac noua probatione ſtabiliamus, expendendi ſunt modi loquendi Scripturarum de ſumma damnatorum calamitate, & quàm bellè excommunicatis aptari queant, conſiderandum: Adiuncta item vtriuſque ſtatus componenda; atque ita in quo typus iſte cum re expreſſa conſentiat, & in quo etiam diſſentiat, explicatum dabimus.

Patrum ſenſus de analogia vltimæ in mundi meta ſecretionis & excommunicationis.

Nec verò nos primi in eam cogitationem venimus, quod excommunicatio noſtra ſit typus & adumbratio æternæ damnationis. Tradiderat hoc iampridem Tertullianus cap. 39. Apolog. deſcribens exercitationes Chriſtianorum cœtuum ſuo tempore. [Certè (inquit) fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem erigimus, fiduciam figimus; diſciplinam, præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conſpectu: ſummúmque futuri iudicij præiudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, vt à communicatione orationis, & conuentus, & omnis ſancti commercij, relegetur.]

2. S. Baſilius ſubſcribere viſus eſt, tractans illud capitis primi Eſaiæ, *auferam omnes iniquos abs te.* Propoſito enim inſigni beneficio quo Deus afficit ſubditos, cum iniquum præſidem remouet, ſubdit. [Ob hoc & ſigna quædam circum Eccleſiam ſtatuuntur, quæ deprehenſos in interdictis peccatis, abarcent ingreſſu, &

ſu, & ſegregant à reliquo corpore Eccleſiæ, vt ne vel tantillum fermenti totam conſperſionem dolo circumueniat ac vitiet. Itaque ad Dei bonitatem ſpectat, è medio populi tollere iniquos. Neque enim iniqui, vnà cum ſanctis ingredientur ſancta, quia ventilabrum eſt in manu Domini. Sed enim qui nunc vt iniqui ſegregantur à populo, quæ geruntur cuncta ſúſque deque ferunt, non intelligentes, quia iſtę delineationes ſeparationis, ea ſubindicant quæ in tremendo fient Dei iudicio.]

Petrus Bleſenſis epiſt. 131. *in fine*, idem apertè tradidit, cum dixit. [Qualiter tibi erit, cum ab Eccleſia Sanctorum perpetua excommunicatione præciſus, videbis filium Dei ſuis militibus donatiua gloriæ largientem, tibi cedere ad miſeriæ cumulum alienæ plenitudinem voluptatis? ô quam lugubre erit videre & perdere Deum, atque ante ſui ſaluatoris perire conſpectum.] Verba hæc poſtrema, deprompſit Bleſenſis, ex calce homiliæ quartæ ad Monachos apud Euſebium Gallicanum. Priora verò, redolent illa eiuſdem autoris homil. 1. num. 3. [Quid poſt hæc cum ſe miſeranda conditione viderit omni conſolatione nudatam, in exteriores tenebras excuti, & ab illa beatorum Eccleſia, perpetua excommunicatione ſecluſam, ab ipſa vitæ radice præcidi?]

In hanc rem, luculentum locum Paſchaſij Corbeienſis ex lib. de corp. & ſang. Dom. iam tradidi ſuperiori capite. Haud obſcurè idipſum inſinuauit Petrus Damian. Opuſc. 12. c. 13. cum agens de vitando conſortio excommunicatorum, eo quod ſint à Deo diuiſi, & membra Satanæ, addit, quibus idem Tartareus ignis eſt paratus, iuxta Chriſti in iudicio oraculum,

lum, eandem deberi iam nunc abominationem. Hæc quippe verba germanitatem damnatorum & excommunicatorum, ſatis apertè præferunt, magnámque eſſe inter vtroſque proportionem, perſpicuè ſignificant.

Suffragia Scripturarum ad idem.

3. Habet ea proportio fundamentum in Scripturis ſacris, quæ excommunicationem vel explicant, vel adumbrant, per ſegregationem ſcabioſarum ouium à ſanis, per ligationem & vincula animarum, per traditionem hominis Satanæ factam, & huiuſmodi alia, quæ æquè in damnatos & eorum ſtatum cadunt, vt vel tenuiter conſideranti poterit eſſe manifeſtum. Nam præterquam quod in die iudicij, ſegregabuntur oues ab hœdis, in iudicio item particulari fit omnimoda diremptio ac ſeparatio damnati à fidelibus, iuxta illud Iobi 28. *Lapidem caliginis & vmbram mortis, diuidit torrens à populo peregrinante*: quod D. Gregor. 18. moral. c. 17. & 18. egregiè aptat ad reproborum diuiſionem à fidelibus per interpoſitum diuini iudicij torrentem igneum. Quod item de temerario conuiua, abſque nuptiali veſte auſo in conuiuium irrepere, & ligatis manibus ac pedibus miſſo in tenebras exteriores, hoc eſt extra cœnæ locum multo lucernarum lumine ſplendentem, de excommunicato accipitur à D. Auguſtino l. de collat. contra Donatiſt. cap. 20. eo quod excommunicatus, ligatus & innodatus Eccleſiaſticis vinculis, proiiciatur extra Eccleſiam, in qua ſola illucet ſol animarum; hoc inquam totum, ad eiectionem impiorum in tenebras inferorum, pri-

 mariò

mariò ſpectat. Iidem damnati, manifeſtiſſimè traduntur Satanæ, cuius deinceps veluti peculium ac poſſeſſio habentur. Id quod æquè de excommunicatis dici, ſuperiùs oſtendimus. Tandem vt alia pleraque proportionis & correſpondentiæ, damnatos inter ac excommunicatos capita dimittam, S. Gregorius 21. moral. cap. 4. agnoſcit improborum à iuſtis ſecretionem æternam, in actu ſignato appellari anathema à Iobo. Sic enim ſcribit. [Dicat ergo vir ſanctus, *nunquid non perditio eſt iniquo, & alienatio operantibus iniquitatem?* Quod videlicet & alienationis verbum duriùs ſonaret, ſi hoc interpres in ſuæ linguæ voce tenuiſſet. Quod enim apud nos alienatio, hoc apud Hebræos anathema dicitur. Tunc ergo alienatio erit reprobis, cùm ab hæreditate diſtricti iudicis, ſe anathema eſſe conſpicient, quia hîc cum peruerſis moribus contempſerunt.]

Explicatio proportionis prædictæ, quoad cauſam formalem vtriuſque ſegregationis.

4. Iam ſi excommunicationis cauſas, cum cauſis damnationis conferre placeat, perſpicuum erit, quanta ſit vtriuſque illius ſtatus conſenſio. Excommunicationem, ob ſolum mortale peccatum intorqueri in quempiam poſſe, in confeſſo eſt. Hæc item eſt vnica & ſola damnationis æternæ cauſa formalis extrinſeca, ſiue motiuum. Nam quamuis peccata venialia arceant hominem ad tempus à viſione Dei, & cœleſtium ſacramentorum fruitione, quæ eſt analogicè quædam excommunicatio minor: tamen perpetuam excluſionem à gloria, nemo ſubit niſi contaminatus

lethali

lethali labe. Ac ne pro quouis quidem mortali peccato incurritur æterna damnatio, ſicut neque excommunicatio;ſed quemadmodum ad excommunicationem incurrendam exigitur obfirmatio in crimine, & contumacia aduerſus Eccleſiam;ita,vt quis in æternæ damnationis barathrum detrudatur, exigitur impœnitentia finalis, cui nulla eſt par contumacia. Nam ſi contumax is dicitur, qui aduerſus aliquantas monitiones obſurdeſcit, nemo ad plures externas & internas admonitiones contumax & præfracti animi eſt, quàm is quem vſque ad mortem obfirmat impœnitentia. Neque enim trina duntaxat adhibetur monitio, vt reuocetur ad bonam frugem, ſed quod in ſcripturis perpetuò traditur, ſtat Deus ad peccatoris oſtium, & opportunè, importunè,vrget,arguit,obſecrat, increpat, admonet ad pœnitentiam & animi emollitionem;nihil ad eum effectum conſequendum prætermittens per ſe ac ſuos etiam de nocte conſurgens,vt Propheta ſignificantiſſimè dixit. Cauſa item interna formalis, quæ eſt ipſa rei ſimplicis eſſentia ac quidditas,eadem proportionaliter eſt in ſtatu damnati & excommunicati. Nam ſicut ſtatuitur ſeparatio omnimoda excommunicati à quocunque cæterorum fidelium commercio, ita inter damnatos & cæteros, chaos magnum firmatur. Et ſicut excommunicatus priuatur fructu orationum communium, ita damnati arcentur participatione quarumcunque orationum. Quis enim pro damnato oret, non modò communiter,ſed ne priuatim quidem?

5. Nec verum eſt,ſed figmenti plenum,quod de oratione à S.Gregorio fuſa pro Traiano in infernum pridem detruſo, circũfertur ex Damaſceno adſcripta

oratione de defunctis. Ea ſiquidem narratio, quicquid pro ea annitantur Ciaconus iuſto opuſculo, & Salas 1. 2. tract. 13. d. 15. num. 24. omni prorſus veriſimilitudine caret, vt apertè euincunt Bellarm. l. 2. de Purgat. c. 8. & Baron. anno Chriſti 604. ac Suarez t. 2. 3. p. d. 43. ſect. 3. Et vt ita res habuiſſet in eo exemplo, negandum omnino eſſet, Traianum cum pro eo orauit S. Gregorius, fuiſſe detruſum ad ſedem æternæ damnationis, ſed dicendum eſſet, fuiſſe in ſeparato loco detentum, in quo iuuari poſſet ſancti viri ſuffragiis. Id quod æquè ad narrationes de Falconilla, & ſimilibus extendit Durantus l. 2. de ritibus c. 43. num. 12. Adde etiam ad narrationem de Dinocrate, S. Perpetuę ſororis ſuæ precibus erepto ex inferis, vt refertur apud D. Auguſtinum l. 3. de anima & eius orig. c. 9. qui tamen nutare narrationis illius fidem, ſubobſcurè inſinuat. Non modò autem viatorum preces nihil poſſunt iuuare damnatos vt eripiantur è Tartaro, ſed ne ſancti quidem cœlo iam illati orationibus ſuis quicquam ad id conferre poterunt, vt egregiè proſequitur Origen. hom. 4. in Ezech. & ſatis fusè contra nouum errorem Barthij Sectarij, confirmaui in Opere de martyrio, p. 4. c. 6. à num. 25. Fuerunt, qui ſaltem leuamen aliquod cruciatuum per orationes noſtras poſſe damnatis cõtingere, exiſtimarent. Refert non paucos Sixtus Senenſis l. 6. Bibl. annot. 47. Sed hæc quoque damnatorum nobiſcum communicatio, eſt penitùs reſcindenda, vt Suarez fuſiùs proſequitur t. 4. 3. p. d. 48. ſ. 4. à num. 14. & Medina C. de orat. q. *de iis pro quibus orandum*, & q. *de valore orationis pro alio.*

Quàre ratum eſto, nullam ſuffragiorum & orationum quarumcunque participationem, concedi à nobis

bis poſſe damnatis : ac proinde eſſe eos excommunicatorum germanos , tametſi hi duntaxat à ſuffragiis communibus remouentur. Nulla item excommunicatis, æquè ac damnatis, Indulgentiarum Eccleſiaſticarum vſura. Neutri intereſſe poſſunt diuinis laudibus, quæ in cœtu ſanctorum celebrantur. Nec menſam communem cum ſanctis habebunt damnati, ſicut excommunicatis negatur menſæ cum fidelibus communio. Nemo excommunicato vitando aue dixerit, vetante Apoſtolo. Et nemo item poteſt aue dicere damnato, quem norit addici æterno væ ac immedicabili exitio, & prorſus à ſalute extorrem factum. Vterque Dei protectione ſpeciali deſtituitur , damnatus verò etiam generali ; cum planè exciderit è ſtatu in quo diuina benignitas protectionem ab hoſtibus ac tutelam impendit. Excommunicatos Deus ipſe tradit Satanæ , ex præiudicio Eccleſiaſticæ ſententiæ. Qui verò pleniùs deduntur Satanæ, quàm damnati? Eſtque ea traditio & donatio, firmiſſima, & omni prorſus excluſo remedio irreuocabilis.

Item quoad cauſam effectiuam.

6. Iam cauſa effectiua excommunicationis , eadem proportionaliter eſt cum cauſa damnationis. Nimirum vt illius cauſa eſt Epiſcopus , ita hanc efficit Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum. Quod ſi ſunt aliquæ excommunicationes à iure quæ non ſunt ab homine, fuerunt quoque multorum damnationes à iure , ex vi ſcilicet diuinæ ſolius legis , latæ priuſquàm Verbum homo fieret. Poſt Chriſtum verò , vt pleniùs dico cum de Chriſto iudice, Pater omne iudi-

cium dedit filio: qui proinde etiam particulare iudicium exequitur,& in eo fert ſententiam;atque ita ex tunc,quæuis damnatio rectè dicitur excommunicatio ab homine. Quod verò ſolemnem excommunicationem ſiue anathema,Epiſcopus immediatè fert aſtantibus 12. Sacerdotibus, imago planè eſſe videtur ſolemnis ſententiæ, à Chriſto aſſiſtentibus 12. Apoſtolis proferendæ in die iudicij, vbi faculam ardentem deiiciet, verba inquam illa horribilia, *ite maledicti in ignem æternum.* Nec deërit horrificus ſonitus, omnium campanarum lugubri & incondito boatu funeſtior, ſiue id accommodare placeat ad ipſius Chriſti iudicis vocem cum Sayro l.1.de cenſur.c.15. num.4. ſiue potiùs ad tubam mirum ſpargentem ſonum, & ad vocem Archangeli,cuius diſertè meminit Apoſtolus. Interueniet denique conculcatio proiectorum foràs, & ad nihil vltra valentium niſi vt conculcentur & proterantur ab omnibus.Apparet,in formali & effectrice damnationis æternæ & excommunicationis cauſa,magnam cerni analogiam atque correſpondentiam. Materialem verò cauſam ſeu ſubiectiuam, eſſe vtrobique ſimillimam, damnatum ſcilicet ac excommunicatum, eſt quoque ex antedictis perſpicuum.

Differentia quoad finalem.

7. In ſola finali cauſa eſt diſſimilitudo, propter quam initio dixi,ſtatum damnati & excommunicati, diſcrimine aliquo ſeiungi. Nimirum excommunicatio, pœna quidem eſt grauiſſima, ſed medicinalis; quantum eſt ex mente inferentis. Propterea enim

Apo

Apoſtolus,tradens Satanę Corinthium inceſtuoſum, conteſtatur ſe id facere vt ſpiritus ſaluus fieret in die Domini. Idem excommunicationis ſcopus proponitur ex Vrbano Papa c.*notādum*.24 q.3.& ab Innocentio confirmatur c.1.de except.in 6.& ibid.c.1.de ſent. excom. Ait enim excōmunicationem eſſe remedium & medelam,& huiuſmodi pœnam eſſe medicinalem, non mortalem;diſciplinantem,non eradicantem. At pœna damnati, non eſt medicina: nec enim infertur vt damnatus ſanetur, ſed vt iuſtam retributionem contumaciæ in ſcelere, nec vnquam mollitæ obdurationis accipiat. Verùm quia hic finis eſt planè extra paſſum, nec aliquid in eo mutat, ſed merè ſiſtit in agentis intentione, meritò concludere licet, & damnati & excommunicati ſtatum, quoad ea quæ vtrique inferuntur & inſunt,magnam omnino affinitatem & proportionem habere. Ac proinde ſicut ſtatus damnationis eſt extremitas miſeriarum & vertex infelicitatis,ita excommunicatio,quæ tam bellè damnationi externæ reſpondet, teterrima omnino & calamitoſiſſima apud prudentes æſtimatores haberi debet.

CAPVT XI.

Diuinum pro extimeſcenda excommunicatione ſuffragium factis exhibitum; ſiue exempla diuinæ vindictæ in quoſdam excõmunicatione perculſos.

1. QVÆ ex noui veteríſque Teſtamenti Scripturis, ad ingenerandum excommunicationis ſanctum horrorem peti poterant, tanquam fœta diuinæ autoritatis oraculo, perſecuti hactenus ſumus. Nunc quando diuina autoritas, non minùs factis quàm verbis proditur, nec minùs luculenter Deus veritati cuipiam operibus quàm vocibus atteſtatur, proferenda ſunt illa diuinæ iuſtitiæ vltricis ſpecimina, quibus patefactum eſt, excommunicationem Deo ipſo iudice pauendam eſſe, ac euitandam. Et quia iuxta S. Cyprianum l. de lapſis num. 85. *exempla ſunt omnium, tormenta paucorum*, non probabo anxiè diligentiam hac in parte, appendendo minutè, quæcunque in hoc genere corrogari poterant: ſed contentus ero ſelectis quibuſdam huiuſcemodi *pœnarum ſanctificationibus*, vt in ſimili locutum Moſem, obſeruat S. Aug. q. 30. in Numer. monens dici ſanctificatam eorum pœnam, qua datum eſt exemplum cæteris, vt timerent & cauerent.

2. Zozimus Neapolitanæ cathedræ inuaſor, à Maximo legitimo Epiſcopo, anathemate percuſſus eam ob cauſam, inſigne exemplum præbuit efficacitatis gladij Eccleſiaſtici, vt intelligi poteſt ex his verbis Marcellini presbyteri l. de ſchiſm. Vrſic. & Damaſi.

maſi.[Inter ipſa verba Sacerdotalia, eius lingua protenditur, nec valuit eam ampliùs reuocare intra oris meatum, eò quòd contra modum naturæ extra os penderet, vt boui anhelo. Qui vt vidit ſe linguæ officium perdidiſſe, egreditur baſilicam: & (res mira,) foris ſuum in officium lingua reuocata eſt. Ac primùm quidem intelligit, compleri in eum ſententiam martyris & confeſſoris. Sed hoc ipſum toties paſſus eſt, quoties in baſilicam diuerſis diebus intrare tentauit. Denique ob eam cauſam tandem ceſſit Epiſcopatui, vt priſtinum ſibi officium linguæ, integrè redderetur.]Idque etiam conſecutum eſſe Zozimum repudiato plenè Epiſcopatu malè inito, docet ibidem Marcellinus affirmans ſuperſtitem adhuc fuiſſe Zozimum, cum iſta ipſe ſcriberet.

Epiſcopum nomine Florentinum, refert idem Marcellinus, tametſi nequaquam Arrianum, tamen Arrianorum fautorem & excommunicatum, cum in conſeſſu pleniſſimo, inſideret throno ſuo, vi diuina ſubitò eliſum in terram fuiſſe, foráſque eductum ſemel & iterum. In tertio regrediendi & thronum occupandi conniſu, ora fœdè diſtorquentem, infelicem ſpiritum expuiſſe.

3. Stiliconis Comitis ſeruus, in multorum perniciem falſas tribunatus literas confecerat. Interrogatum & flagitij compertum, S. Ambroſius excommunicauit, [cum eodem momento, (inquit Paulinus ſub finem vitæ S. Antiſtitis,) adhuc ſermo eſſet in ore Sacerdotis, ſpiritus immundus, arreptum diſcerpere cœpit. Quo viſo, non minimo timore repleti ſumus, & admiratione.]

Arcadius Imperator & eius coniux Eudoxia, à S.

Innocentio primo, ob malè habitum S. Ioannem Chryſoſtomum, cõmunione Chriſtiana priuati ſunt. Literæ S. Innocentij recitantur à Georgio Patriarcha Alexandrino ſub finem vitæ S. Chryſoſtomi, habentúrque etiam apud Nicephorum & Glycam. Quanta in Arcadium eiúſque vxorem, diuina vltio ſit conſecuta, iidem hiſtorici produnt. Et Arcadius quidem, pœnitens & modeſtia ac humilitate & patientia erga S. Innocentium vſus planè eximia, demiſſéque ſibi & coniugi exſolutionem ab excommunicatione deprecatus iis literis quas ad Innocentium ab eo datas recitat ad longùm Georgius, tamen multis exinde preſſus anguſtiis, non diu ſuperſtes fuit. Eudoxia quæ multo magis rea erat, quamuis & ipſa literis ſatisfacere tentaſſet Innocentio, vt ſcribit Georgius, & Arcadij rogatu Chriſtianæ communioni eſſet reddita, tamen non ita multo poſt excommunicationem ab Innocentio intortam, cum graui ægritudine conflictata, & putrefacto in eiuſdem prægnantis vtero, miſerrimè fœtu, in ſummis doloribus, & quod notat Georgius, toto corpore vermibus arroſo & putorem efflante quem nemo ferre poſſet, non abſque prænunciis cœleſtis iræ prodigiis, animam efflauit, etiam poſt mortem diu irrequieta, tumulo quo condebatur iugi agitatione commoto, vt ſcribit Niceph. l. 13. cap. 36. & Coſmas Veſtiarius orat. de S. Chryſoſtomi tranſlatione.

4. Cariſius, Eccleſiæ S. Eleutherij martyris clericus malæ frugis, fruſtra diu tentata per Gennadium Conſtantinopolitanum Epiſcopum eius curatione, percuſſus tandem eſt anathemate. Quod fulmen cùm brutum duceret Cariſius, exemplo infrequenti quidem,

dem, at non prorſus inaudito Gennadius Patriarcha ad S. Martyrem Eleutherium literas exarat, expoſtulatorias de Clerico militante in templo S. Martyris; ſimul deprecans, vt excommunicatio vibrata in Clericum rata eſſet; & vt vel perditum illum reuocaret ad mentis ſanitatem, vel illum è medio tolleret. Die craſtina Cariſius inuentus eſt mortuus. Rem narrat Theodorus lector l. 1. collectan. & pleniùs Sophron. in Prato c. 145. ac Nicephorus l. 15. c. 23. apud quem tamen corrigendum eſt, quod abſurdè & contra cæterorum fidem ait, minatum Gennadium ipſi S. Eleutherio eiectionem ab Eccleſia., ni Cariſium vel ſanaret, vel perderet. Hoc quis credat, Sancto Antiſtiti, de Sancto martyre veniſſe in mentem? Quare res ſe habuit, vt ex cæteris retuli. Nec verò placet quod Card. Baron. in notis ad Rom. Martyrol. 20. Febr. exiſtimat interueniſſe in hoc negotio, non excommunicationem Cariſij, ſed execrationem duntaxat. Non ſubſcribo. Cuius enim dicemus eam execrationem fuiſſe. De ſancto Eleutherio quod execratus ſit Cariſium, non proditur. Gennadius autem, execratus quidem eſt Cariſium, ſed excommunicando, & diris inter excommunicandum deuouendo rebellem & impium Clericum. Quo nec ſic quidem reſipiſcente, optimus Patriarcha omnibus aliis iam fruſtra tentatis, atque adeò excommunicatione, quæ præſentiſſimum talium malorum remedium eſt, rite adhibita, coactus eſt aduerſus anathematis vibrati contemptorem, S. Eleutherium interpellare, qui illata rebelli Clerico nece, vibratum aduerſus eum anathema ratum in cœlo fuiſſe patefecit. De literis ad cœlites datis à mortali, exemplum luculentum proferunt Coſmas Veſtiatius

rius orat. de tranſlatione S. Chryſoſtomi, & Nicephorus l. 14. c. 45. Scribunt enim, Theodoſium iuniorem ex Procli Conſtantinopolitani, aliorúmque ſanctiſſimorum virorum conſilio, literas dediſſe ad S. Ioannem Chryſoſtomum pridem defunctum, quibus veniam enixè rogans de iniuria à parentibus ei irrogata, ſupplex poſcebat, regredi Conſtantinopolim ne grauaretur. Addúntque iidem autores, Theodoſij literis ſuper pectus ſacri corporis collocatis, factum eſſe, vt corpus efferre licuerit, quod antea dimoueri de ſede ſua nunquam valuerat. Legeſis quæ habet Turrianus l. 2. pro epiſt. Pontif. c. 13. propugnans epiſtolam Clementis ad S. Iacobum iam cœlo illatum.

5. Anaſtaſius Imperator ob communicationem cum Acacio, & pleraque aduerſus Eccleſiam impiè geſta, necnon ob hæreſim Acephalorum qua laborabat, & Manichæorum patrocinium excommunicatus, eáque ex cauſâ Symmacho Romano Pontifici infenſus, vt ipſe Pontifex in ſuo Apologetico refert, excommunicationem aliquandiu cõtempſit. In ea contemptione perſeuerantem, & in dies audentem maiora ac tetriora, ſic affatus eſt Symmachus, ſub finem apologetici prædicti. [Nos humani generis conſcientiam, conteſtari, qua poſſumus voce nullatenus ceſſamus, omnipotentem Deum ſuis cauſis minimè defuturum; & quantacunque ſit humana præſumptio, quantacunque potentia, ſub diuino nutu, huius atrocitatis cenſuram ſine dubitatione vindicandam. Nam talem auſum, neque hîc confidimus euaſurum, & in illo magno Dei iudicio recepturum, quod iis temeritatibus diuina retributione debetur. Hæc nos nequaquam tacuiſſe ſufficiat: vt cum ſuperna fuerit vltio

ſubſecuta,

ſubſecuta, & vera nos protuliſſe conſideratio humana cognoſcat, & pœnam non inaniter pronuntiaſſe venturam; & propoſuiſſe pręmonitionis formam, qua huiuſmodi præcipitiis de cætero temperetur.] Prænunciationem, ſecutus eſt non ita multo poſt euentus funeſtiſſimus. Nam vigil de cœlo, breuiatos dies Anaſtaſij, recisis quatuordecim vitæ eius annis ſignificauit: & excuſſum de cœlo fulmen, infelicem latebras intutas & perfugia malè fida captantem, corpore & anima perdidit, vt quem Eccleſiaſticum fulmen non contriuerat ad ſalutem, cœleſtes manubiæ æterno exitio & irreparabili calamitate multarent.

6. Britanni Armorici, S. Machutem ſiue Macloуium, Epiſcopum ſuum, multis & atrocibus affecerant iniuriis. Sanctus Antiſtes, filios Belial excommunicatione percuſſit, abiitque Santonas. Excommunicationem, conſecuta eſt eluuio malorum. Plerique contracti ſunt effecti, leproſi complures, non pauci excæcati, benè multi diuturnis languoribus contabuerunt. Terra ipſa, à malitia inhabitantium in ea, poſita eſt in ſalſuginem, & damnata ſterilitatis; donec pertæſi tot ærumnarum Britanni, vexatione intellectum dante, miſſa legatione perhonorifica, ſanctum Epiſcopum reuocarunt. Soluti anathemate per eius regreſſum, omnia pariter cum eo bona recuperarunt. Clades hominum ceſſauit, & terræ ſua feracitas reuenit, & quanti apud Deum eſſet Antiſtitis cum maledictio, tum benedictio, patefactum eſt.

Nantinus Engoliſmenſium Comes, ab Heraclio Epiſcopo excommunicatus, obiit, inclamans amburi ſe ab Heraclio, vt ſcribit Gregor. Turon. l. 5. hiſtor. cap. 36.

Leodaſtus

Leodaſtus Turonenſium Comes, quàm miſerando exitu vitam concluſerit, narrat Aimonius l. 3. hiſtor. Franc. cap. 43. cauſam referens in excommunicationem, qua perculſus fuerat ob vexatum calumniis S. Gregorium Epiſcopum. A qua quidem excommunicatione, agente Rege ſolutus eſt, per illos ipſos Epiſcopos qui eam intulerant. Verùm triumphator in Iſraël non pepercit, nec flexus eſt, ſed etiam ab exſoluto, pœnas contractorum quandoque nexuum repetiit, quales Aimonius deſcribit, acerbiſſimas & grauiſſimas.

7. Excommunicauetat grauiſſimis de cauſis vnũ aliquem è ſuis, S. Albinus Andegauenſium Epiſcopus. Vrgentibus coëpiſcopis, vt eulogias ad illum excommunicatum tranſmittendas benediceret, cum reſiſtere vltra non poſſet, ſatis (inquit) potens eſt Deus, tametſi hac à me benedictione extorta, vlciſci inobedientiam. Tranſmiſſæ ſunt eulogiæ, ſed priuſquàm eas deguſtaret excommunicatus, imo priuſquam ad eum peruenirent, infeliciter exceſſit è vita, vt ſcribit Fortunatus, ex quo ſancti viri Acta exhibet Surius 1. Martij.

S. Eligij miram in hoc genere efficacitatem, legere licet apud S. Audoënum, vitæ eius ſcriptorem lib. 2. cap. 25.

8. Sigebertus Anglorum Rex, admodum pius, (nam poſtea martyr obiit,) ad nuptias inceſtuoſi Comitis ex regio ſanguine accedere non timuit, neglecta excommunicatione, qua interpoſita vetitus fuerat ab Epiſcopo, is acceſſus. Epiſcopus Regi poſt factum ſupplici, & veniam precanti, conteſtatus eſt fore, vt in pœnam contempti gladij Eccleſiaſtici, in ea ipſa

ipſa domo necaretur, ad quam neglecta excommunicatione ingreſſus fuerat. Nec vana fuit prænunciatio. Rem deſcribit Beda l.3.hiſtor.Angl.c.22.

Lotharius Imperator, à Nicolao I. ob abiectam coniugem legitimam, & ſubinductam pellicem Valdradam excommunicatus, tametſi ſub Adriano Nicolai ſucceſſore, interpoſitis mendaciis & commentis, aliquam abſolutionis ſpeciem eſt emercatus, tamen conteſtante Adriano Dei iudicia & ſeueritatem, ſi mendaciter ageret, intra breue tempus poſt anguſtias quàm plurimas cum magna ſuorum parte infeliciſſimè obiit, vt ſcribit Rhegino anno 869. & Aimon.l.5.hiſtor.cap.21.ac Baron.anno 868.

9. Interfecerat Fulconem Remenſem Epiſcopum quidam ſicarius, à Balduino Attrebatéſium Comite ſubmiſſus, Vvinemarus nomine: qui ob eam immanitatem ſacrilegam, excommunicatus eſt. Sed quæ eum diuina vltio exceperit, audiendus eſt Flodoardus l.4.hiſtor.Reméſis cap.10.[Vvinemarus Fulconis interemptor, ab Epiſcopis regni Francorum cum ſuis complicibus excommunicatus, & anathematizatus, inſuper inſanabili à Deo perculſus eſt vlcere, ita vt computreſcentibus carnibus, & exundante ſanie, viuus deuoraretur à vermibus, & dum propter immanitatem fœtoris, nullus ad eum accedere poſſet, miſerrimam vitam miſerabili deceſſu finiuit.] Videndus Molanus in indiculo SS. Belgij 17.Iunij.

Othonem primum, Regem Theutonicorum, mox Romanorũ Imperatorẽ, Vvillelmus ex priori cõiuge filius, Antiſtes Moguntinus, ob inceſtas nuptias increpabat. Quam animi generoſitatem in eo ſcelere arguendo, pater longo carcere & multis irrogatis incomm odis

commodis frangere niſus eſt, nec aliud euicit, quàm vt filius ab ipſo ducens opes animúmque, ferro gladium excommunicationis intorqueret in Patrem; cui vincula Eccleſiaſtica non multùm curanti filius ad diuinum tribunal diem dixit, præfixo tempore, quo vterque, iuſto iudici irretractabilem excepturus ſententiam, ſiſteretur. Quieuit feliciter Epiſcopus. At pater ipſo ſacro Pentecoſtes die, quo illi filius ad Dei iudicium condixerat, in Præſulum ac Principum mediis agminibus, in ipſo templo, ſub ſacrum ſolemne, repentina morte vitam finiuit. Ita refert Petrus Dam. opuſc. 34. cap. 7. Quæ tamen aduerſus hanc narrationem à Cardinali Baronio obiiciuntur anno 973. nolim veriſimilia diffiteri.

10. Subminiſtrat contemptæ excommunicationis diuinam vltionem, idem Petrus Damiani Opuſc. 20. cap. 3. cuius verbis eam exhibeo. [Hæc venerabilis ille vir expertus fuerat, Petrus videlicet Apſarenſis Epiſcopus, qui Epiſcopatum dimiſit, & de Sclauonico regno Italiam nauigans, littoribus Anconitanæ vrbis applicuit. Hic mihi, dum totius circa ſe regni reuerentiam conqueſtus exponeret, ac moleſtæ inquietudinis tædia numeraret, inter cætera vnum intulit, quod vos latere non patior. Quidam, (inquit,) degener quidem moribus, ſed maiorum titulis inſignitus, ſui generis conſanguineam, nuptiali ſibi fœdere copulauit. Quid plura? prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totúmque Eccleſiaſticæ cenſuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui certè hoc ad diuinæ indignationis iudicium contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti, minimè tangerentur. Inſuper, ô diuinæ animaduerſionis

animaduerſionis pauenda ſeueritas! dum rigidus ſtat, dum præceptis ſe ſacerdotalibus non humiliat, qui vigilare ſibimet ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cœleſtibus irruens fulgur extinxit. Sic ſic diuini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viueret, adhibere contempſerat medicinam.]

Nec illud ex eodem Petro Damiani prætereundũ, quod recitat Opuſc. 34. cap. 6. [Robertus Gallorum Rex, auus iſtius Philippi, qui in paterni iuris ſceptra ſucceſſit propinquam ſibi copulauit vxorem, ex qua ſuſcepit filium, anſerinum per omnia collum, & caput habentem. Quos etiam virum ſcilicet, & vxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi, communi ſimul excommunicauere ſententia. Cuius ſacerdotalis edicti, tantus omnem vndique populum terror inuaſit, vt ab eius vniuerſi ſocietate recederẽt, nec præter duos ſibi ſeruulos, ad neceſſarij victus obſequium remanerent: qui tamen & ipſi, omnia vaſa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coactus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediens, diuortit inceſtum, initque legale connubium.

11. Henricus III. Romanorum Imperator à Gregorio VII. excommunicatione percuſſus, quã ærumnoſam ab eo tempore vitam duxerit; eius verò exitus è vita, quàm infelix, & mendico quàm ſummo Monarchæ propior fuerit, ſcriptores illius æui complures, literarum monumentis prodiderunt. Ex recentioribus latè in eam rem diſſerit Albertus Pighius l. 5. hierarch. Eccleſ. c. 2. vbi etiam addit, quæ diuina vltio ceciderit in Vvillelmum Epiſcopum Traiecten-

 ſem,

ſem, qui Henrico impietatis adminiſter & exitij autor fuerat; nec contentus ipſe excommunicationem contemnere, docebat alios idẽ præſtare. Subitò enim grauiſſima correptus ægritudine, ſortem ſuam damnans, frendénſque & eiulans, impœnitens in peccatis ſuis mortuus eſt, omnibus tam triſti exitu abſterritis, & excommunicationis horrore perculſis.

12. Boleſlaus Poloniæ Rex, à Gregorio VII. ſummo Pontifice, ob trucidatum S. Staniſlaum Cracouienſem Epiſcopum excommunicatus, diuinam vltionem perſenſit. Factus enim omnibus horrori, fugit in Hungariam; & velut alter Cain, factus eſt profugus extra regnum ſuum. Poſt annum verò ſecundum à receſſu ex Polonia, inaudito languore percuſſus, demúmque in inſaniam verſus, dum errabundus vagatur, morte præuentus à canibus eſt deuoratus, non ſolutus Eccleſiaſticis vinculis. Longinus rerum Polonicarum ſcriptor, & acta S. Staniſlai, rem pluribus deſcribunt.

Henricus IV. (vt ſcribit Guigo Prior Cartuſiæ in rebus geſtis S. Hugonis Gratianopolitani,) in Concilio Viennenſi, à Guidone Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato excommunicatus, agente maximè S. Hugone qui Concilio intererat, excidit propè momento è proſperrimo rerum ſtatu, & in calamitates graues incidit, nulla relicta prole maſcula quæ in regnum Germanicum ſuccederet. Quam malorum molem, effectum fuiſſe contractæ ab Henrico excommunicationis, ſtatuit Guigo.

13. S. Hugo Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus, magnæ in hoc genere efficacitatis fuiſſe proditur, ita vt quoſcunque ille excommunicatione perculiſſet,

ægrè

ægrè indemnes abirent. Exempla ſuppeditat autor vitæ eius c.23. Habetur apud Surium t. 6. Nouemb. 17. [Spiritus ſanctus (inquit) qui hoc ei contulerat donum,ſermonem illius atque ſententias cõfirmabat ſequentibus ſignis. Nam cum rebelles quoſdam & contumaces, Satanæ tradidiſſet in interitum carnis, ſubitò non comparuerunt. Miles quidam, propter quoddam mendacium ab Epiſcopo ſancto reprehenſus, cum admonitionem eius parui penderet, nec ſe emendare vellet, mox ab illo excommunicatus eſt. Vſurpabat namque ſibi bona quædam,quæ incitante eum vxore, quod prolem legitimam non haberet, à veris hæredibus per ſimulationem alienare conſenſerat. Tremenda res. Inuaſit eum Diabolus nocte ſequenti,extorquens ſubitò animam mendacem. Alius quidam in eodem ſcelere ei ſuccedens, cùm lætus & temulentus lecto exciperetur,ſopori mortem ſocians, etiam miſerè extinctus eſt. Foreſtarius quidam, propter facinus plexus anathemate, viri Dei ſententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte deceſſit è vita. Quidam Diaconus liuore impellente, militem quendam nequiter accuſans de crimine regię proditionis, Hugonis ſententia ob ſpem emendationis percuſſus, cum peccatum ſuum non modò non vellet agnoſcere,ſed etiam ab Archiepiſcopo abſolutionem impetraret, rediénſque ad virum ſanctũ purgationis, vt putabat, ſuæ chirographum ſecum afferret,rurſum non obſtante mandato,ab illo excommunicatus eſt. Vt autem Dominus oſtẽderet, vtrius ſententiam approbaſſet, Diaconum horrendum in modũ percuſſit, nec eum diutiùs viuere paſſus eſt. Adoleſcentula quædam, cum impudenter ſpueret in fa-

ciem ſponſi ſui, præſente S. Epiſcopo, nec veniá petere vellet, à diabolo præfocata expirauit. Clericus quidam propter tyrannidem quorundam potentum, ius ſuum, quod ei erat in quadam Eccleſia, obtinere non potuit. Pecuniis quoque, ac aliis rebus penè omnibus in Curia Romana conſumptis, iam ſumma egeſtate cœpit vrgeri. Audiés verò, ſanctum Hugonem, oppreſſorum conſolatorem piiſſimum eſſe, ad illum tandem venit, etiam longè extra fines diœceſis ſuæ; & cum lachrymis eius auxilium implorauit. Motus ergo vir Dei, omnes excommunicauit, licet eius iuriſdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam verſi, alij repentina morte extincti ſunt. Quorundam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo poſſeſſori reſtituta eſt Eccleſia. Alios etiam viros ſeptem, quandoque excommunicauit vir ſanctus, quod furem à cœmeterio dolo abſtraxiſſent, & mox ſine dilatione ſuſpendiſſent. Timentes verò illi ne accideret ipſis, quod iam multis euëniſſe conſtabat, ad pedes Epiſcopi pariter venerunt. Sex ſatisfactione, dura illa quidem, ſed breui expurgati ſunt. Septimus, quia noluit ſatisfacere, abſolutionis gratiã non impetrauit. Tam verò dura fuit ea ſatisfactio, vt etiam brumali tempore penè nudi furem à patibulo depoſitum, per longum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, vnde illum extraxerant, tumulare compulſi ſint. Res prorſus ſtupenda. Iam ſeptem anni tranſierant, & ecce redit miſerabilis ille, cum lachrymis petens abſolutionem. Domine, (inquit,) poſtquam ſententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiam Regis continuò perdidi; exulare coactus, ad inopiam redactus ſum: cor-

poris

poris moleſtia contabui, plurimíſque aduerſis caſibus ſubiacui. Sed ne peiora his ſuccedant, dignare, obſecro, vel ſerò pœnitentem releuare. Miſertus ergo vir pius tantæ calamitatis, quod de fortunato, & diuite, ærumnoſus & morbidus factus eſſet, clementer eum abſoluit, & ne dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogauit.]

14. Petrus Bleſenſis, ſcribens ad Radulphum Andegauenſem Epiſcopum de Archiepiſcopo quodam Cantuarienſi, qui tunc viuebat, ſcribit in hæc verba. [Illud certiſſimè teneatis, ipſum nunquam aliquem excommunicaſſe, qui aut non moreretur in proximo, aut cuius non operiret faciem ſubita & ignominioſa confuſio.] Eſt apud Bleſenſem epiſtola 69. Ille verò Archiepiſcopus, dictus eſt Richardus, ex Priore Douuorenſi euectus ad eas infulas, vt habet Rogerius anno 1173.

Leopoldus Auſtrius à Cæleſtino III. excómunicatus, diuinam vltionem excepit longè ſeueriſſimam, vt ſcribunt Neubrig. lib. 5. c. 6. & Rogerius in Angliæ annalibus, ex quo iſta anno 1194. iuuat adſcribere. [Eodem anno, cum Leopoldus Dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam Dominus Papa in eum tulerat, propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pœniteret; flagellauit Dominus terrã ſuam in hunc modum. In primis quidem, incenſæ ſunt omnes ciuitates terræ ſuę, nec alicui nota fuit cauſa incẽdij. Secundò, ex inundatione Danubij fluuij, ſubmerſa eſt quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo amplius perierũt. Tertiò, cum in media æſtate ſoleat & debeat omnis terra virere, tota terra eius, tunc temporis, contra ſo-

litum & debitum curſum exaruit. Quartò, cum ſemina frugum, deberent in herbam proceſſiſſe, in vermes conuerſa ſunt. Quintò, nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt.

Adde illa ex Matthæo Paris anno 1195. poſt narrata ea de quibus iam diximus.[Sed cum in his omnibus non ſit auerſus furor Ducis, animo in deterius aggrauatus; ipſe diuino iudicio terribiliter percuſſus eſt. Die ſiquidem ſancti Stephani cum equitando luſum pergeret, ſociis comitantibus, equus, cui Dux inſidebat, violenter pedem offendens, tibiam ſedentis cum pede inſanabiliter contriuit. Nam tibia cum pede protinus comminuta, nigredine quadam intumeſcens, nullo medicorum potuit cataplaſmate ſedari, quin igne quem infernalem vocant, tumori admixto, intolerabiliter cruciaretur. Quem Dux cruciatũ ferre non valens, pedem à crure fecit detruncari, ipſo interim dolabram tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus. Sed non ſic doloris cruciatus euaſit: Nam illico femur cum corpore reliquo, igne illo execrabiliter depaſcebatur. Tandem verò culpam recognoſcens iniquam, quam in Regem & ſuos malitioſè exercuerat, ſuadentibus Epiſcopis, qui aderant, obſides abſoluit, & reſiduum pecuniæ de redemptione Regis, & quod receperat, ſe redditurum ſpopondit, atque Eccleſiaſticę cenſuræ ſe deinceps pariturum, promiſit. Tunc Epiſcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miſeria & calamitate conſtitutum, à ſententia excommunicationis abſoluentes, ad communionem fidelium admiſerunt, & ſic cum intolerabili cruciatu ſpiritum exhalauit, cuius corpus diutiùs iacuit inhumatum, donec horribilibus

ſcateret

ſcateret vermibus : eo quod filius eius mandatum exequi nollet:ſed tandem ab amicis compulſus, obſides abſoluit,& repatriandi licentiam conceſſit.]

15. Impij parricidæ qui S. Thomam Cantuarienſem neci dederant, ab Alexandro III. excommunicati, illuſtre diuinæ vindictæ exemplum ſubminiſtrant. Nam & animalia eos habuere execrationi. Siquidem canes, quantumlibet famelici, panem ab eis porrectum tanquam veneno anathematis intinctum, horruere. Eorum vnus cui nomen Vvillelmo Traci, primarius viri Dei percuſſor,in itinere Hieroſolymitano ad eluendum tantum ſcelus iuſſu Alexandri Papæ ſuſcepto, Coſentiæ in Calabria in morbum incidit, ex quo putreſcentibus carnibus, apparentibus neruis,& oſſibus,totũ ei corpus diffluxit, incredibili cum angore ægrotantis, qui tandem in ſummis corporis & animi anguſtiis,ibidem efflauit animam. Cæteri poſt ærumnas permultas,intra breue tempus omnes vita functi, vltricem Dei manum ſenſerunt, vt narrant Acta S. Thomæ, & ex eis Baron. anno 1172. *in fine.*

16. Quod coram Mahumete II. Turcarum Imperatore, Conſtantinopolitani Imperij euerſore geſtum proditur à Maximo Conſtantinopolitano Patriarcha ad vim Eccleſiaſtici anathematis manifeſtandam, videtur adſcriptu dignum, vſurpatis ipſiſmet verbis autoris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Turcogræcæ. Inter cętera quæ Mahometi indicarunt,(Gręci)etiam hoc dixerunt quoſcunque Chriſtiani Pontifices & Sacerdotes, legitimè, ob peccatum aliquod admiſſum,ſacro cœtu eiiciant,nec occupent eos dum in viuis ſunt,emendare, vt expientur ab illo lapſu,propter

quem eiecti fuerunt, eorum cadauera, ita in exilio ſpiritali mortuorum non diſſolui à terra, ſed remanere tympanorum inſtar inflata,nec ſi mille etiam tranſierint anni,omnino à terra conſumi,ſed remanere integra,ſicut fuerint humata.Interrogauit amplius:num iidem poſſent data abſolutione rurſus diſſolubilia facere ea corpora?Reſponderunt illi,poſſe.Ipſe miraculo hoc audito,admiratus cohorruit, nec aliud præterea quicquam interrogauit, ſed confeſtim Patriarchæ nunciari iuſſit,quæreret hominem communione Eccleſiæ exterminatum ante longum-tempus vita defunctum. Patriarcha accepto eo nuncio, exterritus eſt:ac ſtatim accitis clericis, Sultani mãdata expoſuit, qui mirati ſunt. Incidit Patriarcha cũ ipſis in grauem curam huc illuc cogitationem voluentes; vbinam tabe iamdudum excommunicationi immortui hominis cadauer reperiri poſſit. Cúmque nihil ipſis quid facerent, in præſentia in mentem veniret, aliquot dierum ſpatium ad diſponendum à Rege petierunt. Quo accepto; animum per omnia verſantes, de tali cadauere cogitant. Tandem recordantur ſeniores quidam de clero, fuiſſe tempore ſuperioris Patriarchæ Gennadij Scholarij, viduam quandam à Sacerdote relictam,pulchritudine conſpicuam,quæ domum extra Patriarcheium habens, quæſtum corpore haud obſcurè vulgato fecerit.Patriarcham re cognita, increpuiſſe ipſam diligentiſſimè monendo, finem faceret peccandi; quo pœnitentia acta, veniam conſequeretur. Sed id fruſtra fuiſſe,muliere laxioribus habenis ſe ad libidines excitante. Patriarcham interim non ceſſaſſe à redarguendo, & obiurgando; nec id ſeorſim ſolùm,ſed etiam apertè coram proceribus ſacris

cris & clericis: at illa miſera, diaboli inſtinctu Patriarcham accuſat; eum, quando ipſum ad ſecretam collocutionem accerſierit, conatum eſſe, ad nefarium facinus vi pertrahere. Ipſe, atrocis criminis indigna accuſatione audita, totus obſtupuit. Ea criminatio per totam Conſtantinopolim percrebuit, & in vicinia tota: quibuſdam veram credentibus; aliis fidem derogantibus Patriarcha quid faceret niſi hoc? Quodam Dominico feſto accerſitis Pontificibus, & Clero, Liturgiam facit, eáque finita clariſſima voce dicit, ſi illa verba quæ ſacerdotis vidua in ipſum dixit vera ſint, ſe ei ignoſci à Deo & fœlicitatem dari, eiúſque mortuæ diſſolui corpus precari. Sin autem confictο crimine indigniſſimè ipſum calumniata ſit, ſe tenere ipſam è ſacro piorum grege eliminatam veniæ exortem, & indiſſolubilem, voluntate, & iudicio Dei omnipotentis. Hæc ille, nec diu gladius diuinæ vltionis emanſit; ſed (ô rem mirã!) die inde quadrageſimo dyſenteria eam abſcidit, ac peſſimè mortuam, & humatam, terra corpus eius non diſſoluit; verum tam inconſumpta, integráque remanſit, quam erat quando ſepeliebatur. Sed ne crines quidem capitis eius vllatenus defluxerant. Verum perinde ipſa ſe habebat, ac mulier aliqua viua: niſi quod non loquebatur. Et tamen multi anni à condemnatione excommunicationis eius abierant: huius inquam mulieris recordati ſunt clerici; eam adhuc eiectionis vinculo conſtrictam teneri; quam bene ſciebant, improbiſſimam illi beato Patriarchę Gennadio calumniam intuliſſe. Conuentu igitur coacto palam dicunt ſe ſcire mulierem iuſta ſententia Patriarchæ Gennadij à ſacris excluſam. Patriarcha Maximus audito, cadauer excommunicatum inuentum

num.2.& Suarez diſp.21.de fide ſect.1.num.4. at ſaltem iure humano, infinities repetito. Et tamen cum tam multi ſint pleriſque in oris hæretici, vt ferè hæc zizania triticum ſuffocent, nullæ videntur extare in eos diuinæ animaduerſiones. Quam multi verò ex Catholicis, ad intentatæ excommunicationis tonitru obſurdeſcunt; & ad vibratam, non plus mouentur, quàm ſi ſalſo aliquo verbo, aut faceto ſcommate, eſſent appetiti:ita vt liceat abſque ſcrupulo illud Theophylacti 2.Theſſalon.3.ad noſtra tempora transferre. [Magna quondam pœna erat ſegregatio, atque adeò excommunicatio. Sed hodie minus habet ponderis, neque in vſu eſt] Id eſt, non eſt vtilis, neque vſum ſuum & fructum habet, quia contemnitur. Et tamen quis è tam multis contemptoribus excommunicationis, non dico tactus de cœlo, aut diſcedente tellure abſorptus, ſed vel tenuiter violatus eſt noſtra memoria? Vel ſi ſunt aliqui, vt interdum eſſe nonnulli referuntur, at quàm rari, aut pauci præ cæteris?

19. Reſpondere in primis liceret, permultos hodiéque grauiſſimis affici malis ob contemptum excommunicationis. Verùm ne cogar exempla adhuc calentia proferre cum aliquorum fortaſſis ſtomacho, placet gratis concedere quod in obiectione aſſumitur, eámque alia ratione elidere. Igitur hæc obiectio, æquè impetit omne genus diuinæ animaduerſionis pro quocunque ſcelere. Interdum enim impiis, & minùs attentis prouidentiæ diuinę res noſtras moderantis æſtimatoribus, videtur dormitare diuinus oculus; cum tamen non dormitet neque dormiat vnquam iuſtus & ſanctus: ſed interdum quidem diſſimulet, & ſuſtineat vaſa iræ in multa patientia; aliquando etiam,

iuſtam

iuſtam iram in nonnullos expromat ad cæterorum terrorem. [Multis facit Deus iſta in iſto tempore,ſed non omnibus(ait D.Auguſt.conc.3.in Pſal.30.*in fine*, agens de potentum ſeculi deiectione,idémque nos in re præſenti dicere poſſumus:) ſi enim nemini faceret, quaſi nō videretur vigilare diuina prouidētia:ſi omni. bus faceret,non ſeruaretur diuina patientia.]Eſt quoque ea doctrina S.Gregorij 5.moral.c.14.& D.Chryſoſtomi orat.de ſecundo Domini aduentu,& pulchrè l.3.contra vituper. vitæ monaſt. *non multùm à principio.* Ibi enim agens de vltionibus diuinis in eos qui iuſto ſunt indulgentiores in liberos, ait; [Plurimi, eiuſmodi multa perpeſſi ſunt. Sin verò aliqui,effugere fortaſſe viſi ſunt,iſti non in finē penitus, ſed in capitis ſui malum effugerūt:Acerbiores enim ac longè diriores cum exceſſerint è vita pœnas luent. Cur autem (inquies) nō hîc potiſſimùm omnes qui ſunt eiuſmodi,ſuppliciis afficiūtur? Quia profectò Deus diem ſtatuit in qua iudicaturus eſt orbem vniuerſum: hæc autem dies nondum adeſt. Præterea ſi iſtud fieret, iam diu abſumptum defeciſſet, ac præreptum fuiſſet omne mortale genus. Cæterum vti ne iſtud contingat, neu plurimi ex dilatione, ac tarditate iudicij pigriores fiant, aſſumit quoſdam interim Deus peccatis obnoxios, eóſque hîc pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quænam ipſos quantáque ſupplicia maneant: vtque addiſcant, quod etſi hac in vita nulla animaduerſione plectantur, poſt tamen eius exceſſum,punientur;& quidem longè grauiùs ac duriùs.]

Quod S.Chryſoſtomus,de vno illo peccato, & iuſtis in illud animaduerſionibus pronunciat, æquè de aliis omnibus peccatis, præſertim grauioribus, ſtatui poteſt.

commodis frangere niſus eſt, nec aliud euicit, quàm vt filius ab ipſo ducens opes animúmque, ferro gladium excommunicationis intorqueret in Patrem; cui vincula Eccleſiaſtica non multùm curanti filius ad diuinum tribunal diem dixit, præfixo tempore, quo vterque, iuſto iudici irretractabilem excepturus ſententiam, ſiſteretur. Quieuit feliciter Epiſcopus. At pater ipſo ſacro Pentecoſtes die, quo illi filius ad Dei iudicium condixerat, in Præſulum ac Principum mediis agminibus, in ipſo templo, ſub ſacrum ſolemne, repentina morte vitam finiuit. Ita refert Petrus Dam. opuſc. 34. cap. 7. Quæ tamen aduerſus hanc narrationem à Cardinali Baronio obiiciuntur anno 973. nolim veriſimilia diffiteri.

10. Subminiſtrat contemptæ excommunicationis diuinam vltionem, idem Petrus Damiani Opuſc. 20. cap. 3. cuius verbis eam exhibeo. [Hæc venerabilis ille vir expertus fuerat, Petrus videlicet Apſarenſis Epiſcopus, qui Epiſcopatum dimiſit, & de Sclauonico regno Italiam nauigans, littoribus Anconitanæ vrbis applicuit. Hic mihi, dum totius circa ſe regni reuerentiam conqueſtus exponeret, ac moleſtæ inquietudinis tædia numeraret, inter cætera vnum intulit, quod vos latere non patior. Quidam, (inquit,) degener quidem moribus, ſed maiorum titulis inſignitus, ſui generis conſanguineam, nuptiali ſibi fœdere copulauit. Quid plura? prohibitus perſtitit, excommunicatus adhæſit, totúmque Eccleſiaſticæ cenſuræ vigorem, nugarum puerilium fabulas deputauit. Cui certè hoc ad diuinæ indignationis iudicium contigit, vt panes de nuptialibus menſis in plateas ante canum ora proiecti, minimè tangerentur. Inſuper, ô diuinæ animaduerſionis

animaduerſionis pauenda ſeueritas! dum rigidus ſtat, dum præceptis ſe ſacerdotalibus non humiliat, qui vigilare ſibimet ad ſalutem noluit, in cubiculo dormientem repente de cœleſtibus irruens fulgur extinxit. Sic ſic diuini furoris expertus eſt moriendo ſententiam, qui vulneri ſuo, dum viueret, adhibere contempſerat medicinam.]

Nec illud ex eodem Petro Damiani prætereundũ, quod recitat Opuſc. 34. cap. *6*. [Robertus Gallorum Rex, auus iſtius Philippi, qui in paterni iuris ſceptra ſucceſſit propinquam ſibi copulauit vxorem, ex qua ſuſcepit filium, anſerinum per omnia collum, & caput habentem. Quos etiam virum ſcilicet, & vxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi, communi ſimul excommunicauere ſententia. Cuius ſacerdotalis edicti, tantus omnem vndique populum terror inuaſit, vt ab eius vniuerſi ſocietate recederẽt, nec præter duos ſibi ſeruulos, ad neceſſarij victus obſequium remanerent: qui tamen & ipſi, omnia vaſa, in quibus Rex edebat, vel bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coactus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediens, diuortit inceſtum, iniitque legale connubium.

11. Henricus III. Romanorum Imperator à Gregorio VII. excommunicatione percuſſus, quã ærumnoſam ab eo tempore vitam duxerit; eius verò exitus è vita, quàm infelix, & mendico quàm ſummo Monarchæ propior fuerit, ſcriptores illius æui complures, literarum monumentis prodiderunt. Ex recentioribus latè in eam rem diſſerit Albertus Pighius l. 5. hierarch. Eccleſ. c. 2. vbi etiam addit, quæ diuina vltio ceciderit in Vvillelmum Epiſcopum Traiecten-

 ſem,

ſem, qui Henrico impietatis adminiſter & exitij autor fuerat; nec contentus ipſe excommunicationem contemnere, docebat alios idē præſtare. Subitò enim grauiſſima correptus ægritudine, ſortem ſuam damnans, frendénſque & eiulans, impœnitens in peccatis ſuis mortuus eſt, omnibus tam triſti exitu abſterritis, & excommunicationis horrore perculſis.

12. Boleſlaus Poloniæ Rex, à Gregorio VII. ſummo Pontifice, ob trucidatum S. Staniſlaum Cracouienſem Epiſcopum excommunicatus, diuinam vltionem perſenſit. Factus enim omnibus horrori, fugit in Hungariam; & velut alter Cain, factus eſt profugus extra regnum ſuum. Poſt annum verò ſecundum à receſſu ex Polonia, inaudito languore percuſſus, demúmque in inſaniam verſus, dum errabundus vagatur, morte præuentus à canibus eſt deuoratus, non ſolutus Eccleſiaſticis vinculis. Longinus rerum Polonicarum ſcriptor, & acta S. Staniſlai, rem pluribus deſcribunt.

Henricus IV. (vt ſcribit Guigo Prior Cartuſiæ in rebus geſtis S. Hugonis Gratianopolitani,) in Concilio Viennenſi, à Guidone Archiepiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato excommunicatus, agente maximè S. Hugone qui Concilio intererat, excidit propè momento è proſperrimo rerum ſtatu, & in calamitates graues incidit, nulla relicta prole maſcula quæ in regnum Germanicum ſuccederet. Quam malorum molem, effectum fuiſſe contractæ ab Henrico excommunicationis, ſtatuit Guigo.

13. S. Hugo Lincolnienſis in Anglia Epiſcopus, magnæ in hoc genere efficacitatis fuiſſe proditur, ita vt quoſcunque ille excommunicatione perculiſſet,

ægrè

ægrè indemnes abirent. Exempla ſuppeditat autor vitæ eius c.23. Habetur apud Surium t. 6. Nouemb. 17. [Spiritus ſanctus (inquit) qui hoc ei contulerat donum, ſermonem illius atque ſententias cõfirmabat ſequentibus ſignis. Nam cùm rebelles quoſdam & contumaces, Satanæ tradidiſſet in interitum carnis, ſubitò non comparuerunt. Miles quidam, propter quoddam mendacium ab Epiſcopo ſancto reprehenſus, cum admonitionem eius parui penderet, nec ſe emendare vellet, mox ab illo excommunicatus eſt. Vſurpabat namque ſibi bona quædam, quæ incitante eum vxore, quod prolem legitimam non haberet, à veris hæredibus per ſimulationem alienare conſenſerat. Tremenda res. Inuaſit eum Diabolus nocte ſequenti, extorquens ſubitò animam mendacem. Alius quidam in eodem ſcelere ei ſuccedens, cùm lætus & temulentus lecto exciperetur, ſopori mortem ſocians, etiam miſerè extinctus eſt. Foreſtarius quidam, propter facinus plexus anathemate, viri Dei ſententiam non metuens, intra paucos dies horribili morte deceſſit è vita. Quidam Diaconus liuore impellente, militem quendam nequiter accuſans de crimine regię proditionis, Hugonis ſententia ob ſpem emendationis percuſſus, cum peccatum ſuum non modò non vellet agnoſcere, ſed etiam ab Archiepiſcopo abſolutionem impetraret, rediénſque ad virum ſanctũ purgationis, vt putabat, ſuæ chirographum ſecum afferret, rurſum non obſtante mandato, ab illo excommunicatus eſt. Vt autem Dominus oſtẽderet, vtrius ſententiam approbaſſet, Diaconum horrendum in modũ percuſſit, nec eum diutiùs viuere paſſus eſt. Adoleſcentula quædam, cum impudenter ſpueret in fa-

ciem ſponſi ſui, præſente S. Epiſcopo, nec veniã petere vellet, à diabolo præfocata expirauit. Clericus quidam propter tyrannidem quorundam potentum, ius ſuum, quod ei erat in quadam Eccleſia, obtinere non potuit. Pecuniis quoque, ac aliis rebus penè omnibus in Curia Romana conſumptis, iam ſumma egeſtate cœpit vrgeri. Audiẽs verò, ſanctum Hugonem, oppreſſorum conſolatorem piiſſimum eſſe, ad illum tandem venit, etiam longè extra fines diœceſis ſuæ; & cum lachrymis eius auxilium implorauit. Motus ergo vir Dei, omnes excommunicauit, licet eius iuriſdictione non tenerentur. Quid plura? Alij in amentiam verſi, alij repentina morte extincti ſunt. Quorundam oculi cum ingenti cruciatu exciderunt, donec legitimo poſſeſſori reſtituta eſt Eccleſia. Alios etiam viros ſeptem, quandoque excommunicauit vir ſanctus, quod furem à cœmeterio dolo abſtraxiſſent, & mox ſine dilatione ſuſpendiſſent. Timentes verò illi ne accideret ipſis, quod iam multis euéniſſe conſtabat, ad pedes Epiſcopi pariter venerunt. Sex ſatisfactione, dura illa quidem, ſed breui expurgati ſunt. Septimus, quia noluit ſatisfacere, abſolutionis gratiã non impetrauit. Tam verò dura fuit ea ſatisfactio, vt etiam brumali tempore penè nudi furem à patibulo depoſitum, per longum iter humeris portare, atque in eo, quod diximus, cœmeterio, vnde illum extraxerant, tumulate compulſi ſint. Res prorſus ſtupenda. Iam ſeptem anni tranſierant, & ecce redit miſerabilis ille, cum lachrymis petens abſolutionem. Domine, (inquit,) poſtquam ſententia tua me perculit, acciderunt mihi mala multa. Gratiam Regis continuò perdidi; exulare coactus, ad inopiam redactus ſum: corporis

poris moleſtia contabui, plurimíſque aduerſis caſibus ſubiacui. Sed ne peiora his ſuccedant, dignare, obſecro, vel ſerò pœnitentem releuare. Miſertus ergo vir pius tantæ calamitatis, quod de fortunato, & diuite, ærumnoſus & morbidus factus eſſet, clementer eum abſoluit, & ne dolorem dolori adderet, mulctam ei mitiorem irrogauit.]

14. Petrus Bleſenſis, ſcribens ad Radulphum Andegauenſem Epiſcopum de Archiepiſcopo quodam Cantuarienſi, qui tunc viuebat, ſcribit in hæc verba. [Illud certiſſimè teneatis, ipſum nunquam aliquem excommunicaſſe, qui aut non moreretur in proximo, aut cuius non operiret faciem ſubita & ignominioſa confuſio.] Eſt apud Bleſenſem epiſtola 69. Ille verò Archiepiſcopus, dictus eſt Richardus, ex Priore Douuerenſi euectus ad eas infulas, vt habet Rogerius anno 1173.

Leopoldus Auſtrius à Cæleſtino III. excõmunicatus, diuinam vltionem excepit longè ſeueriſſimam, vt ſcribunt Neubrig. lib. 5. c. 6. & Rogerius in Angliæ annalibus, ex quo iſta anno 1194. iuuat adſcribere. [Eodem anno, cum Leopoldus Dux Auſtriæ adhuc permaneret in ſententia excommunicationis, quam Dominus Papa in eum tulerat, propter captionem Richardi Regis Angliæ, nec pœniteret; flagellauit Dominus terrã ſuam in hunc modum. In primis quidem, incenſæ ſunt omnes ciuitates terræ ſuę, nec alicui nota fuit cauſa incẽdij. Secundò, ex inundatione Danubij fluuij, ſubmerſa eſt quædam terra adiacens, in qua decem millia hominum, vel eo amplius perierũt. Tertiò, cum in media æſtate ſoleat & debeat omnis terra virere, tota terra eius, tunc temporis, contra ſo-

litum & debitum curſum exaruit. Quartò, cum ſemina frugum, deberent in herbam proceſſiſſe, in vermes conuerſa ſunt. Quintò, nobiliores terræ ſuæ mortalitate percuſſi ſunt.

Adde illa ex Matthæo Paris anno 1195. poſt narrata ea de quibus iam diximus.[Sed cum in his omnibus non ſit auerſus furor Ducis, animo in deterius aggrauatus; ipſe diuino iudicio terribiliter percuſſus eſt. Die ſiquidem ſancti Stephani cum equitando luſum pergeret, ſociis comitantibus, equus, cui Dux inſidebat, violenter pedem offendens, tibiam ſedentis cum pede inſanabiliter contriuit. Nam tibia cum pede protinus comminuta, nigredine quadam intumeſcens, nullo medicorum potuit cataplaſmate ſedari, quin igne quem infernalem vocant, tumori admixto, intolerabiliter cruciaretur. Quem Dux cruciatū ferre non valens, pedem à crure fecit detruncari, ipſo interim dolabram tenente, cæteris omnibus præ nimio horrore hoc facere renuentibus. Sed non ſic doloris cruciatus euaſit: Nam illico femur cum corpore reliquo, igne illo execrabiliter depaſcebatur. Tandem verò culpam recognoſcens iniquam, quam in Regem & ſuos malitiosè exercuerat, ſuadentibus Epiſcopis, qui aderant, obſides abſoluit, & reſiduum pecuniæ de redemptione Regis, & quod receperat, ſe redditurum ſpopondit, atque Eccleſiaſticę cenſuræ ſe deinceps pariturum, promiſit. Tunc Epiſcopi, qui aderant, videntes eum in tanta miſeria & calamitate conſtitutum, à ſententia excommunicationis abſoluentes, ad communionem fidelium admiſerunt, & ſic cum intolerabili cruciatu ſpiritum exhalauit, cuius corpus diutiùs iacuit inhumatum, donec horribilibus

ſcateret

ſcateret vermibus : eo quod filius eius mandatum exequi nollet:ſed tandem ab amicis compulſus, obſides abſoluit,& repatriandi licentiam conceſſit.]

15. Impij parricidæ qui S. Thomam Cantuarienſem neci dederant, ab Alexandro III. excommunicati, illuſtre diuinæ vindictæ exemplum ſubminiſtrant. Nam & animalia eos habuere execrationi. Siquidem canes, quantumlibet famelici, panem ab eis porrectum tanquam veneno anathematis intinctum, horruere. Eorum vnus cui nomen VVillelmo Traci, primarius viri Dei percuſſor,in itinere Hieroſolymitano ad eluendum tantum ſcelus iuſſu Alexandri Papæ ſuſcepto, Coſentiæ in Calabria in morbum incidit, ex quo putreſcentibus carnibus, apparentibus neruis,& oſſibus,totú ei corpus diffluxit, incredibili cum angore ægrotantis, qui tandem in ſummis corporis & animi anguſtiis,ibidem efflauit animam. Cæteri poſt ærumnas permultas,intra breue tempus omnes vita functi, vltricem Dei manum ſenſerunt, vt narrant Acta S. Thomæ, & ex eis Baron. anno 1172. *in fine.*

16. Quod coram Mahumete II. Turcarum Imperatore, Conſtantinopolitani Imperij euerſore geſtum proditur à Maximo Conſtantinopolitano Patriarcha ad vim Eccleſiaſtici anathematis manifeſtandam, videtur adſcriptu dignum, vſurpatis ipſiſmet verbis autoris Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Turcogræcæ. Inter cętera quæ Mahometi indicarunt,(Gręci)etiam hoc dixerunt quoſcunque Chriſtiani Pontifices & Sacerdotes, legitimè, ob peccatum aliquod admiſſum,ſacro cœtu eiiciant,nec occupent eos dum in viuis ſunt,emendare, vt expientur ab illo lapſu,propter

quem eiecti fuerunt, eorum cadauera, ita in exilio ſpiritali mortuorum non diſſolui à terra, ſed remanere tympanorum inſtar inflata, nec ſi mille etiam tranſierint anni, omnino à terra conſumi, ſed remanerė integra, ſicut fuerint humata. Interrogauit amplius: num iidem poſſent data abſolutione rurſus diſſolubilia facere ea corpora? Reſponderunt illi, poſſe. Ipſe miraculo hoc audito, admiratus cohorruit, nec aliud præterea quicquam interrogauit, ſed confeſtim Patriarchæ nunciari iuſſit, quæreret hominem communione Eccleſiæ exterminatum ante longum tempus vita defunctum. Patriarcha accepto eo nuncio, exterritus eſt: ac ſtatim accitis clericis, Sultani mādata expoſuit, qui mirati ſunt. Incidit Patriarcha cū ipſis in grauem curam huc illuc cogitationem voluentes; vbinam tabe iamdudum excommunicationi immortui hominis cadauer reperiri poſſit. Cúmque nihil ipſis quid facerent, in præſentia in mentem veniret, aliquot dierum ſpatium ad diſponendum à Rege petierunt. Quo accepto; animum per omnia verſantes, de tali cadauere cogitant. Tandem recordantur ſeniores quidam de clero, fuiſſe tempore ſuperioris Patriarchæ Gennadij Scholarij, viduam quandam à Sacerdote relictam, pulchritudine conſpicuam, quæ domum extra Patriarcheium habens, quæſtum corpore haud obſcurè vulgato fecerit. Patriarcham re cognita, increpuiſſe ipſam diligentiſſimè monendo, finem faceret peccandi; quo pœnitentia acta, veniam conſequeretur. Sed id fruſtra fuiſſe, muliere laxioribus habenis ſe ad libidines excitante. Patriarcham interim non ceſſaſſe à redarguendo, & obiurgando; nec id ſeorſim ſolùm, ſed etiam apertè coram proceribus ſa-

cris

cris & clericis: at illa miſera, diaboli inſtinctu Patriarcham accuſat; eum, quando ipſum ad ſecretam collocutionem accerſierit, conatum eſſe, ad nefarium facinus vi pertrahere. Ipſe, atrocis criminis indigna accuſatione audita, totus obſtupuit. Ea criminatio per totam Conſtantinopolim percrebuit, & in vicinia tota: quibuſdam veram credentibus; aliis fidem derogantibus Patriarcha quid faceret niſi hoc? Quodam Dominico feſto accerſitis Pontificibus, & Clero, Liturgiam facit, eáque finita clariſſima voce dicit, ſi illa verba quæ ſacerdotis vidua in ipſum dixit vera ſint, ſe ei ignoſci à Deo & fœlicitatem dari, eiúſque mortuæ diſſolui corpus precari. Sin autem conficto crimine indigniſſimè ipſum calumniata ſit, ſe tenere ipſam è ſacro piorum grege eliminatam veniæ exortem, & indiſſolubilem, voluntate, & iudicio Dei omnipotentis. Hæc ille, nec diu gladius diuinæ vltionis emanſit; ſed (ô rem mirã!) die inde quadrageſimo dyſenteria eam abſcidit, ac peſſimè mortuam, & humatam, terra corpus eius non diſſoluit; verum tam inconſumpta, integráque remanſit, quam erat quando ſepeliebatur. Sed ne crines quidem capitis eius vllatenus defluxerant. Verum perinde ipſa ſe habebat, ac mulier aliqua viua: niſi quod non loquebatur. Et tamen multi anni à condemnatione excommunicationis eius abierant: huius inquam mulieris recordati ſunt clerici; eam adhuc eiectionis vinculo conſtrictam teneri; quam bene ſciebant, improbiſſimam illi beato Patriarchę Gennadio calumniam intuliſſe. Conuentu igitur coacto palam dicunt ſe ſcire mulierem iuſta ſententia Patriarchæ Gennadij à ſacris excluſam. Patriarcha Maximus audito, cadauer excommunicatum inuentum

eſſe, iuſſit locum quæri in quo ſepultum iacebat: vt ſepulchro aperto inſpicerent, & de re certiores fierent. Miſſi ſunt qui quærerent. Sepulchro inuento, gaudere Patriarcha, extemplo cum Clero, comitatus magno Regis Tzanſcho eo curréte. Tunc aperientes eius monumentum, cadauer ſaluum & integrum repererunt. Erat id nigrum, & tympani modo tumefactum: quod quicumque viderunt, valde miſeriam illius deflent, horrendo Dei in ipſam iudicio & condemnatione perterriti.] Hæc Petrus Lelohyer l.4. de ſpectr. cap. 10. ferè annumerat fabulamentis Græcanicis. Non video tamen, quid cogat arbitrari rem eſſe fabuloſam, etiamſi vbiuis alibi nihil tale deprehendatur. Affine verò eſt quod Matthæus Paris in vita Henrici tertij Regis Anglorum ſcriptum reliquit, de quodam Gulielmo, qui ob Eccleſiæ bona vſurpata, innodatus Eccleſiaſticis vinculis, exceſſerat è vita. Eius enim cadauer, longo poſt tempore extumulatum, bouino corio inſutum, integrum planè, perinde ac ſi recens conditum fuiſſet, tumens tamen ac liuens, & horrendum in modum deforme, repertum eſt.

17. Malacenſem Præfectũ, quod Euangelio Sinis inferendo per inſignem nequitiã obſtitiſſet, S. Franciſc. Xauer. cum fruſtra tẽtatis omnibus, nulla ratione flectere potuiſſet, exſerto quem ad eam reconditum tenuerat Eccleſiaſtico gladio, pro poteſtate Legati Apoſtolici qua in illis oris fungebatur, excommunicauit. Excommunicationem contemptam, ſecuta mox eſt diuina vltio, & quidem acerbiſſima. Miſer contumacem malignitatem ex Xauerij vaticinio, pecuniis, honore, corpore, vtinam non etiam anima luit. Nam haud ita multo poſt vibratam in eum excommunicationem,

tionem,iuſſu Proregis, quaſi defectionem à Luſitano Rege meditaretur, datus eſt in vincula, quaſi Deus vincula Eccleſiaſtica quæ ille nequiter contempſerat, vinculis Eccleſiaſticis cumulata vellet.Mox ita vt erat vinctus, Goam ad Proregē,inde in Luſitaniam abductus,fortunis omnibus ſpoliatus, ignominia notatus, carceri perpetuo addictus, lepra teterrima coopertus interiit. Deſcribit rem geſtam Turſellinus lib.5. vitæ Xauerij cap.6.

Cumulum diuinorum operum aduersùs excommunicatos, his verbis aceruauit Petrus Lenauderius tract.de Doctoribus p.1.q.18.[Videmus ſingulis diebus, permultos viros ſuæ ſalutis immemores, quos conſtat excommunicationis ſententia eſſe innodatos, citò paralyſin incurrere, eorum membra tabeſcere, aut diuitias graui quadam iactura, vt igne, fulmine, aqua, incendio, vel turbine conſumi: aut morbo ſæuiente,valetudinarios & languidos deficere.Et quod longe deterius eſt,ſine peccatorum ſuorum detectione, & Sacramentorum Eccleſiaſticorum ſuſceptione, ſæpenumero (proh dolor!) naturæ debitum perſoluere.] Hæc ille,quæ obſignat hac clauſula,quæ quod veriſſimè & optimè ex ſuis antecedentibus deducatur, mea quoque eſto. [Concludo igitur,ſententiam excommunicationis valdè eſſe timendam.]

18. Vnum duntaxat eſt,ex quo video aculeum timoris per ea quæ adduximus infixum,hebeſcere apud aliquos poſſe. Nimirum quod tam multos quotidie videamus, impune contemnere excommunicationem. Hæretici ſanè omnes, ſunt excommunicati, ſin minùs iure diuino, vt multorum olim tulit ſententia, quam meritò improbant Sanchez l.2.in decalog. c.9.

num.

num.2.& Suarez diſp.21.de fide ſect.1.num.4. at ſaltem iure humano, infinities repetito. Et tamen cum tam multi ſint pleriſque in oris hæretici, vt ferè hæc zizania triticum ſuffocent, nullæ videntur extare in eos diuinæ animaduerſiones. Quam multi verò ex Catholicis, ad intentatæ excommunicationis tonitru obſurdeſcunt; & ad vibratam, non plus mouentur, quàm ſi ſalſo aliquo verbo, aut faceto ſcommate, eſſent appetiti: ita vt liceat abſque ſcrupulo illud Theophylacti 2.Theſſalon.3.ad noſtra tempora transferre. [Magna quondam pœna erat ſegregatio, atque adeò excommunicatio. Sed hodie minus habet ponderis, neque in vſu eſt] Id eſt, non eſt vtilis, neque vſum ſuum & fructum habet, quia contemnitur. Et tamen quis è tam multis contemptoribus excommunicationis, non dico tactus de cœlo, aut diſcedente tellure abſorptus, ſed vel tenuiter violatus eſt noſtra memoria? Vel ſi ſunt aliqui, vt interdum eſſe nonnulli referuntur, at quàm rari, aut pauci præ cæteris?

19. Reſpondere in primis liceret, permultos hodiéque grauiſſimis affici malis ob contemptum excommunicationis. Verùm ne cogar exempla adhuc calentia proferre cum aliquorum fortaſſis ſtomacho, placet gratis concedere quod in obiectione aſſumitur, eámque alia ratione elidere. Igitur hæc obiectio, æquè impetit omne genus diuinæ animaduerſionis pro quocunque ſcelere. Interdum enim impiis, & minùs attentis prouidentiæ diuinę res noſtras moderantis æſtimatoribus, videtur dormitare diuinus oculus; cum tamen non dormitet neque dormiat vnquam iuſtus & ſanctus: ſed interdum quidem diſſimulet, & ſuſtineat vaſa iræ in multa patientia; aliquando etiam,

iuſtam iram in nonnullos expromat ad cæterorum terrorem. [Multis facit Deus iſta in iſto tempore,ſed non omnibus(ait D. Auguſt.conc.3.in Pſal.30.*in fine*, agens de potentum ſeculi deiectione,idémque nos in re præſenti dicere poſſumus:) ſi enim nemini faceret, quaſi nō videretur vigilare diuina prouidētia:ſi omni. bus faceret,non ſeruaretur diuina patientia.]Eſt quoque ea doctrina S.Gregorij 5.moral.c.14.& D.Chryſoſtomi orat.de ſecundo Domini aduentu,& pulchrè l.3.contra vituper. vitæ monaſt. *non multùm à principio.* Ibi enim agens de vltionibus diuinis in eos qui iuſto ſunt indulgentiores in liberos, ait; [Plurimi, eiuſmodi multa perpeſſi ſunt. Sin verò aliqui,effugere fortaſſe viſi ſunt,iſti non in finē penitus, ſed in capitis ſui, malum effugerūt:Acerbiores enim ac longè diriores cum exceſſerint è vita pœnas luent. Cur autem (inquies) nō hîc potiſſimùm omnes qui ſunt eiuſmodi,ſuppliciis afficiūtur? Quia profectò Deus diem ſtatuit in qua iudicaturus eſt orbem vniuerſum: hæc autem dies nondum adeſt. Præterea ſi iſtud fieret, iam diu abſumptum defeciſſet, ac præreptum fuiſſet omne mortale genus. Cæterum vti ne iſtud contingat, neu plurimi ex dilatione, ac tarditate iudicij pigriores fiant, aſſumit quoſdam interim Deus peccatis obnoxios, eóſque hîc pœnis excrucians, per illos admonet reliquos, quænam ipſos quantáque ſupplicia maneant:vtque addiſcant, quod etſi hac in vita nulla animaduerſione plectantur, poſt tamen eius exceſſum,punientur;& quidem longè grauiùs ac duriùs.]

Quod S.Chryſoſtomus,de vno illo peccato, & iuſtis in illud animaduerſionibus pronunciat, æquè de aliis omnibus peccatis, præſertim grauioribus, ſtatui poteſt.

poteſt. Quod ſi qui videntur impune abire, cum iis agitur omnium peſſimè, vt idem S. Chryſoſtomus affirmat, præiuerátque Origenes homil. 2. in Ierem. Vt igitur ex S. Cypriano initio aiebam, [exempla ſunt omnium, tormenta paucorum,] quod aliter extulit autor libri de ſingularit. Clericorum. [Præbentur cunctis exempla, cum fuerint quibuſdam irrogata ſupplicia.] Quod in vniuerſa diuinæ prouidentiæ vltricis negotiatione, & nominatim in re noſtra, haberi debet indubitatum.

CAPVT XII.

Alterum diuinum ſuffragium pro excommunicationis malignitate, ex miris effectibus ſimilitudinariæ excommunicationis in res irrationabiles intortæ.

1. QVÆ hactenùs protulimus diuinæ iræ in excommunicatos ſpecimina, continent diuinum ſuffragium ad excommunicationis malignitatem expreſsè confirmandam. Sunt verò alia quædam diuinorum operum exempla, quibus idem declarari & roborari poteſt, tametſi non fuerint adiuncta excommunicationibus verè ac propriè dictis. Veruntamen quia rude vulgus interueniſſe excommunicationem imaginabatur, aut quia viri ſancti ad perſuadendam veræ excommunicationis malignitatem, talia opera patrabant exorato numine, diuina bonitas, vulgi ſimplicitati, aut ſanctorum petitionibus

bus ſe accommodans, vt mortales in vera & propriè dicta excommunicatione debitam Eccleſiæ reuerentiam multo magis exhibere aſſueſcerent, manum robuſtam plerunque adiunxit, & rem ſimilitudinariæ excommunicationi ſubiectam, perdidit non ſine miraculo. Nam etiam aliquando expilationes idoliorum, quia ex errore operantium ſacrilegę erant, interpoſito miraculo coërcuit, vt ex Euſebio l.8.præpar.c.5.notare memini l.4.de virtut.num.345. Quod ſi nudum excommunicationis nomen, licet vacuum & ſubiectæ veræ notionis inane, tantum apud Deum valuit, quid non erit à vera & propriè dicta excommunicatione timendum?

Vſus antiquus excommunicandi beſtiolas frugiperdas.

2. Hîc occurrit vſus olim frequentiſſimus, nec nunc prorſus abolitus, intorquendi excommunicationem (ſic enim nominant) in beſtiolas frugiperdas, alitérve hominibus incommodantes ac noxias: cuiuſmodi ſunt locuſtę, muſcę, ac ſimiles; quas alicubi conſtat plerunque interpellatas mota lite, datiſque ex vna parte, Aduocato, & Procuratore, ex altera autem conſtitutis accuſatoribus, vrgentibus ſententiam condemnatoriam & excommunicationem, quæ tandem poſt vtrinque factam cauſę velitationē, intorqueatur. Rem pleniſſimè deſcribit, & prolatis multis aduerſus beſtiolas illas proceſſibus atque ſentētiis, benè ac ritè factam confirmat Chaſſanæus conſilio 1. Aliæ quoque huiuſmodi iudiciales ſententiæ referuntur tomo 2. mallei malefic. Ego vnam quandam formulam, quæ aliunde

aliundeam in nus meas incidit, & ſeriem antiquæ in hoc negotio praxeos perbellè aperit, exiſtimo operæ-pretium adſcribere. Sententia eſt lata ab Officiali Trecenſi Ioanne Milone anno 1516. quæ ſic habet. [In nomine Domini Amen. Viſa ſupplicatione ſeu requeſta pro parte habitantium loci de Villanoxa Trec. Diœceſis nobis Officiali Trec. in iudicio facta, aduerſus bruchos ſeu erucas, vel alia nõ diſſimilia animalia, Gallicè *Hurebets*, nuncupata, fructus vinearum eiuſdem loci à certis annis & adhuc hoc præſenti anno, vt fide dignorum teſtimonio, & quaſi publico rumore aſſeritur, cum maximo incolarum loci & vicinorum locorum incommodo depopulantia, vt prædicta animalia per nos moneantur, & remediis Eccleſiaſticis mediantibus compellantur, à territorio dicti loci abire; viſiſque & diligenter inſpectis cauſis prædictæ ſupplicationis ſeu requeſtæ, necnon pro parte dictarum erucarum ſeu animalium, per certos Conſiliarios eoſdem per nos deputatos, propoſitis & allegatis; audito etiam ſuper præmiſſis Promotore, ac viſa certa informatione, & ordinatione noſtra per certum dictæ Curiæ Trecenſis Notarium de damno in vineis iam dicti loci de Villanoxa per dicta animalia illato, quoniam huiuſmodi damno, niſi diuina ope ſuccurri poſſe exiſtimatur, attenta prædictorum habitantium humili ac frequenti & importuna requiſitione, præſertim magna priſtinæ vitæ errata emendandi, per eoſdem habitantes, edito ſpectaculo ſolemniter ſupplicationum nuper ex noſtra ordinatione factarum, prompta exhibitione; & ſicut miſericordia Dei peccatores ad ſe cum humilitate reuertentes, non reſpuit, ita ipſius Eccleſia eiſdem recurrentibus

bus auxilium, ſeu etiam ſolatium qualecumque denegare non debet: Nos Officialis prædictus, in re quanquam noua, tam fortiter tamen efflagitata, maiorum veſtigiis inhærendo, pro tribunali ſedentes, ac Deum præ oculis habentes, in eius miſericordia & pietate confidentes, de peritorum conſilio noſtram ſententiam modo qui ſequitur in his ſcriptis ferimus, in nomine & virtute Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus ſācti, Beatiſſimæ Domini noſtri IESV CHRISTI genitricis Mariæ, autoritatéque Beatorum Apoſtol. Petri & Pauli, necnon ea qua fungimur in hac parte, prædictos bruchos, & erucas, & animalia prædicta, quocunque nomine cenſeantur, monemus in his ſcriptis, ſub pœnis maledictionis & anathematiſationis, vt infra ſex dies à monitione, in vim ſententiæ huius, à vineis & territoriis dicti loci de Villanoxa diſcedant, nullum vlteriùs ibidem, nec alibi in hac Diœceſi Trec. nocumentum præſtitura. Quod ſi infra prædictos dies, iā dicta animalia huic noſtræ admonitioni non paruerint cum effectu, ipſis 6. diebus elapſis, virtute & autoritate præfatis, illa in his ſcriptis anathematiſamus, & eiſdem maledicimus. Ordinantes tamen & diſtrictè præcipientes prædictis habitantibus de Villanoxa, cuiuſque gradus, ordinis, aut cōditionis exiſtant, vt faciliùs ab omnipotente Deo omnium bonorum largitore, & malorum depulſore, tanti incommodi liberationem valeant promereri, quatenus bonis operibus ac deuotis ſupplicationibus iugiter attendentes, de cætero ſuas decimas ſine fraude ſecundum loci approbatam conſuetudinem perſoluant, blaſphemis & aliis peccatis præſertim publicis, ſedulò abſtineant.]

3. Hactenus Trecenſis ſententia contra beſtiolas. In qua quod audiſti, talem excommunicationem rem nouam viſam, ab imperito Notario ex veteri formula malè appoſitum eſt. Alioqui quomodo cohærerent duo illa, *nos in re quanquam noua*, & *maiorum veſtigiis inhærendo*? Certè nota temporis in ſententiis à Chaſſanæo prolatis, demonſtrat nō fuiſſe anno 1516. rem nouam, ſic ſe gerere erga noxia animalcula. Nam in vna ſignatur annus 1481. in altera annus 1487. Niſi ſi quis malit fateri, verè in Diœceſi Trecēſi fuiſſe tūc rem nouam ſic agere aduerſus hæc animalcula: illud autem, *maiorum veſtigiis inhærendo*, referat ad ea quæ ſequuntur; ſcilicet ad ea quæ Officialis in negotij cōfectione ſe adhibuiſſe teſtatur, pro more iam olim recepto quoties occurrunt cauſæ graues, etiamſi nouæ, nec priùs agitatæ. Quicquid verò ſit de Trecenſi Diœceſi, teſtatur Chaſſanæus initio Conſilij prædicti, in Diœceſi Heduenſi, antequā ipſe ſcriberet, (hoc eſt ante annū circiter abhinc 120.) nullā vnquam fuiſſe dubitationem, quin licitè & validè vſurparetur excommunicatio huiuſmodi beſtiolarum. Et in variis ſententiis quas refert latas à Lugdunenſi, Matiſconenſi & Heduenſi Officialibus, diſertè affirmatur, hunc fuiſſe vſum perantiquum.

Eſt abuſus explodendus.

4. Abuſum conuenientiùs dixiſſem. Eſt enim ad minimum anilis nugacitas, litem intendere beſtiolis eáſque admonere, & inſtitutis Aduocatis & Procuratoribus qui vltrò citróque rem agitent, iudicium vrgere. Nec procliuius quicquam eſt, quàm vt cum

ea

ea afflitate ſuperſtitioſus & damnabilis ritus adiungatur. Arbitrari verò, excommunicationem poſſe in huiuſmodi irrationalia intorqueri, mera inſcitia eſt, quod benè monuerunt Ioannes de Lignano tract. de excommun. §.9. num. 1. Sotus l.8. de iuſt. q.3. artic.3. & l.5. q.12. artic.2. Nauar. conſil.52. de ſent. excommun. & in ſumma cap.27. num.13. Henriq. l.13. c.25. num.1. Sanchez l.2. in decalog. c.42. num.39. qui alios præterea adducunt. Rationem cur id ſit omnino explodendum, tetigi cap.1. huius lucubrationis; quia & ſubiectum de quo agitur, eſt incapax priuationum in quibus ſita eſt excommunicatio, & deeſt eſſentiale eius motiuum, nempe culpa; nec adeſt finis intrinſecus ex quo neceſſe eſt ferri excommunicationem; nimirum ſpes emendationis. In ea ſententia Officialis Heduenſis Ioannis Bobillerij quam Chaſſanæus refert, inſinuari videtur reſponſio ad hoc argumentum, Ibi enim dicitur, hæc quidem animalcula ſecundùm ſe non eſſe capacia peccati vel virtutis, atque adeò neque excommunicationis & anathematizationis: tamen in ordine ad hominem propter quem facta ſunt, capacia eſſe excommunicationis & anathematizationis. Hinc tamen non eneruatur argumentum propoſitum. Neque enim hæ frugiperdæ beſtiolæ, quia propter hominem ſunt conditæ, pollent ratione, aut ſunt capaces priuationum rationis vſum ac libertatem ſupponentium, fiúntve capaces culpæ aut emendationis: quæ omnia ſunt intrinſeca veræ & propriæ excommunicationi. Quare extra dubium cito, abuſum eſſe vocabuli, quum hæ beſtiolæ dicuntur excommunicari.

Quod autem Eccleſiaſtici rectores prouidi & be-

nè conſulti, aduerſus huiuſmodi beſtiolas homini noxias præſtant, eſt tantùm execratio Satanę, plerunque rebus illis abutentis in damnum hominum. Vnde Miniſter Eccleſiæ pro poteſtate ſibi in Satanam conceſſa, execratus eius malignitatem, vrget illum in nomine Domini, vt recedat, deſinátque illa animalia mouere in damnum mortalium. Et quia plerunque annuente Deo, non diſpar exitij aut ſeceſſionis talium animalium effectus ſequitur, quàm cum homo excommunicatus abſcedit, deſerítque aliorum hominum commercium; ac etiam quia ſolemnitas adiurationis, aliquatenus reſpondet ſolemnitati quæ inter excommunicandum ſeruatur: propterea vulgus eo deuenit, vt talem Satanæ bruta illa mouentis execrationem & adiurationem, arbitretur eſſe excommunicationem, eóque nomine illam donet. Paſſimque eodem etiam nomine inſignitur execratio rei inanimæ, ſeu potiùs adiuratio Dei, vt dignetur in te inanima exhibere proportionaliter ſimilem effectum, ei quem excommunicatio propriè dicta efficit in hominem ſuccenſente Deo; exitij nimirum & cladis, quod aliquoties feciſſe ſanctos Dei homines, circa res quoque inſenſibiles, mox docebo ſubiectis exemplis. Habétque etiam locum hęc Dei adiuratio, quoad beſtiolas quæ excommunicari vulgo dicuntur. Tamen nihil horum eſt verè excommunicatio; & quod Nauarrus conſilio citato rectè oſtendit, expungendum planè eſt nomen *excommunicationis & anathematizationis*, ex eo toto negotio; nec vſurpandum niſi nomen *adiurationis*, aut *maledictionis & execrationis* Satanæ abutentis rebus propter nos conditis, in damnum noſtrum cum diuina iniuria.

Deus interdum aſtipulatus, vt vera excommunicatio timeatur.

5. Quamuis autem hæc ita ſe habeant, tamen vt dixi initio huius capitis, ſi tanti vitreum, quanti verum margaritum? Si inquam excommunicatio quæ tantùm nomine tenus eſt excommunicatio, tales ac tantos effectus præſtat in damnum rerum in quas vibratur, vt nunc referam, quantos proportionaliter edet vera & propriè dicta excommunicatio? Hos igitur effectus ſubiectis exemplis illuſtrare, & inde veræ excommunicationis virulentiam detegere, operæpretium eſt. Eo quippe referri à Deo videntur, vt dixi initio capitis. Et Nauarrus quidem, conſilio illo 52. n. 12. effectum mirabilem, v. g. ſubitam ſeceſſionem, aut exitium locuſtarum, ad has execrationes aut adiurationes conſequentem, refert ad Satanam tãquam ad cauſam, id intendentem vt per eos effectus, ſuperſtitioſus vſus inſigatur in dies magis. Et ita fatendum eſt, cum admiſcetur huic negotio ſuperſtitio, & offenſa numinis. Sed cum ob perſonarum adiurantium conditionem, nimirum quia ſunt ſanctæ ac peritæ, ceſſat ſuperſtitionis intermixtæ ſuſpicio, nihilque niſi purum ac nitens intercedit, neceſſe eſt fateri, effectum eſſe diuinum, ad magis & magis ſuadendum terrorem iuſtum, verè ac propriè dictæ excommunicationis, vt præmiſſum eſt initio capitis. Et in hunc finem ad aliquos tales effectus enumerandos accingimur.

Exempla varia quoad beſtiolas.

6. Eiuſmodi in primis eſt, quod Gulielmus Abbas S. Theodorici l. 1. vitæ S. Bernardi c. 12. ſcribit de Sancto illo viro his verbis. [Venerat aliquando Fuſniacum, quæ eſt Abbatia vna de primis quam ipſe ædificauit, in Laudunenſi territorio ſita. Cúmque noui ibidem Oratorij dedicatio pararetur, ita illud occupauerat muſcarum incredibilis multitudo, vt earum ſonitus, improbiſſque diſcurſus, grauem nimis introeuntibus moleſtiam generaret. Nullo igitur occurrente remedio, dixit Sanctus, *excommunico eas*; & manè omnes pariter mortuas inuenerunt. Cúmque pauimentum omne operuiſſent palis eiicientes eas, ita demum baſilicam mundauerunt. Hoc autem tam notum, & tam celebre fuit, vt inter vicinos quoque quorum ad dedicationem maxima multitudo conuenit, muſcarum Fuſniacarum maledictio, in parabolam verteretur.]

Aquis in Sabaudia, vt certum ex antiqua traditione proditur, S. Hugonem Gratianopolitanum Antiſtitem, in cuius Diœceſi is locus eſt, miſeratum ſortem indigenarum, quos ingens ſerpentum copia ſubitò enata valdè vexabat, ſerpentes excommunicaſſe; & exinde nullum inibi ſerpentem, quantumuis mordeat, eſſe veneniferum. Et vt virtus ſancti Antiſtitis eſſet exploratior, voluit Deus, vt idem met ſerpens ſi extra Aquenſis parœciæ territorium efferatur, & morſum alicui infigat, affundat venenum.

Vaſtabant anguillæ lacum Lemanicum piſcoſiſſimum. Ciuitas Gebennenſis, tunc Catholica, interpel-

lauit

lauit Epiſcopi autoritatem,& infeſtum lacui ſuo anguillarum genus, percelli excõmunicatione curauit. Ab eo tempore, exularunt planè ex eo lacu anguillæ prædictæ. Ita teſtatur Officialis Lugdunenſis in formula ſententiæ quam refert Chaſſanæus, qui etiam genus anguillæ ſic ex eo lacu exterminatum, nominat *torquens*.Idem retulerat Chaſſanæus in argumentis pro parte affirmatiua num.110. Incidi quoque non ita pridem in tractatum de ſolubilitate animarum Purgatorij per Pontificem,à F.Ioanne de Marchepallus Ord.Minorum,Geneuæ ſuperiore ſeculo vbi tunc ipſe vrbe adhuc Catholica morabatur, conſcriptum & typis editũ, in cuius tractatus capite primo, *ad finem*, teſtatur communiſſimum tunc fuiſſe totius Geneuenſis ciuitatis conſenſum,quod intorta per quendam Epiſcopum, rogatu ciuium excommunicatione in anguillas lacus vaſtatrices,omnes indę fuiſſent depulſæ.

7. Prædiues Abbas idémque Dynaſta in Saxonia, (vt ſcribit ex Henr. German. Lazarius ſ.1. q.19. num.11.) inſignem habebat annulum, quem cum ad abluendas manus ſepoſuiſſet, coruus cicur abripuit, nemine conſcio,& in nidum ſuum aſportauit. Abbas de annuli qui pretioſus illi erat iactura ſollicitus,poſt diligentem eius conquiſitionem,iubet intorqueri excommunicationem in furem, niſi annulum ablatum intra diem ſextum reſtituat. Eo exacto termino, coruus annuli raptor languore & cibi faſtidio correptus, notatus eſt ſenſim tabeſcere.Subueritis ergo quibuſdam ne ipſe annulum rapuiſſet, indéque lenta tabo corriperetur, itum eſt ad nidum eius, ibi repertus eſt annulus. Confeſtim autem iuſſu Abbatis laxata ex-

communicatione, coruus magno cum ſtupore omnium, veluti reuixit, & ad priſtinam incolumitatem reuenit. Hanc narrationem non de quodam Germaniæ Abbate, ſed de ipſo S. Benedicto refert Iacobus de Graffis illius familiæ alumnus, in deciſionibus aureis, tractans ſubiectum excommunicationis.

Similem planè narrationem, de monedula Archiepiſcopi Biſuntini, qui ſimul erat Epiſcopus Baiocenſis, recitat Petrus de Lenaudiere tract. de Doctoribus 1. p. q. 18. aítque id ſuo tẽpore accidiſſe in oppido Millerio. Scribebat verò Lenauderius Cadomi, anno 1525. Addítque eodem loco narrationem aliam, de excommunicatione à Iudice Eccleſiaſtico lata in teſtudines, bruchos, locuſtas, toti regioni maximè nocentes. Vibrata enim excommunicatione, affirmat ſubitò omnia illa animalia in alias oras migraſſe, ibíque primùm impensè nigrefacta fuiſſe, poſtmodum verò computruiſſe. Vnde exortam dicit teterrimam luem, quæ innumeros mortales fœdè conſumpſit.

8. Hiſpanum quendam Epiſcopum, ſcribit Nauar. conſil. 52. de ſent. excom. num. 7. ex quodam promontorio, interpoſita excommunicatione mandaſſe muribus, vt ex ora quadam cui vaſtitatem inferebant abſcedentes, in deſignatam abs ſe inſulam Oceani deſertam & ſterilem intra tres horas emigrarent. Móxque immenſum murium exercitum, enatando ad illam inſulam ſeceſſiſſe. Nauarrus hoc factum damnat, ſuperſtitionis, cenſétque Epiſcopum illum verè intendiſſe murium excommunicationem. Verùm de Epiſcopo, quem eo munere dignum par eſt credere, omnia alia præſumenda videntur. Itaque non puto illũ aliud intendiſſe, quàm quod voluiſſe S. Bernardum

paulo

paulo ante adductum, par eſt exiſtimare: nimirum voluit adhibere adiurationem, quam vulgus excommunicationem per abuſum nominat, indéque abſque vlla ſuperſtitione aut labe, manauit effectus propoſitus.

Similis vſus quoad plantas, exemplis illuſtratus.

Etiam arbores & plantas, huius non niſi nomine tenus excommunicationis, damnum ſenſiſſe, produnt hiſtoriæ. Exemplum vnum in hanc rem, habetur in S. Volſtani Actis apud Surium 19. Ianuar. Sunt etiam qui ſcribant, furem Valliſoleti, vas argenteum quod ſurripuerat, in trunco excauato populi proceræ & annoſæ abdidiſſe. Cum autem fur ea ex cauſa perculſus eſſet excommunicatione, arbor quoque furti aſſeruatrix illico exaruit, quaſi fulmine icta fuiſſet. Poſt aliquod verò tempus vaſe reperto, & diſſolutis excommunicationis nexibus, quibus fur ligatus fuerat, arbor quoque omnibus ſtupore defixis virori priſtino confeſtim eſt reſtituta.

9. Addo & illud ex Chaſſanæo conſilio illo 1. num. 120. de viridario, quod mater Ducis Burgundiæ in cornu filio olei coëmerat. Cum enim à certo tempore quod incolæ notabant omnes viridarij arbores euaſiſſent infrugiferæ, compertum eſt, Sacerdotem infenſum iuuenibus viridarij fructuum expilatoribus, quod præter iniuſtum damnum, rei diuinæ per eam cauſam deeſſent, excommunicaſſe arbores illas, & vt fructibus deinceps carerent, edixiſſe. Sed mox ſolutione anathematis, rogatu Duciſſæ, adhibita ab eodem Sacerdote, datóque arboribus præcepto, vt

feracitatem priſtinam reſumerent, ait Chaſſanæus qui in ea regione ſcripſit, fertilitatem priorem reueniſſe. Hæc ipſa videtur eſſe narratio, quæ in ſententia Officialis Lugdunenſis ab eodem Chaſſanæo recitata refertur, mutatis circunſtantiis nonnullis, & ſuppreſſo nomine Dominæ, quam viridarium non comparaſſe pecunia, ſed vi abſtuliſſe dicit, indéque factum, vt exacerbatus Sacerdos iniuriam paſſus, arbores viridarij excommunicaret, & ſteriles redderet: mox autem reſtituto ob ſterilitatem viridario, redonatas ab eo fuiſſe fertilitate, interpoſita arborum abſolutione. Hæc viridarij excommunicatio & abſolutio, accipienda eſt in ſenſu ſępè expoſito: nimirum vt excommunicatio tantùm fuerit oratio ad Deum pro ſterilitate arborum, in pœnam iniuriæ, vel irreligioſitatis, cui arborum feracitas occaſionem præſtiterat. Sicut etiam apud S. Ambroſium l. 3. de virginibus, ranæ in palude, ad iuſſum Sacerdotis cui ſacrificanti obſtrepebant, elingues ſunt redditæ: Abſolutio autem aliud non fuerit, quàm oratio ad Deum, vt ſanaret arbores, & priſtinæ feracitati reſtitueret.

10. Roſacea ſerta à Ioanne Vicentino Ord. Prædicatorum, inſigni ſalutis animarum curatore, & eximio Thaumaturgo, fuíſſe excommunicata, Deúmque miraculo aſtipulatum eſſe voluntati viri Sancti, ſcribit his verbis Cantiprat. l. 2. Apum. c. 1. num. 8. [Stetit frater Ioannes, & concurrenti ciuitatis populo prædicabat. Vidit autem, & doluit, & vidit quod ſertis ex roſis, totus fere circumſidebat populus coronatus. Finito ergo ſermone, dixit omnibus: Pudeat membra fidelis populi, roſis aut floribus ſub ſpinato Chriſti capite coronari, & addidit: *excommunico ſerta roſarum.*

rum. Non populum, ſed ſerta, quibus ille vtitur in peccatum. Deſtitit ergo populus à maiore vſque ad minimum portare ſerta: nec fuit aliquis qui auſus fuerit transgredi verba Sancti. Poſt nonnullos verò dies, nuptiæ celebrabantur in vrbe. Aderat & puer iunior, qui ſertum ex roſis tantùm portabat in manu. Quod vt vidit adoleſcens quidam ſuperbus & accuratus, rapuit ſertum ex manibus pueri, & contumax poſuit ſuper caput. Nec mora, flamma edax ſerti inuaſit: & antequam illud adoleſcens deponere poſſet, omnes eius capitis crines exuſſit. Conuerſus ergo populus in ſtuporem, ſancti viri verba timere didicit, & in factis eius, Dominum per omnia benedixit.]

Obiter de ſimili vſu quoad inanimata. Infertur intentum.

11. Iam de rebus inanimatis ſimilitudinaria excommunicatione perculſis, & monſtrata per eas veræ excommunicationis malignitate, horrendum profectò eſt, quod in S. Antonini rebus geſtis c. 29. proditur. Sed quod ea narratio commodiorem locum habitura ſit inferiùs, agendo de cauſis neglectæ excommunicationis, illuc differatur. Eſt verò omnino geminum, quod Ferdinandus à Caſtello 1. p. Dominicanæ hiſtor. l. 2. c. 62. ſcriptis prodidit, de Conſaluo Amarantio eiuſdem inſtituti. Nam panem candidiſſimum, quouis carbone tetriorem reddidit, intortis in illum deuotionibus; móxque priſtino candori reſtituit, affuſione aquæ benedictæ, & interpoſitu ſimilitudinariæ exſolutionis. Quibus omnibus, vir ſanctus, rudem plebem cum qua agebat, ad concipiendum

dum veræ excommunicationis horrorem, adducere voluit. Simile quoque eſt, exemplum in eandem rem à quodam ſancto Abbate editum, in pane, coram Comite Toloſano hæretico, vt ſcribit Chaſſanæus conſilio illo 1. in argumentis pro parte affirmatiua num. 122.

Quod de arbore ad Chriſti vocem arefacta, obſeruauit S. Paulinus epiſt. ad Deſiderium; nimirum illatum eſſe innoxiæ damnum, vt noxius homo ſapere diſceret, hoc de omnibus proximè recenſitis ſiue brutis, ſiue plantis, ſiue rebus inanimatis, æquè dixerim. Voluit enim Deus, in ſubiecto veræ excommunicationis incapaci, per ſimilitudinariam excommunicationem, cui per merum abuſum nomen excommunicationis tributum eſt, demonſtrare, quid in ſubiecto veræ excommunicationis capaci operetur proportionaliter vera & propriè dicta excommunicatio.

CAPVT XIII.

Senſus Eccleſiæ de excommunicationis malignitate.

1. ECCLESIA, cuius ſecundùm Deum ſumma eſt Chriſtiano autoritas, tam horrificam, támque expaueſcendam pronunciat excommunicationem, vt non poſſit horribiliorem exhibere. Et præter ea quę ſupra ſunt adducta cap. 7. de ritibus, in vibranda, & vt loquuntur fulminanda ſolemni excommunicatione adhiberi ſolitis, quibus Eccleſia in actu

exercito

exercito atteſtatur malignitati excommunicationis, ſuppetunt alia, quibus Eccleſia in actu ſignato docet, quantopere ſit extimeſcenda excommunicatio, quantúmque ſit eius venenum. Talia multa, proſtant in Eccleſiaſtica vt ſic dicam Bibliotheca; hoc eſt in iure ſacro, quod Gratiani decreto, ac ſummorum religionis Antiſtitum decretalibus, & reſcriptis; Conciliorúmve ritè comprobatorum oraculis, cõtinetur. Non vendito decretum Gratiani, tanquam ius Eccleſiæ, & ab ea donatum ſumma autoritate, quod carpere memini in Barneſio tract. de æquiuocat. cap. 23. num. 8. fuſiúſque redarguunt Naldus in ſumma v. *liber*, num. 1. & Sanchez l. 9. de Matr. diſp. 12. num. 5. meritóque id redarguunt, quia Eccleſia non plus tribuit ponderis locis quæ apud Gratianum leguntur, quàm ferat meritum eius à quo illa deprompſit Gratianus. Tamen quod Eccleſia, decretum à Gratiano compilatum corrigi, & emendatum edi curauerit, ac cum Pontificum reſcriptis & decretalibus iungi voluerit, tãquam penum Eccleſiaſticis pleriſque edictis, & conciliorũ ac Pontificum definitionibus probè inſtructam, paſſim fideles, Decretum quoque, tanquam iuris Eccleſiaſtici partem habent. Reuera autem ius ſacrũ, quod quidem ex ſe vim iuris habeat, ſolis Pontificum decretalibus, & Conciliorum oraculis continetur. At vſus receptus eum rigorem molliuit.

De excommunicationis atrocitate, Eccleſiaſtica oracula per Satyram.

2. In iure igitur Eccleſiaſtico ita latè ſumpto, ac prout Decretũ ac Decretales à Gregorio IX. & Bonifacio

facio VIII. cōgeſtas, poſteriorúmque Pōtificū reſcripta, Clementinis & extrauagantibus cōprehenſa cōplectitur, multa ſæpè occurrunt de grauitate excommunicationis, quámque ſit Chriſtiano formidandus eius incurſus. Videatur Gratianus 11. q. 3. *per totam*, & 24. q. 1. 2. 3. ſparſim. Item titulus de ſententia excommunicationis in 5. & 6. Decretalium, ac in Clementinis. Quæ & alia colligere, & huc conferre, ſupetuacaneæ ſit operæ. Permagni tamen refert attendere, quibus nominibus interdum ibi deſignetur excommunicatio. Interdum ergo dicitur *mucro Epiſcopalis*, cap. *viſis*. 16. q. 2. & cap. *quoniam in pleriſque*. de offic. ordinar. & cap. *dilecto*. de ſent. excommun. in 6. Aliàs vocatur *mors*, vt cap. *per venerabilem*. qui filij ſint legitimi. & cap. *Si quis venerit*. de maiorit. & obedien. Aliquando dicitur *pœna grauiſſima*. Sic cap. *ſacro*. de ſent. excommun. Nam ibi, ex eo quod tanta pœna inſonti inferatur, colligitur grauem omnino culpam admitti à ſic inferente. Alibi vocatur *pœna qua non ſit maior in Eccleſia*. Ita habetur cap. *corripiantur*. 24. q. 3. ibidémque additur *nihil eſſe tam formidandum, quam excommunicationem*.

Non habere ſe vltra quid faciat, agnoſcit Eccleſia.

3. Non placet, his & aliis quæ paſſim in citatis titulis & alibi in iure occurrunt, inſiſtere. Vnum tamen Cæleſtini tertij pronunciatum præterire non poſſum, quod in eo ſenſus Eccleſiæ de excommunicationis malignitate, ipſis Solis radiis ſcriptus videatur. Rogatus ergo Cæleſtinus, qua ratione plectendus eſſet Clericus criminoſus, reſpondet cap. *cum non*

ab

ab homine, de iudic. primùm Clericum criminoſum ritè conuictum, deponendum eſſe à Iudice Eccleſiaſtico. Quod ſi depoſitus fiat incorrigibilis, vult eum excommunicatione & anathemate percelli. Quod ſi in profundum malorum veniens, Eccleſiaſtica vincula contempſerit, & de intorta excommunicatione nõ curauerit, ait Cæleſtinus, *tunc Eccleſiam non habere vltra quid faciat*. Id eſt nihil in eũ durius ſtatuere poteſt Eccleſia, quantumuis ei ob ſcelus & contumaciam ſuccenſeat; ſed exhauſta pharetra non habet alia ſpicula acutiora quibus iram ſuam in noxium, & eius impietatem, teſtetur. Hoc verbum, me admiratione & propè ſtupore defixum tenet. An non enim ſuperſunt Eccleſiæ ſupplicia acerbiſſima, quę irrogare iuſtè poſſit, iis qui contumaciter hærent in atrocibus criminibus? Nonne ad temporarium aut perpetuum carcerem aliquos addicit? Ita planè habet cap. *excommunicamus*. 2. de hæret. & c. *quamuis*. de pœnitentia in 6. Nonne infligi verbera & plagas poteſt decernere, vt factum videmus cap. fin. diſt. 55. & cap. 1. *de calum.* Nunquid interdum ſeruituti mancipat impios? Patet ex cap. *cum multa*. 15. q. 8. & cap. *eos*. diſt. 32. Nonne S. Auguſtinus epiſt. 48. & 50. & 2. retract. c. 5. aliiſque locis quæ ſignat Torrenſis in Confeſſ. Aug. l. 1. c. 13. agnoſcit in Eccleſia poteſtatem hæreticos mulctandi ſupremo ſupplicio; id quod latè confirmant Roffenſ. artic. 33. Conradus Brunus l. 3. de hæret. cap. 3. Caſtro l. 2. de iuſta hæret. punit c. 3. & 4. ac 12. & 13. Couarr. 2. var. c. 10. Bellarm. l. de laicis c. 21. & 22. Coccius t. 1. lib. 7. artic. 23. Maucler de Monarchia p. 3. l. 3. c. 9. 10. & 11. Pamelius l. de diuerſis religionibus non admittendis, præſertim à c. 16. Malderus 2. 2. q. 11. artic. 3. membro

membro 1. Maldon. Matth. 13. n. 26. ad illud, *& fructum feciſſet*. Roſued. diſſert. de fide hæreticis ſeruanda c. 10. pag. 101. vbi plenè de conſtituto iam olim contumacibus hæreticis viuicomburio. Hæc ſi ita ſe habent, quomodo potuit affirmare Cæleſtinus, nihil durius Eccleſiæ ſupereſſe, quod decernere poſſit in eum quem excommunicatione perculerit? Neque hoc Cæleſtinus ex ſuo priuato ſenſu protulit, ſed vt publicus & authenticus interpres ſenſus Eccleſiæ. Nimirum agnoſcebat Cæleſtinus, excommunicationis nexus ad animam ipſam peruadere; nec vllas eſſe pœnas noſtrates, quæ cum excommunicatione, de acerbitate & damno poſſint contendere.

Vult excommunicationem eſſe remedium extremum.

4. Non eſt etiam tenue argumentum ſenſus Eccleſiæ de excommunicationis malignitate, quod vt inferiùs demonſtrabitur, multoties edixerit, ne ad excommunicationem veniatur, niſi in extrema veluti neceſſitate, cum cætera remedia viſa fuerint deſperanda. Item quod præcipites Præſules, & iniuſtè hunc gladium exſerentes, velit mulctari à ſuperioribus; *vt pœna decente, diſcant Iudices, quàm graue ſit, excommunicationum ſententias ſine maturitate debita fulminare.* Verba ſunt Innocentij IV. in Cōcilio Lugdunenſi, & refertur cap. *cum medicinalis*. de ſent. excommun. in 6. Nimirum cum excommunicatio ſit penetrabilior omni gladio ancipiti, & ad animæ quoque compages permeet, meritò indicitur, vt lentè, & cum debita attentione exeratur. Ad hæc, inde colligi poteſt Eccle-

ſiam

ſiam habere excommunicationem pro pœna grauiſſima,quod vt obſeruant graues DD. mentis Eccleſiæ non eſt,vt quiſquam habeatur excommunicatus, niſi in iure ſit ſufficienter expreſſum; vel per ſententiam clarè intimatum,vt qui hoc illúdve admiſerit,feriatur excommunicatione;adeò vt certò & perſpicuè conſtet, perſonam qua de agitur, eſſe excommunicatione irretitam. Alioqui enim non eſt mens Eccleſiæ, vt ea perſona cenſeatur incurriſſe tam grauem pœnam, quod rectè notauit Molina tract.3.de iuſt.diſp. 67.n. 7.qui addit, (id quod etiam latiſſimè verſat & minutiſſimè concidit Sanchez l.1.in decal.c.10.à n.50.) in dubio an actio quam quis elicuit, ſit illa ipſa quam Eccleſia interpoſito excommunicationis decreto vetuit, quamuis vt conſulatur ſaluti animæ,eligenda ſit pars tutior, debeátque qui ſic operatus eſt, ſe gerere pro excommunicato, tamen reipſa in foro externo, non poſſe verè pronunciari excommunicatum;vel ei pœnæ ſubiici aut inhabilitati, (v.g.irregularitatis)cui ſubiiciuntur qui contracta excommunicatione aliud aliquid operantur. Quæ omnia produnt ſenſum Eccleſiæ,de ſumma excommunicationis atrocitate, cui neminem vult ſubiicere, niſi de edicto tantam pœnam inferente, & in factum aliquod verè cadente, planè conſtet.

CAPVT XIV.

SS. Patrum de extimeſcenda excommunicatione teſtimonia.

1. QVOD à Leontio Byzantino l.1.contra Neſtorium & Eutycheté, in prœmio allegationis SS. Patrum, egregiè dictum eſt, nimirum SS.Patres eſſe *admirabiles Spiritus ſancti Conſiliarios*, & idcirco ſecundùm ſcripturas Canonicas permagni eſſe facienda eorum iudicia, habet hîc appoſitiſſimè locum. Nec minus commodè aptare huc liceat, illud Petri Damiani Opuſc. 16. c. 3.[Non mihi(excommunicationis horrorem incutere tentanti) Dialectica ſyllogiſmorum ſuorum circulos offerat; non Rhetorica lepidos delinificæ ſuadelæ colores infundat; non aliqua ſæcularis ſapientia, phalerata mihi ſuæ vrbanitatis lenocinia ſuggerat. Sola ſe, & nuda proferat auctoritas Patrum,in quorum pectore omnipotens Deus velut in tribunali ſolio præſidens, ſanctionis ſuæ voluit promulgare decretum; quatenus qui confligere nititur, non iam cauillantium verborum commentis, ſed ipſo potiùs veritatis oraculo ſuperari videatur, & vt omne tergiuerſationis vndique occludatur aufugium,ipſos contra ſe in mouendi lite ſentiat oratores, quos vniuerſus orbis habet & iudices.] Quare poſt diuina teſtimonia in rem noſtram, & ſuffragium Eccleſiæ quæ Dei ipſius cortyna eſt, de quibus hactenus; ad ea progredimur, quæ

inſpirante Spiritu ſancto locuti ſunt ſancti Dei homines.

2. Clemens Romanus 2. Conſtit. c.47. [Qui iuſtè à vobis punitus eſt, & excommunicatus, idem à vita immortali & gloria reiectus eſt, & apud iuſtos & pios homines inhonoratus, & inglorius, & apud eundem Deum damnatus.] Frequentiſſimè in eodem Opere, quantus eſſe fideli homini debeat, excommunicationis horror, vel inſinuatur, vel traditur.

S. Irenæus quantopere excommunicationem horruerit, quàm tardè ac lentè ad eam veniendum cenſuerit, teſtatum fecit ea poſtulatione, quam exhibuit Victori Papæ, excommunicationem Aſianis intentanti, quod cauſati vſum contrarium maiorum ſuorum, ipſiúſque etiam B. Ioannis Apoſtoli, obfirmarentur in ſententia de feſto Paſchatis celebrando Luna 14. in quemcumque tandem incideret diem: cum Victor Papa, & celeberrimi quique eo æuo Præſules, contrarium traderent, & diei Dominicæ, feſtum Paſchatis alligatum vellent. S. enim Irenæus, & permulti ea ætate Præſules, quamuis Victoris decretum per omnia probabant, tamen ſupplices illi facti ſunt, ad exorandam excommunicationis vel omiſſionem, vel comperendinationem; & vt Victorem flecterét, omni humilitate ac ſollicitudine ſunt conniſi. Nominatimque S. Irenæum id magnoperè ab eo flagitaſſe, tradit Euſebius 5. hiſtor. c. 24. *ad finem*. Imo Ruffini verſio, ſeu veriùs Euſebianæ hiſtoriæ interpolatio, habet S. Irenæum ea ex cauſa obiurgaſſe Victorem. Quod abhorrere à mente Euſebij, demonſtrauimus in SS. Lugdunenſium Indiculo, cum de S. Irenæo. Si tamen eam mentis ac textus Euſebij interpo-

lationem admitteremus, quam Nouatores, & nonnulli perſonati Catholici Pontificiæ maieſtatis hoſtes, ſummopere adamant, nihilominus haberemus quod hîc intendimus.: nempe S. Irenæum ſummopere exhorruiſſe excommunicationem, cùm etiam metu eius, genti ſuæ à Victore impendentis, referatur in ipſum Victorem excāduiſſe, iuxta eam Euſebij interpretationem. Non enim ob leue damnum genti ſuæ intentatum, Epiſcopus inter Celtas agens, Epiſcopo Epiſcoporum obſtrepere, vel etiam capitilauium adhibere, auſus fuiſſet.

3. Vrbanus I. in decretali Epiſtola num.4 ſic loquitur.[Sedes in Epiſcoporum Eccleſiis excelſæ conſtitutæ & præparatæ inueniuntur, vt thronus ſpeculationem, & poteſtatem iudicandi & ſoluendi, atque ligandi, à Domino ſibi datam materiam doceat. Vnde ipſe Saluator in Euangelio ait, *quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Et alibi. *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ideò iſta prætulimus cariſſimi, vt intelligatis poteſtatem Epiſcoporum veſtrorum, in eiſque Deum veneremini, & eos vt animas veſtras diligatis, & quibus illi nō communicant, non communicetis; & quod eiecerint, non recipiatis. Valde enim timenda eſt ſententia Epiſcopi, licèt iniuſtè liget aliquem. Quod tamen ſummopere prouidere debet.]

Euſebius apud Damaſcenum 3.Parall.c.45.[Ei qui Chriſti gregem in fidem ſuſcepit, danda opera eſt, vt lenem ſe præbeat, ac diligenter & ſtudiosè primùm inquirat: ac ſi quem peccaſſe compererit, non confeſtim eum ab Eccleſia expellat: ne arreptum eū Dia-

bolus ſibi aſciſcat. Nam cum quiſpiam ab Eccleſia eiicitur, ſtatim eum Satanas aſſumit, nec priùs ab eo abſcedit, quam presbyter eum ſuſceperit. Cum enim à Chriſtianorum finibus homo proſcriptus & exterminatus eſt, quamdiu ſeiunctus manet, tamdiu in Gentilium albo cenſetur. Quocirca priuatim eum nactus, increpa, obſecra, admone, non ſemel dum taxat, ſed iterum ac tertiò.]

4. *Os Chriſti Eccleſiæ columna, Magnus Pater,* (ita S. Baſilium nominat Heſychius centur. 1. cap. 65.) agens de Lyſiæ Præſide ob impietatem excommunicato, ſic habet epiſt. 47. [Illum quidem flagella manēt apud iuſtum iudicem, ad eandem menſuram commenſurata, iuxta quam ipſe iam antea ſanctos ipſius adfligere præſumpſit. Innotuit autem & Eccleſiæ noſtræ ex literis pietatis tuæ, atque auerſandum & execrabilem illum arbitrabuntur omnes, ita vt nec ignis, nec aquæ, nec tecti communionem cum illo ſint habituri.] Et mox. [Quod ſi verò non ſtatim illum iſtæ reprehenſiones, quemadmodum & Pharaonem permouebunt, attamen poſtremum, aliquando & grauem illi ac triſtem retributionem afferet.] Hoc eſt ſententia excommunicationis quam euulgandam variis locis, dixerat poſtremo loco.

5. Gregorius Nyſſenus, Baſilij ſanctitate ac eruditione, æquè ac carne germanus, orat. in ægrè ferentes reprehenſiones *ſub medium*, egregiè planè in hanc rem diſſerit, his præter cætera. [Nihil falſi, aut mendacij ſcriptum eſt in Euangeliis: neque Chriſti prædictio, aberrantem & incertum habet euentum. Per Petrum dedit Epiſcopis claues bonorum cœleſtium. Agnoſce quod ſi ſolutus fueris, es ſolutus: & ligatus,

 conſtrin

conſtringeris vinculis,quæ non cadunt ſub aſpectum. Si haberes oculos apud animæ eſſentiam,oſtendiſſem tibi ſegregato figuram & habitum condemnati,cuius collum premitur grauiſſimis vinculis, & nullum habet membrum liberum,aut ſolutum. Et vtinam intra huius vitæ terminos, circumſcriberetur ſupplicium. Nunc autem ſi quid humanitùs contigerit, & mors repente,tanquam fur nocte, aduenerit, ſcias tibi eſſe clauſa quæ illic ſunt. Sunt diligentes & non ludentes ianitores regni. Vident animam ferentem ſigna ſegregationis, non ſecus atque quempiam qui ſordida & implexa coma, arguit carcerem. Eam itaque eiiciunt à via quæ tendit ad ea quæ ſunt bona & pulchra:nec concedent vt videat ordines iuſtorum, & Angelicam lætitiam. Miſera autem tunc ſæpè conquerens de ſuo malo conſilio,flenſque,lugens,& eiulans, perpetuò erit in tetro aliquo & mœſto loco abiecta, tanquam in angulo, qui nunquam deſinet, & nullam admittet conſolationem, luctam extendens in æternum. *Nolite*, inquit, *eſſe ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. In camo & fræno maxillas eorum conſtringes.*] Non eſt ſenſus Nyſſeni, notas excommunicationis inuſtas phyſicè hærere in anima, eſſeque veluti characterem in baptiſmo & aliis quibuſdam Sacramentis impreſſum, per quem dignoſcatur qui excommunicatione ictus fuit. Id enim falſum eſſe, per ſe liquet. *Signa* ergo *ſegregationis* animam non exſolutam afficientia, intelligit effectus excommunicationis, eámque nuditatem ſpiritualem quam inferunt tot priuationes, è quibus excommunicatio integratur.

S. Ambroſius in Pſal. 40. tractans locum ex Lucæ

20. [*Omnis*(inquit) *qui ſuper hunc lapidem ceciderit, conquaſſabitur: ſupra quem ceciderit autem, emundabit eum.* Alij habent, *ventilabit eum.* Alij, *comminuet.* Qui enim ventilat frugem, mundat à paleis: qui comminuit aliquid, in puluerem redigit, vt mollitia pulueris, vel poculo ſalubri, vel reliquo medicinæ vſui, ſine vlla perturbatione proficiat. Vnde colligimus, cauendum, ne quis ſemel per baptiſmum ſuſceptus à Chriſto, ex eius decidat corpore, hoc eſt excutiatur ab Eccleſia ipſa. Eſt enim mortis ruina perpetuæ.]

6. S. Ioannes Chryſoſtomus homil. 4. in ad Hebræos, agens contra præficas, & eas in mortuorum funere adhibentibus excommunicationem intentans, ſic confirmat excommunicationem eſſe admodùm pauendam prolatis Chriſti verbis Matth. 10. & 18. [Ignoſcite & nemo vincula contemnat Eccleſiaſtica. Non eſt enim homo qui ligat, ſed Chriſtus, qui nobis dedit hanc ligandi poteſtatem, & efficit vt homines in ſua poteſtate habeant tantum honorem. Nam nos quidem vti volumus poteſtate ad ſoluendum. Imò verò vellemus, nec hoc quidem nobis eſſe neceſſe. Nullum enim volumus eſſe apud nos vinctum. Non adeò ſumus infelices & miſeri, etiamſi ſumus planè nihili; ſed ſi neceſſe habuerimus, ignoſcite. Non enim lubentes nec volentes, ſed magis quàm vos vincti dolentes, vincula iniicimus. Si quis autem ea contemnat, adueniet tẽpus iudicij quod ipſum doceat. Quod reſtat, nolo dicere, ne veſtram mentem feriam. Nam nos quidem primùm non optamus, vt neceſſe habeamus: ſed ſi neceſſe fuerit, noſtrum munus implemus, vincula iniicimus. Si quis autem ea perfregerit, ego quod meum eſt feci, & ſum de cætero nulli cul-

pæ affinis. De eo autem erit tibi diſceptandum., cum eo qui mihi iuſſit ligare. Namque ſi Rege præſidente,ex adſtantibus ſatellitibus iuſſus ſit quiſpiam vincire aliquem ex cohorte,& ei vincula iniicere,ille autem non ſolùm eum repulerit,ſed etiam vincula contriuerit , éſtne ſatelles qui affectus eſt contumelia, non autem multo magis Rex qui iuſſit?]

Idem homil.4.in epiſtol. ad Rom. excommunicationem ait eſſe inter Chriſtianos loco lapidationis, vſtionis , truncationis membrorum, quæ vſurpabantur in lege veteri. Rurſus homil.5.in 2.ad Theſſalon. in morali , præfatus quanta gratia ſit frui protectione diuina in Eccleſia , ſubdit. [Ne ergo gratiam abigamus , *Subducite vos* (inquit) *ab omni fratre inordinatè ambulante.* Hoc tunc magnum erat , à pleno cœtu fratrum eſſe auulſos. Hoc quidem certè,pœnas ſumit de omnibus.Sicut etiam alibi ad Corinthios ſcribens dicebat, *Cum huiuſmodi,ne conueſci quidem iubet.* Sed non hoc magnum nunc plerique exiſtimant:ſed ſunt omnia confuſa & corrupta,cum adulteris , cum ſcortatoribus,cum auaris temerè & ſine diſcrimine commiſcemur. Si ab eo qui otiosè alebatur ſe ſubducere oportebat,quanto magis ab aliis?Et vt diſcas quàm ſit terribile,ſeparari à conuentu fratrũ,& quantũ lucrum afferat iis qui benignè & beneuolè ſuſcipiũt reprehẽſionẽ,audi quomodo ille qui peccato erat inflatus,qui ad extremũ vitiũ erat prouectus,qui talẽ admiſit fornicationẽ,qualis nec inter gentes nominatur,qui vulnus ſuum non ſentiebat,hæc enim eſt ſumma peruerſitas,iſte,inquam,qui talis erat,ita fuit inflexus, reductus,& compoſitus, vt diceret Paulus, *Sufficit illi qui eſt eiuſmodi, increpatio hæc quæ fit à pluribus : quamob-*

rem

rem confirmate in ipſum, charitatem. Tunc enim ita erat, vt membrum à reliquo corpore auulſum. Cauſa autem, & vndenam erat hoc tunc terribile? Quoniam eſſe cum eis tunc magnum bonum exiſtimabatur. Quomodo enim qui vnam domum habitant, & ſunt in vnius patris poteſtate, & vnius menſæ ſunt participes, ita tunc habitabant in vnaquaque Eccleſia. A tanta ergo excidiſſe charitate, quantum erat malum? Nunc autem nihil videtur eſſe magnum, propterea quod nec magnum quidpiam eſſe exiſtimatur, quando ſimul inter nos fuerimus coniuncti, ſicut tunc erat inſtar ſupplicij: hoc auté vſuuenit, propterea quod valde refrixerit charitas: & hoc nũc fit abſque ſupplicio, & temerè alter ab altero ſeparatur, ídque præ algore charitatis Malorũ enim omniũ cauſa eſt, quod non ſit charitas. Hoc omnia Eccleſię bona, honeſta ac præclara, propter quę exultare oporteret, deſtruxit & deleuit.

7. Tandem l. de S. Babyla, poſt fusè deſcriptam Imperatoris excommunicationem per S. Babylam, ſic concludit. [Babylas iniurium Imperatorem, quatenus Sacerdoti fas eſt, puniuit; principum altos ſpiritus compreſſit, diuinis legibus dum violarentur, opem tulit; ſupplicium pro iniuſtè occiſo exegit, ſuppliciorum omnium grauiſſimum, iis quidem certè qui mente ſana ſunt. Meminiſtis quidem omnino, quum de cæde ipſa verba facerem, quemadmodum veſtrûm qui audiebatis vnuſquiſque, intra ſe afficeretur, atque inflammaretur, percuſſorémque ipſum in manum capere deſideraret, neque non precaretur alicũde apparere, qui cædem vlciſceretur. Hoc ipſum igitur Beatus ille præſtitit; pœnam enim ſumpſit, tũ ſe dignam, tum idoneam quæ illũ conuerteret, ſi modò ſtupidus

admodum non fuiſſet:nequaquam poſtulando, ne ſibi ad ſolis radios caleſcenti abſcederet Rex, neu à ſole obſtaret, quin potiùs impudenter in templi ſepta ingredientem,atque omnia confundentem, quaſi canem quendam, aut ſeruum improbum, à Domini ſui aula excludendo.] En quomodo omnium grauiſſimum ſupplicium pronunciat excommunicationem.

7. S.Hieronymus epiſtol. 1. quæ eſt ad Heliodorum num.30.[Abſit vt de his quidquam ſiniſtrum loquar,qui Apoſtolico gradui ſuccedentes,Chriſti corpus ſacro ore conficiunt. Per quos & nos Chriſtiani ſumus;qui claues regni cælorum habentes, quodammodo ante iudicij diem iudicant;qui ſponſam Domini ſobria caſtitate conſeruant]&c.[Mihi ante Presbyterum,ſedere non licet:illi,ſi peccauero, licet tradere me Satanæ in interitũ carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini IESV. Et in veteri quidem lege, quicunque Sacerdotibus non obtemperaſſet,aut extra caſtra poſitus,lapidabatur à populo, aut gladio ceruice ſubiecta,contemptum expiabat cruore. Nunc verò inobediens ſpirituali mucrone truncatur ; aut eiectus de Eccleſia, rabido dæmonum ore diſcerpitur.] Presbyterum pro frequenti apud Hieronymum vſu, intelligere hoc loco oportet Epiſcopum,quod multis è Hieronymo aduocatis locis confirmat Franciſcus à Meſſana in explicatione difficilium Hieronymi locorum, v. *Epiſcopus*, pericope 1. poſt D. Thomam opuſc. 18. c.23.Penes Epiſcopos enim eſt ius gladij Eccleſiaſtici exſerendi,nec id aliis niſi ex Epiſcoporum conceſſione tribuitur. Euincitur autem ex propoſito S.Hieronymi loco quàm hallucinentur, qui cenſent de S.
Hiero

Hieronymi ſententia, excommunicationem non eſſe ſententiam pro poteſtate latam, ſed meram declarationem ſtatus in quo peccator verſatur poſt patratum ſcelus, quod abeſſe à Hieronymi mente hic locus docet, & fusè proſequuntur idem à Meſſana v. *Sacerdos*, & Veloſillus in aduertentiis ad Tomum 6. quæſito 4. Cæterùm in Epiſtola Anterí Papæ, verbatim leguntur, quæ de excommunicationis malignitate, ex Hieronymo retulimus poſtremo loco.

8. S. Auguſtinus l. 1. contra aduerſ. legis & Prophet. c. 17. [Ignoſcendi miſericors manſuetudo, propter quam dictum eſt nõ ſolum ſepties, verùm etiam ſeptuagiesſepties fratri remittendã eſſe peccata, non ad hoc valet, vt ſit iniquitas impunita, aut torpens, & dormiens diſciplina, quod potius obſit, quam diligẽs, vigilánſque vindicta. Claues quippe regni cœlorum, ſic dedit Chriſtus Eccleſię, vt nõ ſolùm diceret, *Quæ ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Vbi apertiſſimè bonum, non malum pro malo reddit Eccleſia: verùm, & adiungeret, *Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata & in cœlo*, quia bona eſt & vindicandi iuſtitia: illud enim quod ait, *ſi nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & publicanus:* grauius eſt, quam ſi gladio feriretur, ſi flammis abſumeretur, ſi feris ſubrigeretur. Nam ibi quoque ſubiunxit: *Amen dico vobis, quæ ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis,* vt intelligeretur quanto grauius ſit punitus, qui velut relictus eſt impunitus.]

Et ſermone 20. ex 40. nouis. [Quod eſt ſpiritus noſter, id eſt anima noſtra ad membra noſtra; hoc eſt Spiritus ſanctus ad membra Chriſti, ad corpus Chriſti quod eſt Eccleſia. Ideò Apoſtolus cùm corpus vnum nomi

nominaſſet, ne intelligeremus mortuum corpus, vnum inquit corpus. Sed rogo te, viuit hoc corpus? Viuit. Vnde? De vno ſpiritu. Attendite ergo fratres in noſtro corpore,& dolete eos qui de Eccleſia pręciduntur in membris noſtris. Quãdiu viuimus, cum ſani ſumus, implét omnia membra officia ſua. Si vnum membrum dolet alicũde, compatiuntur omnia membra. Tamen quia in corpore eſt, dolere poteſt, expirare non poteſt. Quid eſt enim expirare, niſi ſpiritum amittere? Iam verò ſi membrum præcidatur de corpore, nunquid ſequitur ſpiritus? & tamen membrum agnoſcitur. Quid eſt? digitus eſt, manus eſt, brachium eſt, auris eſt. Præter corpus, habet formam, ſed non habet vitam. Sic & homo ab Eccleſia ſeparatus. Quęris ab illo ſacramentum, inuenis; quæris baptiſmum, inuenis; quæris ſymbolum, inuenis. Forma es, quiſquis es; niſi intus ſpiritu vegeteris, fruſtra foris de forma gloriaris] Hunc & ſimilia S. Auguſtini loca, ad excommunicatos pertinere, agnoſcit S. Gregorius ad Pſalmum 4. pœnitentialem, circa verſum 1.

9. Leo Magnus epiſtol. 89. c. 7. *ad finem*, caſtigans eos, qui pro rebus nihili, pręcipites infligebãt excommunicationem, expoſtulat, [animam pro qua Chriſtus mortuus eſt, irrogatione tam ſæui ſupplicij ſauciatam, & inermem quodammodò exutámque omni munimine, diabolicis incurſibus, vt facilè caperetur, obiectam.]

S. Fauſtus ex Lerinenſi Abbate Epiſcopus Rhegienſis, ea homilia quam adhuc Abbas ad Monachos habuit, (eſt tertia inter homilias Euſebij Gallicani, ſiue Eucherij ad Monachos,) ſic pronunciat de atrocitate excommunicationis. [Illis ipſis qui grauiùs apud

nos

nos delinquunt, nullam triſtiorem, nullam acerbiorem poſſumus inuenire ſententiam, quàm vt à corpore congregationis abſciſſi, ſine pace diſcedant.]

10. S. Ioannes Eleemoſynarius Patriarcha Alexandrinus, vt eius Acta habent, duos Clericos qui ſe inuicem percuſſerant, excommunicauit. Eorum vnus, munere Lector, non illibenter occaſione vſus, ne cogeretur Eccleſiæ miniſtrare, perſtitit in excommunicatione. Miſeratus infœliciſſimam miſeri ſortem S. Antiſtes, inflexit animum ſuum: & ex altari ad quod ſolemniter ſacro operaturus peruenerat, ſpecie neceſſitatis corporeæ digrediens, reum illum per viginti hebdomadarios conquiſitum, vbi ad eum eſt adductus, inſigni humilitate flexit, & ad agnoſcendam ſtatus ſui miſeriam, ac excommunicationis exſolutionem accipiendam, diſpoſuit. Ille veritus ſi perſtaret in ſententia, demittendum è cœlo fulmen in caput ſuum, acquieuit, & ab excommunicatione ſolutus, ſanctè vitam deinceps egit, promotus poſtea in Presbyterum.

Ex Antiocho homil. 122. inſignem in hanc rem locum, dabo inferiùs, agens de lenta & non præcipiti excommunicationis vibratione.

11. Nicolaus I. Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem anathemata Romana deſpuentem, (eſt nona inter eius epiſtolas) ſic ſcribit allegato S. Gregorio. [Anathematis obligaméta quibus perſecutores Ignatij comminiſtri noſtri, (Photium videlicet) qui poſt depoſitionem minùs multa de miniſterio ſacro contingere iuxta præcedentem conſuetudinem auſus eſt, & fautores eius regulariter irretiuit contemnis, & quaſi minùs Chriſtianus temerè paruipendis. Quod

quantum

quantum ſit à pio intellectu remouendum, & à fidelium cordibus execrandum, eximius Præſul noſtræ ſedis moribus,& nomine Gregorius oſtendit,cum de hoc ſcriberet dicens. Si ſunt qui certiſſimè talia ſentiunt, vel tenent, quia Chriſtiani non ſunt, dubium non eſt, eoſque & ego,& omnes Catholici Epiſcopi, atque vniuerſa Eccleſia anathematizamus, quia veritati contraria ſentiunt,cõtraria loquuntur.] Et rurſus: [Ipſi(inquit)ſibi teſtes ſunt,quia Chriſtiani non ſunt, quia ligamenta ſanctæ Eccleſiæ vaniſſimè æſtimant conatibus ſoluere, & per hoc nec abſolutionem ſanctæ Eccleſiæ quam præſtat fidelibus, veram putant, ſi ligaturas eius valere non æſtimant. Contra quos diutiùs diſputandum non eſt,quia deſpiciendi per omnia, & anathematizandi ſunt,vt vnde veritatem fallere ſe credunt,inde in peccatis ſuis veraciter ligentur.] Locus S.Gregorij quem adducit, petitus eſt ex l.9. regiſtri epiſtol.49.

11. S.Bernardus tract.de gradibus humilitatis *in fine*.[Abſit à nobis(inquit agens de huiuſmodi hominibus) vt etiam pro talibus etſi palam non præſumimus, vel in cordibus noſtris orare ceſſemus, cum Paulus eos quoque lugeret, quos ſine pœnitentia mortuos ſciret. Etſi enim à communibus orationibus ipſi ſe excludunt, ſed ab affectibus omnino non poſſunt. Viderint tamen in quanto periculo ſunt,pro quibus Eccleſia palam orare non audet, quæ fidenter etiam pro Iudæis,pro hæreticis, pro Gentilibus,orat. Cum enim in paraſceue nominatim oretur pro quibuſlibet malis, nulla tamen fit mentio de excommunicatis.]

Hæc in rem noſtram, (vt Cæſarij verba dialog. 1.

vſurpem) [clarorum beatorúmque Patrum prata peragrans, de illorum roſeto collegi. Quorum roſæ, aqua è latere Dei ac Verbi qui carnem aſſumpſit manante, rigantur; & à iugi ſanguinis indidem orti riuo, rubro colore tinguntur, totúmque mundum ſuaui odoris fragrantia replent. Qui & ſplendore ſuo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ ſermonem continent. Quorum ellychnium nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non abſumitur, & lampas non quaſſatur; & flamma non extinguitur. Nam crucem geſtant pro virga, Euangelia pro pera, charitatem pro pedo ac fiſtula, quibus omnibus Chriſti gregem rationis participem paſcunt.]

CAPVT XV.

De Excommunicationis virulentia, Iuriſperitorum & Theologorum iudicium.

1. SECVNDVM SS. Patres, magnæ apud fideles autoritatis eſt ſenſus Doctorum, ad quem proinde veniendum eſt. Non ſunt autem alij in hoc negotio Doctores exquirendi, quàm qui tractant ſacros Canones, aut Theologiam: quod vtrique, ex diuerſis licet principiis, de excommunicatione diſſerant, cęteri non item. Nam quæ interdum Iuris Ciuilis Doctores de excommunicatione tradunt, non quatenus Iuris Ciuilis profeſſores proponunt, ſed quatenus iidem iuris vtriuſque peritiam profitentes, in argumento Iuris Ciuilis proprio verſantes, excur-

xunt

runt per occaſionem ad materiam alterius ſubſellij. Etſi verò parum refert, Theologíne,an Iuriſperiti referantur priore loco : nec in controuerſia de præcellentia Doctorum Iuris Pontificij ac Theologorum, velim alterutri parti præiudicare ; tamen Iuriſperitos referam priore loco , ſaluis ſemper Theologorum iuribus , quibus nihil idcirco deceſſurum per hanc collocationem , inde monſtrari poteſt cum Philone in Coſmopœia,quod aurigarũ ſedes ſit poſtrema ; & rector nauis qui in poſterioribus ac extremis partibus locatur ; anteriora occupantibus , non concedat de præſtantia:quippe cuius in manu,(inquit Philo)nauis ipſius ſarcinarúmque ſalus ſit poſita.

Excutitur dictum quorundam Iuriſp. quod excommunicatio non ſit pœna.

2. Facto igitur à Iuriſperitis initio, fuerunt inter eos nonnulli , qui minùs ſeruiſſe videantur ingenerando excommunicationis horrori , cum negent excommunicationem pœnam eſſe,eo quod ſit medicina.Ita refert Gerſo lect.4. de vita ſpirit. corol.12. *initio*,qui addit.[At verò ſi excommunicatio non eſt pœna , quid aliud pœnam appellabimus ? Neſcio verè. Non ſolùm pœna eſt, ſed damnoſiſſima pœna.] Subdit quàm inanis ſit ratio , qua Iuriſtæ ad id affirmandum ſunt adducti. Non enim vis medica tollit excommunicationi rationem pœnæ.Omnis quippe pœna, ſaltem quæ non exterminat noxium, habet rationem medicinæ, vt Gerſo ibi benè admonet,& Simancas in Cathol.inſtit.titulo 27.num.3. Platonem & S. Chryſoſtomum in eam rem iam protulimus cap. 5.

Quare

Quare meritò Panormit. cum aliàs, ob rationem prædictam, negaſſet excommunicationem eſſe pœnam, contrarium poſtea docuit, nec vno in loco, vt obſeruat Sayrus l.4.theſau.c.17.num.16. Alij Iuriſtæ idcirco negarunt excommunicationem eſſe pœnam, quod liberum ſit homini, reſipiſcendo & ſatisfaciendo, curare vt expediatur ab eius nexibus. Ita additio ad ſingul. 130. Matheſilani num. 16. Sed neque hæc ratio eſt idonea. Non enim ſi quis trudatur in carcerem, ob moram culpabilem in diſſoluendo debito quod potuit potéſtque diſſoluere, negare reuera licebit, carcerem illi pœnã eſſe. Quare ratum eſto, excommunicationem verè eſſe pœnam, & quidẽ damnoſiſſimam, quod paſſim agnoſcunt Iuriſperiti, demptis illis perpaucis, fortaſſis non niſi de vocabulo litigantibus, quos memoraui. Optimè id tradit Gulielm. Benedictus repet. ad cap. *Raynutius.* de Teſtam. §. *mortuo teſtatore*, num. 281. & ſeqq. Multi in hanc rem fuſi ſunt, ad titulum de ſent. excommun. & variis locis quæ ſignauit Chaſſanæus conſil. 1. argumẽto 2. pro parte negatiua num. 17. Videndus item Couarr. in cap. *alma mater.* p. 1. *in initio*, num. 9. Ac nẽ infiniti eſſe cogamur, pauca quæ nonnulli ex Iuris Doctoribus, luculentiùs feréque extra locum dixerint, libaſſe contenti, plura coaceruare conſulto abſtinebimus. Conſtipauit varia in hoc genere ex variis, Petrus Lenauderius tract. de Doctoribus, p. 1. q. 18. cum quærit, an Doctoratus titulus, poſſit excommunicato conferri. Reſpondet enim cum Bartolo in 1. Conſt. Cod. non poſſe, idque negat debere mirum videri, cum apud Doctores Iuris, tantopere ſordeat ac fœteat excommunicatio.

Contrarium ex pluribus Iuris DD. aſtruitur.

3. In primis ergo, excommunicatus apud Iuriſperitos habetur infamis, vt videre licet in Gloſſa ad cap. *infam.* 6. q. 1. & ad l. 1. quo temp. mil. inueſt. pet. deb. Idem diſertè habet Baldus, quē allegat & ſequitur Ludou. Rom. ſingul. 682. Nec vacillat, aut ſe ex parte retractat ſingul. 689. cum ait excommunicatum ex cauſa famoſa, infamem eſſe, id quod etiam habent Innocentius & Archidiaconus, quos ibi adducit Romanus. Verùm ipſemet ibidem, explicat ſe nomine *cauſæ famoſæ*, intelligere omnem iuſtam cauſam veræ excommunicationis. Atque adeò hoc dictum in ſpeciem reſtrictum, non aliud fert, quàm quod priùs illimitatè & vniuerſaliter dixerat.

Adhæc, excommunicatus apud Iuriſtas, confertur hæretico. Ita Gloſſa ad c. fin. de pœn. & Panorm. in c. 2. de Iudic. Æquiparatur etiam infideli, iuxta Baldum addit. ad ſpeculat. tit. de ſponſ. Interdum vocatur membrum Diaboli. Sic Gloſſa cap. *dilectis.* de appell. & in cap. *audi denique.* 11. q. 3. Eodem pertinet, quod Gloſſa, Hoſtienſ. ac Panorm. in cap. *ita quorundam.* de Iudæis, aiunt diabolum eſſe ſicut agaſonem excommunicati: nec aliter eum circumagere, quàm ruſticus circumagat iumentum ſuum. Idem Panorm. in rubr. de ſent. excommun. num. 4. pro comperto ſtatuit, Diabolum poſt excommunicationem longè plus poſſe in excommunicatum, quàm poſſet ante excommunicationem: citàtque textum cum gloſſa cap. *audi.* 11. q. 3. Ibi enim gloſſa, adhibet eam comparationem de pecore aut iumento Satanæ. Iuuàtque etiam ad eam

mentem

mentem cap. *miramur*. §. his autoritatibus. *in fine*. 24. q. 1. Exiſtimarim eodem pertinere, quod dixerunt Paulus de Caſtro & Iaſon ad l. *ſi quis id quod*. ff. de iuriſ. om. iud. nimirum excommunicatum ritè conferri cum aue, quæ fœdè lacerata ſit vnguibus accipitris, aut etiam quæ à valentiore hoſte peius ſit deformata. Hæc enim non poſſunt accipi ſecundùm corticem verborum, ac proinde accipienda ſunt de accipitre Tartareo, & mala beſtia myſtica.

4. Vulgatiſſima eſt in Iuriſtarum ſcriptis, comparatio excommunicati cum mortuo. Adhibuit eam Innoc. in c. *graue*. de ſent. excommun. & ſubſcribunt communiter DD. ad cap. *per venerabilem*. qui filij ſint legitimi, quo capite excommunicatio dicitur *mors*. Inde verò infert Simon Maiolus l. 3. de irregul. cap. 21. num. 23. ſi canones pro aliquo delicto intentent excommunicationem, principem pro eadem iniquitate poſſe intentare mortem corporis. Quod iis quidem non probabitur, qui pro exigua ſumma excommunicationem decernunt. Accommodandum verò eſt eo modo quo fecit Chaſſanæus conſilio 1. argumento 2. pro parte negat. num. 17. nimirum quod (vt ille ait,) vbi de Iure Ciuili pro delicto quopiam imponitur pœna mortis, de Iure Canonico imponatur excommunicatio & anathematizatio. Ita Abbas cap. *per venerabilem*. quod filij ſint legit. notab. vlt. & in cap. 2. de maiorit. & obedient. & in cap. 1. de furtis, *in fine*, ruſúſque in cap. 1. de homicid. item *in fine*. Hanc excommunicati & mortui comparationem, ex Iuriſperitorum præcipuis illuſtrat Guliel. Benedictus repetit. ad cap. *Raynutius*, de Teſtam. §. *mortuo itaque Teſtatore*, num. 277. & 278.

5. A collatione excommunicati cum naturaliter mortuo, venio ad aliam collationem excommunicati cum mortuo ciuiliter, quam ineunt nonnulli Iuriſperiti. Sic enim nonnulli excommunicatum componunt cum deportato, quod erat genus exilij funeſtiſſimum, eique pœnæ ſuffectum, qua olim crimnoſiſſimis interdicebatur aqua & igni, vt habetur ex Vlpiano l. 1. ff. *de pœnis*, & l. 3. ff. *ad l. Iuliam peculat.* & ex Nouella de nupt. §. *deportatio tamen.* Cum deportato igitur, excommunicatum confert Gloſſa §. 1. verb. *interdictum.* Inſtit. quibus modis ius pat. pot. ſolu. Idémque voluiſſe videntur, quotquot excommunicationem contulerunt cum eo cui ſit aqua & igni interdictum, quos infra allegabimus tractantes Ethnicas adumbrationes excommunicationis Chriſtianæ. Nonnullos ea collatione vſos refert Ripa ad l. *ſi conſtante.* ff. ſoluto matrim. num. 44. & Chaſſanæus conſilio 1. argumento 2. pro parte negat. num. 17. Et quanquam huic comparationi obiiciuntur aliqua, nobis tamen in præſentia ſufficit, quod ob nonnullam inter deportatos & excommunicatos proportionem, viſum ſit grauibus autoribus, non malè vtroſque componi. Aptiorem eſſe excommunicati comparationem cum relegato, docet ibid. Chaſſanæus poſt Gloſſam in cap. *paſtoralis*, de appellat. & aliam gloſſam ad l. *eius qui.* §. 1. ff. de teſt. vbi tamen deprauati quidam Gloſſæ Codices, legunt, *exhæredatio* pro *excommunicatio.*

Nolo vlteriùs in iuriſperitorum ſenſu quoad hoc negotium proponendo, hærere. Videntur enim quæ dixi ad horrificam excommunicationis faciem exhibendam ſufficere. Qui plura volet, adeat Cardinalem cap. *nihil.* 11. q. 3. vbi ex mente Iuriſperitorum 14. malignitates

lignitates excommunicationis enumerat, quas Bernardinus de Buſtis, & ipſe pro Eccleſiaſte Iuriſperitus non contemnendus, p. 2. Roſarij ſerm. 37. diffudit in ſex ſupra viginti. At Rebuffus ad Concordata Galliæ tit. de excommunic. duas ſupra ſexaginta numerauit.

Similis ſenſus Theologorum.

6. Iam apud Theologos, quanta ſit excommunicationis virulentia, legere licet in 4. d. 18. aut aliquot ſequentibus, vel iuſtis tractationibus de excommunicatione. Immenſum profectò fuerit, quæ ab eis in hanc rem ſunt conſcripta, colligere, & hîc adſcribere. Nemine quippe; planè inquam nemine diſſentiente, deterrimum ſtatum in quem excommunicatio hominem coniicit, paſſim celebrãt. Et ſicut exactiùs quàm Iuriſperiti res excutiunt, ita vix eſt inuentus inter eos, qui errore illo implicaretur, quo nonnulli Iuriſperiti laborauerunt: nimirum quod excommunicatio ſit externa duntaxat pœna. Omnes enim Theologi, excommunicationem pœnam eſſe non merè externam, ſed ad animam vſque pertingere confirmarunt. Quia verò munus Theologorum eſt, fidei dogmata aduerſus hæreticos propugnare, & offucias ab eis immiſſas diſpellere; idcircò cùm Lutherus, dóque eius popina nõnulli, excommunicationẽ Chriſtianam ad inane terriculamentum, & minarum oſtentationem damnis vacuam reuocare tentarent, inſurrexerunt magnis animis Theologi, vindices huius Eccleſiaſtici gladij, & quàm formidanda & expaueſcenda eſſent vulnera quæ infert, ſolidè & eruditè demonſtrarunt.

Itaque inferendam Soli ipſi lucem ſuſcipit, quiſquis quod per ſe eſt euidentiſſimũ, colluſtrare in animum inducit, nempe quod de Theologorum ſententia, excommunicatio malignum quid ſit ac virulentum. Adſcriptioṇe verò ſingularium teſtimoniorum è Theologis petitorum, conſulto abſtineo, quod eorum vel delibatio, in immenſum eſſet excretura.

7. Communiter porrò & Iuriſperitorum & Theologorum vnanimem ſenſum de excommunicationis iuſto horrore & malignitate, illud aperit, quod vtrique magno conſenſu affirmant, excommunicationem iniuſtam cum facilè depelli non poteſt, ſi intentetur, cenſeri incutere grauẽ metum, cadentem in conſtantem virum, vt poſt agitatam vtrinque difficultatem, concludit Ludou. Rom. conſilio 369. num. 10. & Gigas quæſt. 36. de penſion. ſuffragantúrque permulti, quos appendit & ſequitur Sanchez l. 4. de Matrimon, diſp. 5. à n. 17. & alij quos item adducit ac ſequitur Caſtro Palaü Operis moralis tract. 2. diſp. 1. p. 7. num. 4.

CAPVT XVI.

Exempla Summatum, quibus excommunicatio, horribilis & valdè extimeſcenda viſa eſt.

1. SVFFRAGIO ſapientum hactenus enumeratorum, adiungo ſenſum alterius generis ſapientum, hoc eſt Summatum ſeculi, quod eorum autoritas in omnem partem momenti plurimum

plurimum habeat: & exiſtimandum ſit, cum & ipſi copioſo cœleſti lumine perfundantur,& eorum conſilio abundent qui ſapientia valent plurimum, nihil illis tantoperè formidandum videri potuiſſe, niſi quod reuera iuſtè timorem faceret, eſſetque ſine dubitatione,metus ac horroris idonea materia.

Philippus, inter Chriſtianos primus Romanorum Imperator, ob vitam ea fide quam profitebatur indignam,à S. Fabiano Papa excommunicatus, & humilitatis Chriſtianæ ſpecimen inſigne præbuit,& quantoperè excommunicationem extimeſceret, demonſtrauit: factus per omnia dicto audiens,vt relaxationem iniectorum vinculorum exoraret. Rem geſtam, præter cæteros poſteriores, deſcribit in hunc modum Euſebius l.6. hiſtor. c.27. [Vbi Gordianus ſex annos Romanum gubernaſſet Imperium, Philippus vnà cum Philippo filio ſuccedit. De hoc traditum nobis eſt,quod Chriſtianus fuerit;& in die Paſchæ,id eſt in ipſis vigiliis,cum intereſſe voluiſſet,& communicare myſteriis, ab Epiſcopo loci non priùs eſſe permiſſum, niſi confiteretur peccata ſua, & inter pœnitentes ſtaret; nec vllo modo copiam ſibi myſteriorum futuram, niſi priùs per pœnitentiam culpas, quæ de eo ferebantur plurimæ, diluiſſet. Ferunt igitur libenter eum quod à Sacerdote imperatum fuerat ſuſcepiſſe, diuinum ſibi ineſſe metum, & fidem religionis pleniſſimam,rebus atque operibus comprobãdo.] Hunc Pontificem, fuiſſe S. Fabianum, omnium vna propè eſt ſententia,vt notat Baron. anno Chriſti 246. num. 9. Et quanquam ex verbis Euſebij videatur tantùm haberi, Philippum fuiſſe duntaxat prohibitum ingreſſu Eccleſiæ, tamen ea locutione paſſim apud ve-

teres deſignatur excluſio quoque à Sacramẽtis,& diuinis Officiis,reliquáque cum fidelibus communicatione, quæ maximè in templis & ſacris Conuentibus inibi indictis, locum habet. Prꝍterquàm quod ſi fuit Philippus ſollicitus de exſolutione ab ea excõmunicationis portiuncula, quæ aditu Eccleſiæ prohibet, quis non agnoſcit, quanta iuſtius exigatur ſollicitudo, pro exſolutione à plena & integra excommunicatione,qualem cap.2.expreſſimus?

2. Longè aliter erga S.Babylam Epiſcopum Antiochenum, ſe geſſerat idem Philippus, ſi vera ſunt quæ habet Chronicon Alexandrinum anno 1. Decij. In re inter Hiſtoricos ſacros obſcuriſſima & implexiſſima,aliquid quod ſublucet attingere,non erit vt ſpero Lectori graue. Tametſi enim ſenſum Philippi de iuſto excommunicationis timore, non licebit hinc colligere, ſed potiùs exacerbationem horrendum in modum efferatam, tamen iuuerit id attigiſſe, vt conſtet quæ eſſe potuerit præter cæteras, idonea cauſa molis malorum,quæ poſtea Philippum cum ſuis miſerè oppreſſit.Sic igitur habet Chronicon. [Ex maiorum relatione] & hoc de Sancto Babyla, (vti B. Leontius Antiochiæ præſul ante hæc tẽpora narrauit)didicimus. Decius hic, S.Babylam, non ſolùm ob Chriſti religionem interfecit, ſed quod auſus eſſet Philippi Imperatoris coniugem, & ipſum Philippum vti Chriſtianos, (Philippum reum cædis) ab aditu templi arcere. Crimen autem Philippi, hoc erat:Philippus ille iunior, cum imperante Gordiano, de quo diximus, prouinciæ Præſidem ageret, Gordianus illi filij tutelam commiſit. Gordiano Imperatore poſtea fatis extincto, Philippus interfecto filio Imperium arripuit.]

arripuit.] Inferiùs autem ſub Carini & Numeriani imperio, anno Chriſti 255. idem Chronicon alium S. Babylam æquè pro Chriſto occiſum recenſet: quibus aſtipulatur eorum ſententiæ, qui duplicem S. Babylam agnouerunt, inter quos Nicephorus reclamante licet Baronio in notis ad Rom. Martyrol. die 24. Ianuar. Indidem etiam deprehenditur, vnde S. Aldelmus l. de laude virginit. cap. 17. & alij, quæ de vno Babyla alicubi ſcripta inueniebant, referentes ad alterū, adducti ſint, vt dicerent, S. Babylam Antiochenum, paſſum eſſe ſub Numeriano eo quod illum ab Eccleſia expuliſſet: quod in Numerianum nulla ratione quadrare poſſe, videtur per ſe manifeſtum. Quid enim Numeriano Imperatori Gentiliſſimo, cum æde ſacra, vt dici poſſit, ne eam ſubiret, prohibitus fuiſſe à S. Antiſtite, obiiciente cædem innoxij ab eo patratam; quod obieciſſe S. Babylam ei Imperatori quem arcuit ab ingreſſu Eccleſiæ, teſtificatione S. Chryſoſtomi eſt exploratum.

3. Tametſi autem video, fidem Chronici Alexandrini in narratione martyrij S. Babylæ aliquoties nutare, eo quod cum narratione quę apud S. Chryſoſtomū l. de S. Babyla cōtra Gentiles legitur, non ſemper conſentiat: in eo tamen maximè arridet, quod Imperatorem illum Romanum, ob quem ab Eccleſia expulſum, in carcerem contruſus eſt S. Babylas, ait eſſe Philippum. Id enim planè neceſſarium videtur affirmare. Nam S. Chryſoſtomus manifeſtè agnoſcit, illum Imperatorem fuiſſe Chriſtianum, quod de ſolo Philippo valere poſſe, non eſt dubium. Iuuerit aliquot S. Chryſoſtomi plagulas decerpere, ex quibus manifeſtum euadat, quod dico illum Imperatorem

fuiſſe Chriſtianum. [Eundem (inquit) quoquo te vertas, tum ab imperij amplitudine, tum armorum ferocitate terribilem, quaſi vile quoddam ac nullius pretij mancipium, ſic à Dei templo exegit. Tanta adeò cum conſtantia atque animi præſentia, cum quanta paſtor ſcabioſam, ac morbidam ouem ab ouili excludit, dum prohibet ne laborantis ouis morbus, ad reliquum quoque gregem contagione ſerpat.] Et mox. [Ergo ipſum Imperatorem, ſtatim is qui illius imperio parebat, rexit: & ei qui omnium dominator erat, ſubditus iura dedit, atque adeò aduersùs eũ damnationis calculum tulit.] Rurſus infra. [Propterea certè, ſe ipſe totum à terra in cœlum transferens, quaſi iudici ipſi adſiſteret, ipsúmque audiret iubentem, vt ſceleſtum, atque inquinatum illum à ſacroſancto grege expelleret, ſic eiecit & à reliquo armento ſeparauit, nihil prorſus reſpiciens eorum omnium, quæ videbat, quæque terrifica aliis videntur: quin potiùs illos viriliter, atque admodum generosè expellendo, diuinis legibus vim ac tyrannidem patientibus opem tulit.] Paulo poſt addit, S. Babylam Imperatori ingreſſum tentanti, dextram in pectus impreſſiſſe; & ingreſſu arcuiſſe, ſeruata omni moderatione quoad verba. [Sic (inquit) miſerum illum à ſacroſanctis clauſtris arcuit.] Subdit continenter, quantum gloriæ ex ea Imperatoris ſubmotione acceſſerit Chriſtiano Epiſcopo, etiam apud Ethnicos ſatellites, præ Ethnicæ ſuperſtitionis Antiſtitibus, qui aduerſus Imperatorem, ne hiſcere quidem fuiſſent auſi, cum tamen S. Babylas intrepidè, cum ſibi ſubeſſe ea in re debere, quippe Chriſtianum, & agnouerit & facto prodiderit. [Ergo Babylas (inquit) vt dictum eſt, tum eos qui nondum Chriſti fidem

dem receperant compeſcuit:tum eos,qui iam receperant,religioſiores etiamnum reddidit, vt non priuatos homines modò,ſed & milites, & militum duces, & præfectos: planum faciens, ipſum etiam Regem, eúmque qui ſummus fuerit, apud Chriſtianos, nuda tantummodò eſſe nomina:ac dum vel pœna irroganda, vel honos deferendus fuerit, quiſquis etiam diadema geſtet, hunc vel infimis quibuſque adæquari.] Inferiùs addit,Babylam patrem, filij huius amore flagrantem,& ob eius exitium valdè mœrentem, ſic ſe geſſiſſe.Eundem Imperatorem, vocat familiàrem, & diſcipulum,ac domeſticū;& in ſpiritu,Babylæ filium.

4. Ex his D.Chryſoſtomi plagulis,& ex ipſa excluſione ab Eccleſia, luce clarius videtur, Imperatorem à S.Babyla correptum,fuiſſe Chriſtianum.Ex quo apertè ſequitur,non alium eſſe potuiſſe,quàm Philippum, vt affirmat Chronicon Alexandrinum. Cui tamen quoad alia nonnulla,non cōuenit cum S. Chryſoſtomo, atque adeò quoad illa deſerendum eſt. Vt cum ait, S. Babylam cæſum à Decio, quem S. Chryſoſtomus contruſum in carcerem ab illo ipſo quem excommunicarat, diſertè tradit: móxque è carcere, eductum ad ſupplicium. Item quod cauſam excommunicationis, ait fuiſſe, cædem Gordiani iunioris: quam S.Chryſoſtomus profert longè aliam;nimirum cædem pueri regij ex alia gente quàm Romana, perfidè & contra fœdus ictum,patratam.Præterea quod vult, imperium à Philippo arreptum, extincto puero poſt Gordiani mortem ex morbo. Cum tamen certū ſit, Philippum inſurrexiſſe in Gordianum patrem, & eo occiſo arripuiſſe imperium. Sed hos & alios Chronici de S.Babyla nodos, non recipio extricandos,

dos,contentus ex eo aſſumere, Imperatorem à S. Babyla ſacris prohibitum,fuiſſe Chriſtianū, atque adeò non alium fuiſſe quàm Philippum, cui melior mens fuerit erga S.Fabianum, quàm erga S. Babylam. Sed ab hoc breui diuerticulo ad quod nos argumenti affinitas traxit,regrediamur in viam.

5. Theodoſium Magnum Imperatorem, ob cædem Theſſalonicenſium præcipitanter, & iracundè patratam,excommunicauit S.Ambroſius, celſitudine animi,quæ tãtum Paſtorem deceret.Extollit eã Gelaſius Papa epiſt. 13. quæ eſt ad Epiſcopos Dardaniæ. Theodoſius Imperatorum Romanorũ fortitudine,ac potẽtia & ſapientia clariſſimus, imperij autẽ amplitudine nulli ſecundus,ea fecit ac pertulit ad exorandam exſolutionẽ ab excommunicatione, quibus ſatis ſupérque teſtatum fecit, quanto excommunicationis horrore tangeretur. Narrat diffusè hiſtoriam Theodoretus l.5.hiſtor.Eccleſ.c.17. attigítque ipſe S. Ambroſius in monodia *ſub finem*, cum de eo ait: [Dilexi virum qui magis arguentem, quàm adulantem probaret,ſtrauit omne quo vtebatur inſigne regium, defleuit in Eccleſia publicè peccatum ſuum, quod ei aliorum fraude obrepſerat. Gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubeſcunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam, neque vllus poſtea dies fuit, quo non illum doleret errorem.] Hinc quanta laus Theodoſio acceſſerit, diſce ex Facundo Hermianenſi l. 12. pro tribus capitulis,c. vltimo.[Beatæ(inquit)recordationis, maior Theodoſius Imperator, cuius ſemper memorabilis erit in Eccleſia Chriſti memoria, quamquam ſæpè de magnorum barbarorum prælijs, & de maximorum tyrannorum

triumphauerit:

triumphauerit:non tamen ex huiuſcemodi victoriarum frequentia, in quibus Traiano filio gehennæ comparari non poteſt,veram meruit gloriam; ſed de ſupplici & publica peccati ſui pœnitentia, quam expugnato regali faſtigio placidè atque humiliter Antiſtite Ambroſio caſtigante ſuſcepit, & indictum ſibi debitæ ſatisfactionis tempus,ab Eccleſiæ communione remotus, impleuit. Piè admodum credens, & ſapienter intelligens, quòd non ex temporali poteſtate,qua fuerat etiam Sacerdotibus Dei præpoſitus, ſed ex eo peruenire poſſet ad vitam, quòd illis erat ipſe ſubiectus.]

6. Ex hoc regio & Imperiali Imperatoris per omnia maximi exemplo,ſic diſputat S.Auguſtinus hom. 49.ex 50.vt ſuadeat exhorreſcendam eſſe excommunicationem,& Antiſtiti eam intentanti,humiliter deferendum.[Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia,vt oret pro vobis Eccleſia. Nemo ſibi dicat,occultè ago,apud Deũ ago, nouit Deus qui mihi ignoſcit,quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt, *quæ ſolueritis in terra,ſoluta erunt in cœlo?* Ergo ſine cauſa, ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei? Fruſtramus Euangelium Dei,fruſtramus verba Chriſti?Promittimus vobis quod ille negat?Nonne vos decipimus?Iob dicit, *ſi erubui in conſpectu populi confiteri peccata mea.* Talis iuſtus Theſauri diuini obrizi, tali camino probatus, iſta dicit:& reſiſtit mihi filius peſtilentiæ,& erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei. Quod non erubuit Imperator, erubeſcit nec Senator, ſed tantùm curialis ſuperba ceruix, mens tortuoſa fortaſſis (imò quod nõ dubitatur,)propterea Deus voluit vt Theodoſius Imperator agens pœnitentiam publicam in

conſpectu

conſpectu populi, maximè quia peccatum eius celari non potuit; & erubeſcit Senator, quod non erubuit Imperator? Erubeſcit nec Senator, ſed tantum curialis, quod nō erubuit Imperator? Erubeſcit plebeius, ſiue negotiator, quod non erubuit Imperator? Quę iſta ſuperbia eſt?] Et l. 5. de Ciuit. Dei c. 26. [Quid autem fuit eius (Theodoſij,) religioſa humilitate mirabilius, quando in Theſſalonicenſium grauiſſimum ſcelus, cui iam Epiſcopis intercedentibus promiſerat indulgentiam, tumultu quorumdam, qui ei cohærebant, vindicare compulſus eſt: & eccleſiaſtica coërcitus diſciplina, ſic egit pœnitentiam, vt Imperatoriam celſitudinem pro illo populus orans, magis fleret videndo proſtratam, quàm peccando timeret iratam? Hæc ille ſecum, & ſi qua ſimilia quæ commemorare longum eſt, bona opera tulit, ex iſto temporali vapore cuiuſlibet culminis & ſublimitatis humanæ.]

7. Arcadius Theodoſij filius Imperator, ab Innocentio I. percuſſus excommunicatione, ob vexatum S. Chryſoſtomum & malè habitos legatos Sedis Apoſtolicæ, vt ex Gennadio, Glyca, Nicephoro, refert Baron. anno 407. demiſſiſſimè ſe geſſit, & abſolutionem ab excommunicatione humillimè popoſcit. Iuuat ipſam eius epiſtolam ad Innocentium, à Georgio Patriarcha Alexandrino in S. Chryſoſtomi vita deſcriptam, hîc referre, vt tanti Imperatoris erga Chriſti Vicarium reuerentia, & deſiderium exſolutionis ab excommunicatione, pateſiat. Sic habet. [Homines quicunque rectè ſapiunt, vtique norunt, quod ea quæ ignoratione fiunt, non ipſe Deus, non etiam leges plectunt ſupplicio: ſed & nemo pro alterius culpa iudicio ſiſtitur. Hac ratione motus, ſcripſi cupiens ve-

ſtræ

ſtræ paternitati pleniùs ſatisfacere. Nam Deo teſte, eorum quę contigerunt Epiſcopis & Clericis veſtris, nihil reſciui, quin ipſe innocens ſum ſententiæ eorum. Mox enim vt ea intellexi, omnimodam expetiui vltionem de authoribus geſtorum, quæ alioqui Deum minimè latebant. Nam ſi tanti per eos admiſſi flagitij particeps ipſe fuiſſem aut complex, vtique eos non tot diuexaſſem aut affeciſſem incommodis. De Beato autem Ioanne Conſtantinopolitanæ Eccleſię Epiſcopo, cuius memoria ſacroſancta eſt, quod aduerſus ipſum geſtum, non id mea vnius culpa contigit fieri, ſed Epiſcopis ipſis adſcribendum venit, qui aſſeuerabant ipſum quiddam abſurdum aduerſus Canones ſanctæ Nicenæ Synodi admiſiſſe, quare dignus eſt habitus deiectione. Iſti ſi quidem in capita ſua receperunt eam ſententiam. Ipſe igitur eorum verbis perſuaſus, vt qui eſſent Epiſcopi, ſimul etiam prouidens, ne quod ſchiſma in Eccleſia propter hominem vnum oboriretur, neu eius membra in partes diſtraherentur, tametſi ſegregari debuerant à communione Sacramentorum. Et quidem illi planè peracri increpatione ſunt digni, vt qui illegitimè ac præter Canones aduerſus eum tale qnid auſu temeratio geſſerunt. Porrò nos qua in re peccauimus, ſiquidem Sacerdotes veritatem aduerſati, nobis impoſuerunt ſuo mendacio? Attamen ex his qui hîc aderant peregrinis miſi ad veſtram ſanctitatem: qui vtique debuerant vobis renunciare, quæ hæc conſecuta fuerint omnia, ſi qua in re ipſe fuerim author iſtius rei geſtæ: ſi me huic dramaticæ, aut commentitiæ ſcenæ permiſcuerim, quaſi conſors fuerim arcanæ iſtius conſpirationis. Animaduertat in eos prout vult ſanctitas tua. Hoc &

& ipſi conſulimus, & fieri volumus ad aliorum correctionem. Deinceps paterna tua ſanctitas, nos adhortetur, & moneat, non item condemnet ſegregans, quaſi expertes nec vlli acquieſcentes ordini, à Chriſti grege, & intaminata communione pretioſi Corporis & Sanguinis ipſius, quando reliqui omnes horum perceptione cenſentur digni. Id enim vt fieret ab iſtis aduerſus B. Ioannem, ægrè nec maleuolo animo permiſimus. Sed enim ipſi efflagitamus à vobis condonari veniam, pro eo quod iniquè geſſimus. Quod ſi nos adoriente rurſus morbo altero, verbere opus fuerit, pro modo delictorum moderata caſtigatione vtitor, non item eam ipſi deprecabimur aut excuſabimus: Immò eam correptionem Domini, expromptè & alacriter ſuſtinebimus, non ſubtrahemus, aut deflectemus ab ea. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat*, iuxta Apoſtolum. Tantum eſt, vt ne priuemur ſalutaribus ſymbolis. De filia autem tua Eudoxia, noueris Pater, pro modo ſuæ offenſæ vicem pœnæ haud mediocrem ei rependiſſe. Quo facto contigit, vt per eam afflictionem, & mœrorem animi, deliquio, & languore tabeſcens in lectulo decumbat. Itaque & eam redditọ dignam, ne hinc emigret, exors ſanctorum myſteriorum Saluatoris noſtri Dei. Ne illi multiuariam irroges vltricem pœnam. Non enim percutit Deus bis in idipſum.]

8. Arcadij filius, Theodoſij magni nepos, iunior Theodoſius, & ipſe Imperator, quanto excommunicationis horrore tangeretur, argumento eſt, quod ad nomen euanidum excommunicationis, à Monacho nullam ob cauſam idoneam, ac ex nulla poteſtate vibratæ, adeo perculſus eſt, vt quieſcere nequiuerit donec

donec ſolueretur. Rem deſcribit Niceph.l.14.c.4.& his verbis Theodoretus l.5. hiſtor. c.36. [Vir quidam vitam excolens monaſticam animo paulò audaciore præditus, ad Imperatorem rei cuiuſdam petendæ gratia accedit. Quod cum ſæpiùs fruſtra feciſſet Imperatori Eccleſiaſtica interdicit communione, vinculóque Eccleſiæ ei iniecto, diſcedit. Imperator autem fide cum primis excellens, accedens ad palatium, cum tempus inſtaret conuiuij, & omnes conuiuæ adeſſent, dixit ſe non priùs capturum cibum, quàm Eccleſiæ vinculo ſolueretur. Proinde vnum ex familiariſſimis ad Epiſcopum mittit, oratum, vt poteſtatem faciat ei, qui ipſum ligauerat, vinculo ſoluendi. Cum autem Epiſcopus reſpondiſſet, non debere cuiuſque vinculum admittere, ſignificaſſétque eum ſolutum eſſe, non tamen ſolutione illa contentus eſt, donec ille qui eum ligauerat, magno cum labore conquiſitus, communioni illum reſtituiſſet. Eiuſmodi namque erat Imperatoris erga leges diuinas fides.]

Exemplum tantæ in Theodoſio teneritudinis conſcientiæ, æmulatus eſt Theodoſius Abbas apud Surium t.1. Nam ab vno quodam ſuorum Monachorum quem excommunicarat, viciſſim percuſſus excommunicatione, noluit ad altare accedere, quin priùs exolueretur.

9. Deſiderius Rex Longobardorum, homo cordatus, & in rebus gerendis acer ac ſolers, ſed perfidus ac impius, & ad regni fines proferendos omnia diuina & humana iura calcare paratus, cum in progreſſione ad Romanam vrbem vaſtandam, Adriani Papæ nuncios & exemplar intorti in eum anathematis, niſi regrederetur, accepiſſet; perinde ac ſi de cœlo ictus

RR fulmine

ſulmine eſſet, ingenti horrore correptus, cum eſſet in manibus certa victoria, præciſis moris omnibus confeſtim repedauit. Rem geſtam miraculo vix abſimilem, narrat Anaſtaſius in Adriano I. & Baron. anno 773. num. 4.

Henricum III. Imperatorem, quantus inuaſerit excommunicationis timor, quanta fecerit & ſuſtinuerit, vt gladium Eccleſiaſticum defugeret, fuſiſſimè perſequitur Albertus Pighius l. 5. Eccleſ. hierar. cap. 2. Quódque magè mirum eſt, fuit Henricus, perditiſſimè deprauatis & homine potiùs Paganiſſimo quàm Chriſtiano Imperatore dignis moribus: inſipientiæ verò conſummatæ, & ad ſummum prouectæ faſtigium. Probra eius, ex multis illius æui hiſtoricis delibauit Bellarminus l. 4. de Rom. Pont. c. 13. & diligenter Baronius ab anno Chriſti præſertim 1073. In excommunicationis tamen timore & horrore ſapuit, etiamſi fructus dignos timoris illius non ediderit. Sunt qui eum timorem, merè ſeruiliter ſeruilem, ſemper fuiſſe velint, nec ex fuga ſpiritualis exitij profectum. Sed cum Dei ſolius ſit ſcrutari corda, lubens illis hoc iudicium permitto, mihi non arrogo.

10. Otho Imperator Henrici aucupis filius, Princeps alioqui circunſpectiſſimus, auſus falcem in alienam meſſem immittere, & Epiſcopatum è loco humiliore transferre Magdeburgum; Bernardum virum ſanctum Halberſtadienſem Epiſcopum, qui ſuæ Diœceſi eripi Magdeburgenſem parochiam ægrè ferebat, obſiſtentem expertus, cum dedit in vincula. Sed ab illo paulò poſt excommunicatione percuſſus, rediit ad cor, & impacti Eccleſiaſtici gladij vim extimeſcens, quæcunque contra ius faſque ſuſceperat, reuocauit;

reuocauit ; & Pontifici vinculis liberato, per omnia ſubmiſſus, eum perhonorificè habuit, quanti apud ſe eſſet excommunicatio, & verbis & factis teſtatus. Deſcribit fusè rem geſtam Albertus Krantzius l. 4. Saxon. cap. 7. & Brendebach. l. 5. collation. ſacrar. cap. 25.

11. Petrus Rex Aragonum, à Martino IV. & Honorio item IV. excommunicatione percuſſus, ad extrema veniens, quanto contractæ excommunicationis horrore ſit correptus, quanta ſpoponderit, & ad quàm multa iuratus ſe deiecerit, vt illis nexibus expediretur, legere licet apud Hieronymum Curitam l. 4. annal. cap. 71.

Andronicus, Pentapoleos Ægypti Prouinciæ præfectus, tametſi minoris quàm ſuperiores dignitatis, tamen iiſdem accenſeri ratione muneris poteſt. Homo ferus & immanibus crudelitatibus nobilis, vt apud Syneſium legere licet, ab ipſo Syneſio excommunicatus, & in ſcelerum pœnitentiam munere deiectus, excommunicationem adeò extimuit, vt Syneſio paruerit per omnia; laudaríque poſtmodùm, eiuſdem Syneſij quem ſcelerum vltorem expertus erat, commendatione meruerit.

CAPVT XVII.

Iudæis quoque, excommunicationem horrori fuiſſe; obiter item quantoperè Ethnici, ſuam qualemcunque Chriſtianæ excommunicationis adumbrationem, refugerint.

1. SENSVI Chriſtianorum ad excommunicationis nomen horreſcentium, adiungo ſenſum Iudęorum. Et addēdus quoque obiter erit ſenſus Ethnicorū, qui tametſi nō niſi qualēcunque excōmunicationis noſtræ imaginē habuerunt, eam tamē ſummoperè ſunt auerſati. Vtrunque breuiter exequamur.

Excommunicatio, Iudæis in vſu.

Apud Iudæos vſu receptam fuiſſe excommunicationem, quod nunc aſſumo, docuit verbis illis Gregorius Nyſſenus, ſub finem orationis de moderatè ferendis reprehenſionibus, agens cum ſauciato ob intortam excommunicationem. [Ne ſegregationem arbitreris eſſe ab Epiſcoporum audacia profectam. Paterna lex eſt, antiqua Eccleſiæ regula, quæ à lege traxit originem, & in gratia obtinuit.] Obſeruauit rectè Robertus Arboricenſis tomo 2. de vtroque gladio, theorem. 7. pœnam excommunicationis, iis qui non venirent iuxta principum conſilium intra triduum, fuiſſe iam olim inter Iudæos ſtatutam. 1. Eſdræ c. 10. De Chriſti ætate, idem conſtat ex Ioan. 16. verbis illis. *Abſque Synagogis facient vos.* Item ex illis aliis verbis

bis cap. 12. *Ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è Synagoga non eiicerentur.* Capite item 9. parentes cæci nati, non ſunt auſi Chriſtum glorificare. *Iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret.* In his locis, *fieri extra Synagogam*, aliud nòn eſt quàm excommunicari. Quia cum Synagoga apud Iudæos, interdum ſignificaret locum ſacrum, quo conueniebant ad orandum & audiendum verbum Dei: aliàs verò ſignificaret congregationem fidelium legem Moſis profitentium, vt multis Scripturæ locis demonſtrat Toletus in c. 16. Ioann. annot. 2. (ſimilem homonymiam apud nos habet vox *Eccleſia*;) vtramuis notionem ſubiicere placeat voci *Synagogæ*, æquè ſignificabitur ea excluſio quam formaliter infert excommunicatio. Sanè in Concilio 1. Niceno, ἀποσυνάγωγον γίνεσθαι ſumitur pro eo quod nunc dicimus *excommunicari*, & pelli ab Eccleſia. Maluerunt enim maiores noſtri, potiùs vſurpare nomen *Eccleſiæ*, pro voce *Synagogæ*; quod hoc nomen pecuinum ac brutum genium, potiùs quàm rationalem legi gratiæ & libertatis conſentaneum præferat, vt obſeruauit S. Auguſtinus ſub initium Pſalmi 77. Apud Lucam c. 6. Chriſtus Dominus eundem ſenſum quem eiectioni è Synagoga ſubiecimus, ſubſtrauit verbo *ſeparandi*, dicens, *beati eritis, cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos.* Hæc enim ſeparatio eſt illa ipſa eiectio è Synagoga, de qua illis aliis locis eſt ſermo. Vnde apud veteres Chriſtianos, ἀφορίζεσθαι id eſt, *ſeparari*, non aliud ſonat, quàm excommunicari, vt liquet ex canon. 31. & 64. & 84 Apoſtolorum, & ex pleriſque Canonibus Trullanis. Et videtur

RR 3 etiam

etiam poſſe eodem ſenſu accipi ſeparatio illa & eiectio cæci nati apud Ioannem, cum ait cap. 9. *& eiecerunt eum foras*. Quod enim conſtitutum eſſet apud Iudæos, vt quiſquis IESVM fateretur eſſe Chriſtum, extra Synagogam fieret, id eſt è cœtu fidelium eiiceretur, & excommunicaretur; cæcus autem ad miraculũ acer & conſtans eſſet in prædicanda illa veritate Iudæorum primoribus tantoperè exoſa, & fidei gutta aduerſus nubem incredulorum intrepidè conſiſteret, vt ſcitè homilia de eo dixit S. Chryſoſtomus, non malè Lyranus, & Franciſcus Lucas, ac Toletus ibi, eam eiectionem de excommunicatione accipiunt. Quanquam facilè etiam poſſet ea eiectio intelligi de ſola expulſione cæci è concilio ad quod fuerat aduocatus: non ferentibus magnatibus illis ſuperbiæ typho tumentibus, infimæ ſortis hominem, & totum (vt aiebant) in peccatis natum ſibi obſtrepere tanta libertate, & IESVM contra ipſorum decreta, aſſerere Chriſtum. Vt vt verò accipiatur ea cæci eiectio, ſatis ſupérque conſtat, viguiſſe apud Hebræos ante legem gratiæ, vſum excommunicationis.

2. Iam ſuperiùs aliquoties monui, nõ fuiſſe quidẽ apud Iudęos excommunicationem adęquatè ac plenè ſimilem excommunicationi Chriſtianæ, cuius pars & quidem non exigua, eſt excluſio à participatione theſauri Eccleſiaſtici per indulgentias, & ab vſu Sacramentalium communibus illis diuitiis refertorum; quo theſauro & opibus intra ſacramentalia veluti abditis, fas nunc eſt Chriſtianis potiri. Olim autem non ſic. Nam ante Chriſtum, quamuis eſſet in Eccleſia theſaurus ſatisfactionum ſanctis ſuperabundantium, vt planè habetur ex Clemente VI. in extrau. *vnigenitus*,

nitus, rectéque agnoſcit Suarez t.4.3.p.d.51.ſ.2.num. 18. tamen ſupernaturalis poteſtas diſpenſandi theſaurum illum, deërat Synagogæ rectoribus: quia Deus ſtatuerat, vt communium illorum bonorum inchoata accumulatio perſtaret intacta, & in nullius bonum cederet, quouſque per Chriſtum conſummaretur; cuius meritis & ſatisfactionibus actu appenſis, immenſa acceſſio theſauro illi facta eſt, & inexhauſtibili eius opulentiæ prouiſum. Cum ergo theſaurus tunc inchoatus, eſſet theſaurus inuiſus, & in ſola Dei acceptatione manens, perſtaret illibatus, claue ad eius recluſionem & diſtributionem negata Iudaïcis Pontificibus; manifeſtè ſequitur, excommunicationem Iudaïcam non priuaſſe participatione illorum bonorum, ſicut facit Chriſtiana. Cæteris bonis fidelium Iudæorum, putà ſacramentorum legalium vſurpatione, precum communium & ſacrificiorum fructu, conſuetudine fidelium, aliiſque circa Chriſtianos recenſitis, quatenus priuauerit Iudaïca excommunicatio, iam ſupra eſt declaratum.

Qualis olim, & nunc quoque.

3. Rectè igitur aſſumebam, fuiſſe apud Iudæos vſum excommunicationis, & ante Chriſtum, & ipſius Chriſti æuo. Obſeruant autem Delrio in c. 1. Thren. v. 17. ac Druſius lib. 1. qq. Hebraic. in 9. multiplicem Hebræis priſcis fuiſſe excommunicationem. Delrio Eliam Leuitem in Tisbi, & alios profert, qui Iudaïcam excommunicationem ſtatuerunt fuiſſe triplicem; nempe *Niddou, Cherem* & *Schamatha*. Prima, omnium leuiſſima, continebatur remotione ſola à

cæteris,propter immunditiam aliquam.Secunda,quę deuotionem & diras inferebat,grauiori culpæ rependebatur, cum reus noxam expiare per pœnitentiam neglexerat.Tertia,erat plena & integra hominis tanquam ſpiritualiter planè mortui, excluſio à quacunque prorſus communicatione ciuili & ſacra, própter peruicaciam & obfirmationé in ſcelere.Quod denotat notatio vocis,& notio. Idem enim ſonat *ſchamatha*,ac,*tu rebellis*. Alij tamen deriuantes vocem illam ex *ſam* & *mitta*, idem ſignificare volunt, ac *ibi mors.* Denique alij, vnico,m,efferunt *ſamatha:* volúntque ſenſum eſſe, *Dominus venit.* quod iuxta ea quæ ſuperiùs dicta ſunt de voce *maranatha*, horribilis iudicij denunciationem inſinuat. Totidem ergo fuerunt olim apud Iudæos, ſpecies aut modi excommunicationis. Sed & iam orto Chriſtianiſmi Sole, vſurpaſſe Iudæos excommunicationem, conſtat ex Nouella 146. vbi Imperator grauiter vetans ſecundas Iudæorum deuteroſes, (illas ipſas quas S. Hieronymus q. 10.ad Algaſiam, adeò fœdas & ſpurcas fuiſſe refert,) addit;[neque licentiam habebunt ij,qui ab eis maiores omnibus Archipherecitæ aut Presbyteri, forſitan vel Magiſtri appellantur;perinœis aliquibus aut anathematiſmis,hoc prohibere.]*Perinœas* Gręca voce dixit, quas Latinè dicimus cenſuras, & præſertim excommunicationes.

4. Apud colluuiem hodiernorum Hebræorum, vſus quoque eſt excommunicationis, eámque plerunque Chriſtiani in Hebræum intorqueri curant, ſi contingat non poſſe ab eo extorqueri debita.Ritum, hunc eſſe accepi. Poppa veſtibus inter eos ſacris amictus,educto ex armario volumine Moſaicæ legis,ambonem

bonem conſcendit, & ſinu complexum tenens volumen, conteſtatus Deum viuentem Regem mundi, Angelos eius, Sanctóſque omnes, adhibita per eoſdē & per commune bonum adiuratione, obteſtatur eum de quo excommunicando agitur, vt fideliter exequatur quod mandabitur nomine eius qui excommunicationem imperrauit. Id ni præſtare ſit paratus, verba horrifici carminis occipiens, vibrat in eum maledicta, quæcunque in Scripturis extant atrociſſima. Imprecatur inquam illi, anathema Iericunthinum, & maledictum quo Eliſæus percuſſit petulantes pueros, & quod Saül ſtrinxit in eos qui iuſſis à ſe propoſitis non obtemperarent. Denique in eum torquet omnia maledicta quæ ſcripta ſunt in libro legis, & quæ prophetice vibrata ſunt Pſal. 108. quæ ſingulatim & verbatim pronunciantur à verſu 5. ad 18. addita obſecratione, vt Deus nomen eius de terra viuentium eradat, quæ obſignatur particula optandi *Amen*. Subſequitur bombus æneі tormenti, vnius, vel etiam plurium, qui identidem repetita diſploſione renouatur, in prolixa iteratione earundem maledictionum, verbis nonnihil diſcrepantibus, eadem tamen ſemper ſententia.

Quantus eius horror, apud eoſdem.

5. Iam quanto horrori eſſet Iudæis antiquis excommunicatio, quod erat alterum ſupra propoſitum & hîc præcipuè quæſitum, coniectura duci poteſt, ex iis quæ de Iudæorum receſſu à Chriſto ne extra ſynagogam fierent, ſupra adduximus. [Magnum reuera (ait S. Cyrillus l. 6. in Ioan. c. 20.) apud Iudæos oppro-

brium ducebatur, ſi quem de ſynagoga eieciſſent. Sicut enim nunc,homicidæ, vel adulteri, vel cæteri capitalibus criminibus rei, ab Eccleſia pelluntur, ita tunc Confeſſores Chriſti è ſynagoga Iudæorum eliminabantur.] Sed nihil ad excommunicationis horrorem tunc vigentem intelligendum, accommodatius eſſe poteſt,iis quæ habet his verbis Ioſephus l. 2. de bello Iudaic. c.7.agés de Eſſenis,qui inter Iudæos religioſi admodum habebantur. [Deprehenſos verò in peccatis, à ſua congregatione depellunt,& qui taliter fuerit condemnatus,miſerabili plerumque morte conſumitur. Illis quidem ſacramentis & ritibus obligatus, neque capere ab aliis oblatum cibum poteſt, herbas verò pecudum more decerpens, & fame exoſus, per membra corrumpitur. Ob quod etiam, plurimos plerumque miſerati extremum ſpiritum agentes receperunt,ſufficientem pro peccatis eorum, quæ vſque ad mortem adduxerit, pœnam luiſſe cenſentes.]

De horrore autem, quo nunc fæx Iſraelitarum inter nos diſperſorum, corripitur ad eam quam memoraui excommunicationem nunc apud eos vſurpatam,nihil attinet dicere:quandoquidem cōſtat,Chriſtianos extremum hoc remedium habere,vt ærumnoſiſſimam gentem ad tentandum quidlibet,ac ſupra facultatem audendum,compellant. Vt enim hanc,apud eam colluuiem, & probroſiſſimam, & vt arbitrantur ominoſiſſimam deuotionem declinare liceat, omnibus ſe exui facultatibus non grauatè ferunt;nihilque eſt vſque adeò durum & aſperum, à quo excipiendo abhorreant, dummodò ferale carmen poſſint defugere.

Vſu

Vſus, & horror excommunicationis apud Ethnicos.

6. Pergo ad Ethnicam adumbrationem noſtræ & Iudaicæ excommunicationis. Vſurpaſſe enim Ethnicos talem aliquam excommunicationis imaginem, adeò liquet, vt non dubitauerit Philippus Melancthō ad articulum 19. Bauaricum, fabulari excommunicationem Chriſtianam ab Ethnico vſu dimanaſſe. Inter Catholicos idem dixit Leander Galganetus l. 1. de iure publico, titulo 15. num. 1. Nicolaus Grauatius ad l. 2. Veſtrij cap. 4. num. 12. Eraſmus quoque mox referendus, idem inſinuat. Sed apertè Tiraquellus de retractu Gentilitio §. 1. Gloſſa 9. num. 276. ait enim; [excommunicationem, ab antiquorum Græcorum & aliorum ritibus legibúſque, ortum habuiſſe, non à D. Paulo, vt Canoniſtæ & Theologi opinantur.] Profértque in eam rem quæ Cæſar de Druydum moribus ac ritibus agens tradit, de pœna apud eos atrociſſima, qua ſacrificiis cuipiam interdicebatur ob contumaciam. Sic damnatum atque deuotum, ait Cæſar, apud omnes impiū ac ſceleſtum habitum, ei omnes deceſſiſſe; illius occurſum, aditum, ſermonem, omnes vitaſſe quàm ſtudioſiſſimè: ius petenti non fuiſſe redditum, nec vllum planè communicatum honoris gradum. Hæc in Druydum excommunicatione à Cæſare notata, ad vnguem cadere in noſtram, monſtrat Tiraquellus prolatis in eam rem multis iuribus. Ex quo colligit, excommunicationem non eſſe iuris Canonici inuentum. Hoc vel prorſus reſpuendum, vel ita accipiendum eſt, vt aliqualis quidem adumbratio excommunicationis illius, cuius D. Paulus primum

exemplum

exemplum ſcripto apertè conſignatum in Chriſtiana Eccleſia ſtatuit, præceſſerit in Ethniciſmo: non tamen ita vt idem ſit noſtra excommunicatio, quod fuit illa apud Ethnicos criminoſorum inſignium ſegregatio. Diuerſiſſima enim vtriuſque ratio eſt, quamuis nonnulla adiuncta ſint vtrobique ſimilia, & analogia inter vtramque nonnulla cernatur, vt patet ex illis quæ in hanc rem habent Hieronymus Magius in notis ad Æmilij Probi Alcibiadem, Budæus annotat. poſter. in Pandectas, Anaſtaſ. Germonius l. 1. de immunit. c. 12. Düarenus l. 1. de ſacris Eccleſ. miniſt. c. 3. Ribadeneira l. 1. de Principe c. 33. Victorellus ad l. 1. inſtit. Toleti c. 4. Magalia in c. 6. Ioſüe v. 17. annot. 1. & 2. & alij, ex quibus varia in hanc rem delibaui l. 4. de virtut. num. 202.

7. Nunc ad ea breuiter addo nonnulla, cũ quoad Græcos & Romanos, tum quoad alias gentes. Et quoad Græcos quidem, ſcribit Tullius 3. de Offic. Athenis decretum fuiſſe, ne deuotis, ſiue ſimilitudinaria illa quam vſurpabant excommunicatione percuſſis, via cum errabant monſtraretur. Iidem omnibus execrationibus onerabantur, per miniſtros miniſtráſque ſacrorum, autore Plutarcho in Alcibiade, & in qq. Rom. c. 43. Poſt ſolemnes verò imprecationes, quod habet in Ariſtidis vita idem Plutarchus, mittebantur in mare candentes maſſæ ferreæ. Eraſmus chiliad. 1. cent. 2. c. 84. in adagio, ἀρᾶς ἱεροὶ, huic excommunicationi, ſubrogatam Chriſtianam eſt arbitratus. Eſt apud Platonem 9. de legibus, alia Chriſtianæ excommunicationis prædelineatio, quam Ficinus ad l. 10. eiuſdem Operis, admodum exactè noſtram excommunicationem adumbrare pronuntiauit.

uit. Inſignes criminoſi, primùm exilio perpetuo mulctandi decernuntur: Deinde arcendi ſacris omnibus, ea adhibita cautione, vt ſi in ſacra ſe ingererent, verberibus addicerentur: redeuntes autem ab exilio irrogato, dederentur neci. Quilibet liberorum hominum, cum eis comedere aut bibere, aliáve vlla in re commune quippiam cum eis habere vetabatur. Si quis talem quempiam obuium factum tangeret ſponte ac vltrò, templis & foro arcebatur, nec priùs vrbem ingredi, quàm purgaretur, poteſtatem accipiebat. Non eſt abſimilis lex Argiua de maximis criminoſis, igne, tecto, & collocutione prohibendis, vt Euripides in Oreſte meminit. Hercules contingi ſe vetuit à Theſeo, interfectis filiis. Oreſtes poſt facinus, queritur ſe ad aliorum menſas non admiſſum. Lex Draconis, qua homicidis omni humano conuictu interdicebatur, extat apud Demoſthenem in Leptinem.

8. Romanæ diræ, eæque deuotiones quæ aliqualem cum ſolemni noſtra excommunicatione affinitatem habere viſæ ſunt, neminem latent. Qui ſic publicè deuotus fuerat, impunè ab omnibus occidi poterat, vt ſcribit Dionyſ. Halicar. l. 2. rerum Roman. Idem ab omnibus ſacris remouebatur, ex Plinio lib. 10. epiſt. 59. Feriebatur grauiſſimis execrationibus, quod liquet ex Craſſo apud Minutium in Octauio. Denique eidem interdicebatur aqua & igni, hoc eſt omni propè ad vitam neceſſario adiumento. Vix enim quicquam humanæ vitæ neceſſarium, abſque igne & aqua parari poteſt. Itaque vt Lactant. 2. inſtit. c. 10. rectè vidit, prohibitos vſu tam neceſſariorum elementorũ, redigebant ad ſtatum ærumnoſiſſimum, qui meritò horrori

horrori omnibus,ac deteſtationi eſſet.Hanc fuiſſe expreſſam noſtræ excommunicationis imaginem, ait Ripa l.fin.ff.*ſoluto matrim.*ex Gloſſa §.*minor*, inſtit. *de cap.dim.* quam Gloſſam, Baldus ad cap. *licet vndique. de offic.deleg.*ſingularem appellat.Idem habet Iaſon ad l. *Gallus*. ff. de lib. & poſthum.& l.fin.C.*qui admitti.* &c.Geminianus ad cap.*deterrimus*.de ſent.excom. in 6.ac Oldendorpius, & Prateius v. *interdicti*.[Qui victus acie exceſſiſſet,(ait Liuius dec. 3. lib.6.) eum ne quis vrbe,tecto,menſa,lare reciperet, diram execrationem in populares deteſtationémque quàm ſanctiſſimam potuerunt aduerſus hoſpites compoſuerunt.] Exceſſus ille culpam continebat ex iis vnam, ob quas aqua & igni cuipiam interdicebatur.

En igitur in quàm calamitoſum ſtatum deducebantur,qui eiuſmodi erant, quámque accedebant ad eos, qui in Chriſtiana Eccleſia excommunicantur, ſi in eo tantùm ſtatuatur vtrorumque proportio, quod vtrique à communi conſortio corporaliter arcebantur:ſpiritualiter autem illa ipſa damna excommunicatis Chriſtianis inferuntur, quæ præterea corporaliter inferebantur iis quibus aqua & igne fuerat interdictum. Doctrina eſt Panormitani ad cap. *paſtoralis*. §. *verum*.num. 19. Si autem ad viuum res iſta reſecaretur, & omnimoda correſpondentia inter Chriſtianos excommunicatos,& eos quibus apud Romanos aqua & igni interdictum fuerat,quæreretur, fatendum eſſet, magnum inter vtroſque intercedere diſcrimen. Nam excommunicatis Chriſtianis fas eſt opitulari in neceſſitate, vt docet Gloſſa ad cap. *cum deſideres*. de ſent.excom. & conſtat etiam ex cap. *quoniam multos*. 11.q. 3. At interdictis aqua & igni,nullo modo ſubuenire

uenire fas erat. Item deportatus, ſiue is cui aqua & igni interdictum fuerat, neque teſtari poterat, neque ab inteſtato ſuccedere, quorum vtrumque excommunicato conceditur. Itaque longè aliud fuit, in omni rigore loquendo, interdici alicui aqua & igni, quàm nunc ſit aliquem excommunicari, vt rectè ſtatuit Stephanus Coſta repetit. in rubricam de ſent. excom. num. 21. Chaſſan. Conſilio 1. Ioannes Faber, Nicolaus de Neapoli, Angelus de Aretio refellentes Gloſſam, quæ ſimpliciter contrarium tradit §. 1. verbo *interdictum*. Inſtit. quibus modis ius patriæ pot. ſolu. Latè quoque hanc excommunicationis & deportationis, necnon relegationis & exilij comparationem excutit Guliel. Maynerius ad l. *ea ſola.* ff. de regul. iuris à num. 25.

9. Apud alias gentes, haud abſimilem vſum olim viguiſſe, compertiſſimum eſt. De Gallis, & Druydum apud eos excommunicatione, iam diximus ex Cæſare. De Germanis, teſtatur Tacitus l. de moribus Germanorum. Scribit enim, qui ſcutum in prælio reliquiſſet, ſegregem apud eos factum, omnibúſque ſacris & conciliis prohibitum, ritu & vſu adeò inter eos probroſo, vt multi bello ſuperſtites, ne ea ignominia notarentur, vitam laqueo abrumpere præeligerẽt. Apud Arabes item, viguit excommunicandi vſus, qui adeò accuratè ſeruabatur, vt ne ipſi quidem principi ſuo, ſi grauia & eo probro digna peccaſſet, parcitum vellent, ſed plane atroci quaſi excommunicatione eum multarent, vt videre eſt apud Plinium lib. 16. c. 44. Sunt alia de aliis gentibus in hanc rem exempla. Verùm hæc ad inſtitutum, ſunt ſatis.

Concluditur

Concluditur, quàm iuſtior Chriſtianis horror veræ excommunicationis.

10. Quod ſi apud gentes quæ ignorabant Deum, tantus erat horror bruti fulminis; ſi inquam Ethnici quibus Sol iuſtitiæ non illucebat, ſed procella tenebrarum inuoluebantur, tantoperè extimeſcebant illam aliqualem noſtræ excommunicationis vmbram, qua ob ſcelera multarentur; quàm iuſtum timorem par eſt prodere Chriſtianum, cum tangendum ſe vibrato cœlitus fulmine, veræ, hoc eſt Chriſtianæ excommunicationis agnoſcit? Eiuſmodi fulguritum, quis non deceat horror? Quæ ſollicitudo & diligentia, vt procuret (quod ſemper in hoc genere licet,) malum impendens, retorqueatque vibratam in ſe dexteram, eius ad quem attinet ſic tangere? Arceri ab impuriſſimis Gentilium ſacris, inter magna bona habendum potiùs fuit, quàm numerandum in ſuppliciis ac pœnis. At prohiberi ſacris Chriſtianis, & adiunctã ei prohibitioni conflugem malorum in ſe deriuare, eo maius eſt damnum, eóque maiorem horrorem debet incutere, quo eſt rerum noſtrarum ſanctitas, non auctior modò, ſed etiam ſola vera, ſola probanda. Ita rectè intulit Nicolaus Grauatius in notis ad l. 2. Octauiani Veſtrij c. 4. *in fine.* ruborem Chriſtianis excommunicationem minùs verentibus iniiciens, exemplo Ethnicorum, ſuam qualemcunque excommunicationem adeò extimeſcentium. Specialiter verò Gallos ex tanto Ethnicorum Gallorum horrore ad vmbram excommunicationis, debere in hac parte excitari, dicit Gul. Benedictus ad cap. *Raynutius.* de Teſt. §. *mortuo teſtatore.* num. 284.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Quare excommunicationis horror inter Chriſtianos obſoleuerit, cauſæ ex parte plebis fidelium.

1. CVM tanta támque atrocia ſint excommunicationis Chriſtianæ damna, quanta hactenus enumeratione & expenſione eorum euicimus, prolatíſque ſacris teſtimoniis, & prudentum exemplis teſtatum dedimus, non mediocris ſuboritur admirationis materia, vnde apud pleroſque Chriſtianorum, tantus nunc neglectus excommunicationis exiſtat, quantum paſſim experimur. Non pauci enim, non ſecùs commouentur ad intentationem excommunicationis, ac ſi vanum id eſſet terriculamentum, ac fulmen brutum. Neque id recens malum eſt, aut natum nunc primùm. Iam olim ita queſtus eſt de æuo ſuo Theophylactus 2. Theſſalon. 3. Item Hoſtienſis in ſumma tit. de malef. hæc verba habet. [Noſtris temporibus, plus timetur pœna quinque ſolidorum, quàm excommunicatio.] Quod ipſum habet Ioan. de Anania ad c. *ſtatuimus*, eodem tit. Tantæ abuſionis cauſas aliquas dum exquiro, quædam occurrunt tenentes ſe ex parte fidelium, quædam ex parte Præſulum per quos excommunicatio vibratur. De vtriſque, ſeorſim agendum eſt.

Neglectus excommunicationis, cauſæ variæ ex parte plebis fidelium.

2. In priori ſerie quam hoc capite exequar, ea in primis cauſa occurrit, quod deficiat fides in terra, iuxta illam Chriſti prænunciationem, *Filius hominis veniens, putas inueniet fidem in terra?* Sicut ergo fidei veræ, magna parcitas futura eſt in ſecundo Chriſti aduentu, ita anterioribus quoque temporibus, quo magis orbis vergit in ſenium, & ad Chriſti aduentum in mundi clauſula ſecuturum propiores ſimus, ſenſim in pleriſque fides minuitur ac deficit. Porrò fidei defectum, ex quo & iſta contemptio ſuper Eccleſiaſticos principes ac eorum gladium effunditur, & innumera alia mala conſequuntur, triplicem ſtatui poſſe animaduerto.

I. Fides deficiens, aut mortua.

Primus defectus fidei is eſt, vel quo fides præhabita abſceſſit, vt contingit in hæreticis & Apoſtatis, vel quo fides deeſt per meram priuationem abſque connotatione anterioris fidei, qui defectus locum habet in aliis infidelibus. Sæpiſſimè ad hunc fidei defectum deducit impietas, & vita à fidei veræ profeſſione diſſentiens, vt mox dicam. Ad primum hunc defectum, vnde contemptus rerum Eccleſiæ, & nominatim animaduerſionum eius exiſtit, reducenda eſt diuturna cum perſonis vera fide deſtitutis, præſertímque hæreticis conuerſatio; quæ ſenſim ſine ſenſu, perſimilem ei quæ illos occupat rerum omnium ſacrarum contem

contemptionem ingenerat, id quod in regionibus hæreſi fermentatis, palpabiliter deprehenditur. Et iam olim S.Bernardus ſcribens ad Principem Toloſanum, idem obſeruarat de oris ei Principi ſubiectis,vt refertur in ſancti viri rebus geſtis lib.3. c.5. Affirmat enim regiones illas ex conſuetudine cum Henrico hæretico excucullato, didiciſſe nihili pendere ſacra omnia, & nominatim Eccleſiaſticam excommunicationem.

3. Secundus fidei defectus,ex quo item ingeneratur neglectus excommunicationis,conſiſtit in morte fidei. Eſt enim quædam fides mortua, quæ vera quidem fides eſt,ſed frigens & exanimis ob excluſam charitatem, quæ eſt fidei veluti anima, qua abſcedente, tametſi perſtat fides ſubſtantialiter vera, tamen non viuit,ſed mortua iacet, quippe deſtituta charitate, per quam animatur atque formatur. Et ita accidit, quoties quis fide præditus peccat mortaliter,alio peccato quàm infidelitatis. Proptereáque S.Iudas, vocauit hæreticos, arbores bis mortuas. Nimirum quia & mortui ſunt per excluſionem primæ vitæ ſupernaturalis, hoc eſt fidei;& mortui inſuper ſunt,quia carent vita charitatis, quo poſteriore mortis genere, mortui item ſunt fideles qui mortaliter peccarunt, & fidei ſuæ exanime cadauer circumferunt.At quia fidem retinent, non ſunt bis mortui, ſicut hæretici, ſed ſemel duntaxat.Varij enim ſunt ſupernaturalis vitæ gradus, in eodem ſubiecto ſeparabiles, ita vt quis nunc infimum duntaxat vitæ gradum, nunc & illum & ſuperiores, poſſit habere; quod in vita naturali non contingit. Non enim poteſt quis retinere ſolum gradum vitæ vegetantis, abiecta ſenſitiua & rationali, quia

vna & eadem phyſica entitas animæ rationalis, confert homini omnes illos ſubſtãtialis vitæ gradus; confert inquam formaliter, & ſuæmet entitatis communicatione: Vnde impoſſibile eſt, vnum abſque alio conferri. At gradus prædicti vitæ ſpiritualis, per diuerſas phyſicè formas, charitatem inquam ac fidem conferuntur; ac proinde ſicut fides poteſt ſeorſim à charitate conſiſtere, ita & vita per fidem collata, poteſt reperiri abſque gradu vitæ ſupernaturalis, collato per charitatem: quamuis non viceuerſa, ob neceſſariam fidei tanquam fundamenti præſuppoſitionem, ad reliquam omnem ſupernaturalem vitam. Accommodatum in hanc rem exemplum, peti poteſt ex falſa illa ſententia, quæ tres realiter diſtinctas animas homini aſſignat, quarum quæ ſuperiores ſunt, inferiorem eſſentialiter præſupponant, non è contrario. Cum igitur ſola charitas abſcedit, anima ſemel tantùm moritur ab amiſſam vitam ſupernaturalem primariam & perfectiſſimam. Cum verò fides quoque perit, anima fit bis mortua, abſceſſu illius inferioris vitæ, cuius abſceſſus intentari videtur ei cui dicitur, *Confirma cætera quæ moritura erant*. Iam quippe mortua erat in illo charitas, & periculum impendebat, ne veniretur quoque ad mortem fidei. Nam fides viuifico charitatis calore deſtituta, ſæpè non friget modò, ſed etiam riget, ac perit: atque ita homo fit bis mortuus, & quæ moritura erant, quia non confirmantur, emoriuntur. Non abhorret ab ea expoſitione S. Gregor. 3. p. paſtor. admonit. 35. diſputans contra ſegnitiem, inducentem alium quendam fidei defectum, de quo mox. Inſigniter verò idem S. Gregor. 25. moral. c. 13. tractans illud, *quaſi impios percuſſit eos in loco videntium*, rem hanc

hanc vniuerſam expoſuit. *Impios* enim interpretatus, non quoſlibet peccantes, ſed infideles qui à pietatis regione ſeparantur, & in iudicio non reſurgunt, quia qui non credit, iam iudicatus eſt; addit, locum videntium eſſe Eccleſiam, de qua Exodi 33. ad Moſem dicitur, *eſt locus penes me, & ſtabis ſupra petram; cum trãſiet maieſtas mea, auferam manum meam, & videbis poſteriora mea.* Nimirum quia in Eccleſia, poſt Chriſti ad cœlos magnificentiſſimum tranſitum, ablata Dei manu obtegente Iudæorum oculos, potuit Chriſtus iam tranſgreſſus agnoſci à Iudæis. In hoc igitur loco videntium, aliqui percutiuntur quaſi impij, quia inter fideles numerus ſunt, reuera autem perinde ſe habent ac bis mortui. [Ibi quippe ſtabãt, (inquit S. Gregorius ſupra cap. 14.) vbi videre Deum videbantur. Ibi tenebras dilexerunt, vbi lumen veritatis aſpicitur. Et quãuis apertos habuerunt oculos in fide, tenuerunt tamen eos clauſos in opere. Vnde benè & de Iudæa dicitur: *ſpeculatores eius cæci*, quia videlicet non videbant opere, quod profeſſione cernebant. Vnde etiam de Balaam ſcriptum eſt, *qui cadens, apertos habet oculos.* Cadens quippe in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione. Ita ergo hi etiam oculos aperientes in fide, & non videntes in opere, intra Eccleſiam poſiti pia ſpecie, extra Eccleſiam inuenti ſunt impia conuerſatione. De quibus aliàs benè ſcriptum eſt; *vidi impios ſepultos, qui cum adhuc viuerent, in loco ſancto erant, & laudabantur in ciuitate, quaſi iuſtorum operum.* Multos enim peſte propriæ prauitatis obſeſſos, ſub Chriſtiano nomine, ipſa tranquillitas Eccleſiaſticæ pacis abſcondit: quos tamen ſi leuis perſecutionis aura pulſauerit, mox extra aream, velut paleas tollit.]

4. Neque metaphoricè tantùm, aut per proportionem aliquam, ſed reipſa eo non rarò deuenitur per vitam exlegem & fidei moribus contradicentem, vt tandem fides ipſa abiiciatur, deriuata facilè à voluntatis vitio, corruptela ad intellectum. Quod egregiè ibidem c. 15. proſequitur S. Gregorius, ex quo medullatiſſimæ diſputationis partem iuuat apponere. Sic igitur ſcribit. [Nonnulli fidem medullitùs tenent, ſed viuere fideliter nullatenus curant. Inſequuntur enim moribus, quod credulitate venerantur. Quibus diuino iudicio ſæpè contingit, vt per hoc quod nequiter viuunt, & illud perdant quod ſalubriter credunt. Inceſſanter namque ſe prauis actionibus polluunt, & ſuper hoc vindictam iuſti iudicij retribui poſſe diffidunt: Et ſæpè cum benè viuere negligunt, etiam perſequente nullo, vſque ad perfidiam dilabuntur. Nam qui imminere diſtrictum iudicium non credunt, qui inultè ſe peccare ſuſpicantur, quo pacto vel eſſe, vel dici fideles poſſunt? fidem quippe perdidiſſe, eſt incorrectis malis operibus, digna ſupplicia reddi poſſe non credere? Quia ergo digna fidei opera ſeruare contemnunt, etiam fidem perdunt, quam tenere videbantur. Super quos benè per Prophetam ſub Hieruſalem ſpecie inimicorum deſtruentium verba memorantur, à quibus ſcilicet dicitur; *exinanite, exinanite vſque ad fundamentum in ea.* Paulus quippe ait; *fundamentum aliud, nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus IESVS.* Inimici ergo deſtruentes, vſque ad fundamentum Hieruſalem exinaniunt, quando peruerſi ſpiritus à corde fidelium, deſtructo priùs ædificio boni operis, ſoliditatem quoque exhauriunt religionis. Sicut enim ſupra fundamentum

mentum fabrica, ſic ſuper fidem opera conſtruuntur. Vſque ad fundamentum ergo exinaniuiſſe, eſt euerſo benè viuendi opere, etiam robur fidei diſſipaſſe. Hinc etiam ad Iudæam per Hieremiam dicitur: *Filij quoque Mempheos, & Taphneos, conſtuprauerunt te vſque ad verticem.* Vſque ad verticem quippe conſtuprari, eſt poſt malæ operationis vſum, etiam in ipſa fidei ſublimitate corrumpi. Cum enim nequiſſimi ſpiritus, vniuſcuiuſque animam in prauis operibus inuoluunt, ſed integritatem fidei vitiare non poſſunt, quaſi adhuc interiora membra polluunt; ſed ad verticem non pertingunt. Quiſquis autem in fide corrumpitur, iam vſque ad verticem conſtupratur. Malignus enim ſpiritus, quaſi ab inferioribus membris vſque ad ſumma pertingit, quando actiuam vitam polluens, caſtam celſitudinem fidei, diffidentiæ morbo corrumpit. Quia igitur cuncta ex humanis oculis abſconſa ſunt, ſed diuinis obtutibus patent, & multi in hac domo fidei ſine fide moriuntur, dicatur rectè, *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium.* Pios enim ſe in Eccleſia hominibus oſtendunt, ſed quia diuina iudicia latere non poſſunt, quaſi impij feriuntur.] En qua ratione, à fide mortua, ad fidei excluſionem omnimodam fit progreſſio, quantúſque ſit nexus inter duos primos fidei defectus hactenùs propoſitos.

Vel etiam, dormiens.

5. Eſt tertius quidam fidei defectus, minùs quidem in ſpeciem horridus, reuera tamen admodum periculoſus. Is nimirum, quo enerues nonnulli, etiamſi interdum fidem charitate animatam atque adeò vi-

uam ad tempus retinent, tamen præ incogitantia & inconſideratione, non ſecus reputant fidei myſteria, ac ſi iis non aſſentirentur. Perinde enim cum iis circa fidei dogmata agitur, ac cum incontinentibus circa naturalia lumina de amplexanda virtute, & vitio declinando, quæ Ariſtoteles 1. Ethic. tametſi ſplendentia & perſpectu facilia, ab incontinentibus tamen non ſecùs perſpici ait, quàm ab ebrio carmina Empedoclis. Quiſquis enim prauè agit, ſi motiua à peccato retrahentia, quæ illi vtcunque in mentem veniunt introſpiceret, haud dubium quin peccato abiecto honeſtati adhæreret. Sed quemadmodum ebrius, inſignem Empedoclis poëſim, præ ebrietate ita effutit, vt ad eius concinnitatem non aduertat, niſi perfunctoriè & oſcitanter, ita quiſquis à recto exorbitat; incentiua virtutis & amuleta peccati; cogitationes inquam ſalubres quibus de honeſti amore & turpitudinis odio docetur, tam tenuiter attingit, vt non retrahatur ab improbitate, nec impellatur ad bonum. Quod ergo de ſignato ſuper nos lumine vultus Dei, id eſt de naturalibus principiis practicis mores conformantibus aiebat Philoſophus, locum item habet circa fidei myſteria & veritates ſupernaturales à Chriſto reuelatas, quas multi per incogitantiam veluti tenebreſcere ſinunt. Et valet quidem id maximè in peccatoribus: habet tamen etiam locum in iuſtis remiſſioribus iuſto, nec vtentibus vt par eſſet, largitate diuina quam ſunt experti.

6. Status iſte, non abs re, conformiter ad pleraſque Scripturas vocari poteſt, *fidei dormientis:* non dormitione mortis, (quanquam & hoc habita ratione periculi pronunciat S. Bernardus ſerm. 2. de reſurr.

Dom.

Dom.*initio*,) ſed dormitione ſomni.Diſertè id tradit S.Cyprianus l.de lapſis num. 16.tractans cauſam permiſſæ à Deo vexationis Eccleſiæ per Ethnicos. [Dominus (inquit) probari familiam ſuam voluit,& quia traditam nobis diſciplinam pax longa corruperat, iacentem fidem,ac penè dixerim dormientem, cenſura cœleſtis erexit.] Aperit continenter longa oratione, qualis ſit ea fidei dormitio ; expoſito deterrimo ſtatu in quem prolapſi præ ſocordia erant Chriſtiani, dum fidem velut in theca reconditam ſeruantes,non exercebantur ad operandum ex eius præſcripto.Idem lib. de mortal num.8.hanc fidei ſeparationem,infidelitatis cuiuſdam ac perfidiæ inſimulat. Queſtus enim quod Chriſtiani ægrè hinc excederent graſſante peſte, docénſque eam affixionem ad terrena, magnam continere cæcitatem, ſubdit ; [Hoc autem fit, fratres dilectiſſimi, quia fides deeſt ; quia nemo credit vera eſſe, quæ promittit Deus, qui verax eſt : cuius ſermo, credentibus æternus & firmus eſt.Si tibi vir grauis ac laudabilis,aliquid polliceretur, haberes vtique pollicenti fidem, nec te falli aut decipi ab eo crederes, quem ſtare in ſermonibus atque in actibus ſuis,ſcires: Nunc Deus tecum loquitur : & tu mente incredula perfidus fluctuas ? Deus de hoc mundo recedenti tibi, immortalitatem atque æternitatem pollicetur, & tu dubitas?Hoc eſt Deum omnino non noſſe:hoc eſt Chriſtum,credentium Dominum & Magiſtrum,peccato incredulitatis offendere.Hoc eſt,in Eccleſia conſtitutum,fidem in domo fidei non habere.]Idem Cyprianus l.de vnitate Eccleſiæ num.76.imitatus,vt ſolet, Tertullianum l.de habitu muliebri cap. 1. eodem modo,originem malorum Eccleſiam prementium,refert

fert in hunc fidei ſomnum. [Sic in nobis (inquit) emarcuit vigor fidei, ſic credentium robur elanguit; & idcirco Dominus tempora noſtra reſpiciens, in Euangelio ſuo dicit: *Filius hominis cum venerit, putas inueniet fidem in terra?* Videmus fieri, quod ille prędixit. In Dei timore, in lege iuſtitiæ, in dilectione, in opere, fides nulla. Nemo futurorum metu cogitat diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura ſupplicia & ſtatuta perfidiæ æterna tormenta nemo conſiderat. Quod metueret cōſcientia noſtra, ſi crederet, quia non credit omnino, nec metuit. Si autem crederet, & caueret: Si caueret, euaderet. Excitemus nos quantum poſſumus dilectiſſimi fratres, & ſomno inertiæ veteris abrupto, ad obſeruanda, & gerenda Domini præcepta vigilemus.]

7. Saluianus frequentiſſimè idem iterat, ſed tam ſæpè, & tam prolixè, vt loca aliqua ſignaſſe nullo recitato debeat ſat eſſe. Lib. 3. de prouid. *non multum ab initio*, fusè confirmat magnam Chriſtianorum partem defectu cuſtodiæ mandatorum Dei, eſſe infidelem. Egregiè idem tradit initio libri quarti. Ac denuo lib. 2. ad Eccleſ. *ſub medium*, vbi infidelitatem omnium penè Chriſtianorum, colligit ex tam flaccida, támque imbecilla ſpe eorum in Deum. Ibidem, *ſub finem libri tertij*, hoc ipſum præclarè proſequitur, rursúſque ibidem lib. 4. *ſub finem.*

S. Auguſtinus, non eſſe fidem quæ ita torpet, pulchrè in hunc modum tradit ſerm. 237. de temp. [Difficile eſt, vt malè viuat qui benè credit. Credite ex toto corde, credite non claudicantes, non hæſitantes, non contra ipſam fidem humanis ſuſpicionibus argumentantes. Fides appellata eſt, ab eo quia fit quod dicitur.

dicitur. Duæ ſyllabæ ſonant cum dicitur *fides*. Prima ſyllaba, eſt à facto. Secunda, à dicto. Interrogo ergo te, vtrum credas: dicis, *Credo.* fac quod dicis, & fides eſt.]

8. Sed inſigniter Petrus Damiani, ad finem ſermonis de S. Anthimo, qui tametſi paulo diffuſiùs in hanc rem diſſerit, tamen ſenſorum grauitate damnum prolixitatis penſat. [Quorumdam planè (inquit) fides eſt vana, flaccida, prætẽdens quidem in ſuperficie ſimilitudinem, non autem habens intrinſecùs veritatem. Horum porrò tenuêre figuram, qui olim de populo Ephraim venientes ad vada Iordanis, dum neſcirent exprimere *Scibboleth*, ſed *Sibboleth* potiùs tanquam peregrina lingua proferrent, Galaaditarum gladiis cæſi ſunt. Quid enim per Iordanem in quo Saluator noſter baptizari dignatus eſt, niſi baptiſmus? quid verò per *Scibboleth* quod interpretatur *ſpica*, niſi fides, eſt intelligenda? ſicut enim ſpica victum præbet hominibus, ita & de fide dicitur, *quia iuſtus ex fide viuit.* Et ſicut ſpica, multa in ſuis ariſtis grana recondit, ita & ſymbolum noſtræ confeſſionis, plurima in ſe fidei ſemina colligit. Venientes itaque ad Iordanem Ephratæi, conſuluntur à Galaaditis quomodo ſpicam exprimant. Venientes etiam ad baptiſmi lauacrum, Catechumeni, inquirũtur à Sacerdotibus qualiter credant. Et quoniam Galaad interpretatur *aceruus teſtimonij*, rectè per Galaaditas, Sacerdotes Eccleſię intelliguntur: quia prædicationibus ſuis, opera diuina teſtantur. Per Ephraim verò, qui *fœcunditatem* ſonat, illi deſignantur, qui idcirco ad fidei perueniunt ſpicam, vt prouentum fœcunditatis per boni operis ſegetem proferant. Sicut ergo ij qui ad Iordanem veniunt,

niunt,ſpicam quidem intelligunt,ſed quia exprimere neſciunt moriuntur; ita & qui fontem baptiſmatis excutiunt, à vita funditus decidunt,niſi fidem ipſam quam edocti ſunt, credere ſtuduerint,etiã bonorum operum enunciatione proferre, ita nimirum alterum pendet ex altero, vt ſemen fidei exurgere debeat in ſpicam operationis. Quod & Saluator noſter euidenter oſtendit: nam cum præciperet diſcipulis ſuis dicens. *Ite,docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, protinus addit, *docentes eos,ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis*. Ac ſi apertè dicat: ſemen fidei in cordibus hominum ſerite,& mox mandatorum germinantium ſpicam qualiter operationis lingua exprimere debeant, edocete, ne ſolœciſmum faciant in ſpica operis,qui ſe de monte Ephraim, hoc eſt de celſitudine eſſe teſtantur Eccleſiaſticæ fœcunditatis. Quapropter dilectiſſimi,caueamus,ne fides noſtra ſuperducto nos ſolius profeſſionis colore decipiat, & tanquam inanis ſpica, vacãtibus culmis,abſque dilectionis medulla folleſcat.] Mox hortatus ad fidem veram,ſolidam,ac robuſtam, ſupponit hanc fidem infirmam, non eſſe fidem abſolutè veram. Similitérque Origenes homil. 9. in Ezech. ad illud, *mater tua Cethæa*, diſertè tradit omnem peccatorem, fieri procul à fide & euadere in fratrem hæreticorum atque Gentilium,illud inter cætera velvt effatũ adhibens, [malè credit, quicunque peccat.] id eſt,iuxta Origenis mentem;non credit,qui peccat.

Quem fidei defectum,exprobrent paſſim PP.

9. Non eſt tamen ſenſus horum Patrum, Chriſtianos

ſtianos quos increpant, à fide excidiſſe: ſed tantùm ſignificare voluerunt, ſocordiam illam & dormitationem fidei, quam expreſſimus. Is quippe veluti ſopor fidei, cum ſit mortis germanus, vt de corporeo ſomno ait Poëta, habet aliquam mortis ſpeciem reſpectu fidei & gratiæ. Vt propterea Apoſtolus 2. Timot. 1. ad fidei excitationẽ adhortãs Timotheũ, dicat, *admoneo, vt reſuſcites gratiã Dei quæ eſt in te.* En *reſuſcites*, quod Græcè eſt ἀναζωπυρεῖν: & propriè denotat, ignis inter cineres ſopiti ac veluti emortui redaccenſionem per folles & flabella, vt ibi S. Chryſoſt. & Theodoret. obſeruarunt. Æquè S. Petrus 2. epiſt. c. 1. laborat in ſuſcitanda per commonitionẽ ſyncera mente Chriſtianorum, quæ *ſuſcitandi* vox, & mortuo cùm ad vitam, & dormiẽti cùm ad vigiliam reuocatur, communis eſt, belléque exprimit ſtatũ fidei, ſiue in peccatore mortuæ, ſiue in iuſto dormitantis. Peccator fidelis, eſt ex eorum número quos Dauid Pſal. 87. vocat *vulneratos dormientes in ſepulchris, quorum Deus non eſt memor ampliùs, & ipſi de manu eius repulſi ſunt.* Sic enim D. Auguſtinus in Pſal. 67. ad illud, *qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris*, interpretatur eam in ſepulchris dormitionem. Eſt ſtatus ille planè infeliciſſimus, quippe quo homo diſponitur, vt à mandatis Dei repellatur. In quam rem egregiè planè diſſerit S. Ambroſ. in Pſal. 118. ad illud, *ne repellas me à mandatis tuis.* Iſaias c. 51. eam repulſam, ſiue proiectionem procul à Deo, coniungit cum dormitione: dicens, *filij tui proiecti sũt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx illaqueatus, pleni indignatione Domini.* 70. voces primigenias non per orycem illaqueatum expreſſerunt, ſed per betam ſemicoctam. Quam interpretationem ratam

tam

tam ibi habens S. Hieronymus, malos ait eſſe betas crudas: fideles verò dormitantes, ait eſſe betas ſemicoctas, quæ proiiciuntur & euomuntur: additque eos qui huiuſmodi ſunt, repleri indignatione Domini, ob illam Deo exoſam ſomnolentiam. Chaldæus, pro oryce illaqueato, & beta ſemicocta, vertit *lagenam fractam.* Quæ interpretatio, æquè fert quantum ſit in ſpirituali dormitatione vel diſpendium, vel periculum. Effluit enim ex dormitante, quicquid infuderis ſpiritualis laticis. Proptereàque Apoſtolus Hebr. 2. ſic hortabatur fideles. *Abũdantiùs oportet obſeruare nos, ea quæ audiuimus, ne fortè pereffluamus.* Id eſt ne euadamus vaſa rimoſa, per quæ liquor immiſſus effluit & elabitur. Idque dormitantibus contingere, deprehendere inde licet, quod Pſal. 118. vbi nos legimus, *dormitauit anima mea præ tædio*, S. Ambroſ. ibi ſerm. 4. verſ. 4. legit cum Origene, *Stillauit anima mea*, quod de vaſe pertuſo ac rimoſo, propriè dicitur.

Contemptio excommunicationis ex fidei oblæſione, concluditur.

10. Propoſui ſigillatim omnes hos fidei defectus, & vniuersè attigi quàm ſint damnoſi & exitiales, vt ſigillatim hîc delaberer ad primam, & quantum arbitror, primariam cauſam contemptus excommunicatiónis. Verè enim præcipua & frequentiſſima ratio, cur in pleriſque fidelibus is contemptus cernatur, aut cur inſenſibiles propè videantur cum ſe vel alios excommunicatione percelli audiunt, inde peti debet, quod fides illos aliquo ex prædictis modis deficiat. Et olim quidem, cùm ij qui excommunicabantur, de-

debantur

debantur Satanæ corporaliter, & ab eo immaniter vexabantur, non erat operoſum fidem circa hoc negotium ſuſcitare, & prohibere dormitatione. At nũc, quia ea exterior noxiorum cruciatio ferè ceſſauit, ſpiritualia verò diſpendia, (tametſi longè grauiora,) quæ per excommunicationem inferuntur, non incurrunt in ſenſus, faciliùs obrepit languor ille, ac veluti marcor diuinæ fidei, qua docemur exſertionem gladij Eccleſiaſtici per excommunicationem, ei qui ſapiat, ſupra omnia corporea mala formidandam & extimeſcendam eſſe. Itaque magna hîc neceſſitas exſuſcitandæ fidei.

II. Defectus charitatis.

11. Aliam cauſam cur obſoleſcat inter Chriſtianos horror excommunicationis, ducere licet ex proportionali defectu charitatis. Affert hanc cauſam S. Chryſoſtomus homil. 5. in 2. ad Theſſal. ad illud, *Gratia D. N.* Iesv Christi *cum omnibus vobis*. Præfatus enim, tempore Apoſtoli valdè horrendum fuiſſe excommunicari, pleroſque tamen poſteriorum Chriſtianorum non magnum exiſtimare quod communione Chriſtiana priuentur, ſubdit. [Cauſa autem & vndenam erat hoc tunc terribile? Quoniam eſſe cum eis magnum bonum exiſtimabatur. Quomodo enim qui vnam domum habitant, & ſunt in vnius Patris poteſtate, & vnius menſæ ſunt participes, ita tunc habitabant in vnaquaque Eccleſia. A tanta ergo excidiſſe charitate, quantum erat malum? Nunc autem nihil videtur eſſe magnum, propterea quod nec magnum quidpiam eſſe exiſtimatur, quando ſimul inter nos fuerimus

fuerimus coniuncti. Sicut tunc erat inſtar ſupplicij: hoc autem vſu venit, propterea quod valdè refrixerit charitas, & hoc nunc fit abſque ſupplicio, & temerè alter ab altero ſeparatur, idque præ algore charitatis. Malorum enim omnium cauſa eſt, quòd non ſit charitas. Hæc omnia Eccleſiæ bona honeſta ac præclara, propter quæ exultare oporteret, deſtruxit ac deleuit.] Planè ſi fideles agnoſcerent, & prout debent, magni facerent, & diligerent inſignia bona vnitatis Chriſtianæ, de quibus actum ſupra eſt quantum ſatis, horrerent ſeparari à communitate: nec ferrent eſſe *filij ſubtractionis*, vt Apoſtolus ad Hebr. 10. loquitur. Amor autem ille bonorum Chriſtianam vnitatem affectantium, ad charitatem reducitur. Itaque rectè S. Chryſoſtomus, neglectæ à pleriſque excommunicationis cauſam, refert ad defectum Chriſtianæ charitatis, quæ ſi adeſſet plena ac feruens, vrgeret ad amorem vnitatis; & horrorem abiunctionis ac ſeparationis à communi cœtu, ingeneraret.

III. Vſus aſſiduus cum excommunicatis.

12. Occurrit tertia eiuſdem contemptus cauſa ad hanc ſeriem pertinens, hoc eſt ex parte plebis fidelium ſe tenens. Hanc cauſam cenſeo eſſe frequentiſſimam. Exiſtimo igitur vſum quotidianum cum excommunicatis, & cum iiſdem familiaritatem, præſertim poſt Concilium Conſtantienſe inductam, plurimum remiſiſſe de horrore, quo olim fideles, audito excommunicationis nomine percellebantur. Non ſugillo aut vellico indulgentiam ad vitanda animarum pericula ab Eccleſia conceſſam, vt liceret cum

excommunicatis communicare, niſi vel denunciati eſſent, vel notorij percuſſores Clericorum. Grauiſſimæ enim cauſæ, eam benignitatem ab Eccleſia extorſerunt. Itaque tantùm abeſt vt Eccleſia reprehendi poſſit, vt potiùs ſummè collaudanda ſit ob eam conceſſionem. Tamen quia per rem bonam, plerunque adduci ad malum contingit, vt Apoſtolus etiam deplorat, dicere ſimiliter licet, vitio noſtro conceſſionem Eccleſiæ de licita cum excommunicatis propè omnibus communicatione, & relaxationem antiqui ea in parte rigoris, præbere nobis occaſionem minùs horrendi ad nomen excommunicationis. Quotidie enim occurrunt qui ſint excommunicati non vitandi, cum quibus aſſiduè verſantur cæteri. Et cum aliunde ſæpè non appareant adeò peruerſi, ac plerique non excommunicati; imo videantur quibuſdam naturalibus dotibus, aut etiam virtutibus purè moralibus, ſupra cæteros antecellere, minuitur in cæteris horror excommunicationis; qua implicitos homines, ſic viuere, & agere non illaudabiliter, deprehendunt. Simile eſt quod in hæreſi cernimus. Eſſe enim hæreſim verticem quendam criminum, confirmant optimè, S. Thomas 2.2.q.10. artic. 3. Conradus Brunus l. 2. de hæreticis, Caſtro l.1. de iuſta hæretic. punit. c.2. Lenſæus lib.13. de Chriſt. libert. cap.11. Romæus in Caluini effigie, monitione ad lectorem, & fortiſſimè ac pleniſſimè Stapletonius, oratione de grauitate peccati hæreſeos quæ habetur ad calcem Operis de principiis, vbi hæreſim idololatriam quandam eſſe, & in Atheiſmum deſinere, multorum Patrum luculentis teſtimoniis docet. Inde illa hæreticorum apud veteres abominatio, tantúſque cum eis vel colloquendi

horror. Eum nunc horrorem in his temporum fæcibus,planè exterminauit in magna Europæ parte,vſus aſſiduus cum hæreticis;quos fideles,dum quibuſdam perſonatarum virtutum veluti laruis obductos vident,horrere dediſcunt. Idem igitur proportione ſeruata contingit, quoad horrorem excommunicationis.

Omittendam cenſeo cauſam aliam contemptus excommunicationis,quam profert & refellit S. Odo l. 1.collat.cap.19. nempe ſcandalum malè conceptum à populis ex informi vita Paſtorum. Hanc inquam cauſam volo prætermiſſam: Tum quia nunc per Dei benignitatem, Eccleſia non idolis,ſed Paſtoribus abundat:Tum etiam quia neminem latet oraculum Chriſti de non attendenda vita,ſed munere mali Paſtoris. Diſſero ea de re plenè in calce Commonitorij de rectione humana ad diuinam conformanda.

CAPVT XIX.

Cauſæ, neglectæ excommunicationis, tenentes ſe ex parte Præſulum per quos vibratur.

1. SEries altera cauſarum è quibus neglectus excommunicationis promanat, continet cauſas ſe tenentes ex parte Prælatorum excommunicationem ferentium.

Neglectus

Neglectus excommunicationis,cauſa ex parte Prælatorum.

I. Vibratio eius pro minimis.

Vna in hoc genere eſt propè quotidiana, quod pro rebus exigui omnino momenti vibrant excommunicationem, vnde eius apud populum depreciatio conſequitur. Notauit hoc iampridem Petrus Bleſenſis epiſt.73. [Culpis (inquit) noſtris exigentibus,gladius Petri, rubigine obductus eſt:& quia non poteſt incidere, datus eſt in contemptum. Si capra, ſi ouicula furto ſublata ſit,vel occiſa,in huius rei autorem, ſi lateat, ſententia excommunicationis emittitur.] Non diſſimiliter Gerſo p.2.in quodam ſermone habito in Concilio Rhemenſi partitione 2.generali conſiderat. 2. prouiſione 2. deplorat, quod contra Chriſti mentem, excommunicationes pro rebus nihili intorqueantur. Et ſubiungit. [Nunc apud quoſdam talis regnat ſtoliditas, qualis apud illum, qui vt muſcam abigeret à fronte proximi, ictu ſecuris excerebrauit eum. Itaque temporalis incommoditas, vix reputari debet muſca pungens, per reſpectum ad æternam ſalutem,quam auferunt aliquando percuſſiones iſtæ per excommunicationes grauiſſimas; quæ vt in aliquem ceciderint, vix abiici poſſunt; trahentibus de vna in aliam lupis curiæ rapacibus.] Eadem ſimilitudine in hanc rem vſus eſt Maior in 4. d. 18. q. 2. concluſ. 2. Præterea eandem excommunicationis vſurpationem pro rebus nullius momenti,damnant admodum acriter,Gabriel lect.26.in Canon. *litera O.*& Dominicus

Soto in 4.d.22. q.1.artic.2. Videóque paſſim graues DD. agnoſcere peccatum mortale in hac excommunicationis vibratione pro rebus parui momenti. Ita Ledeſma 2.4. q.23. Salon.& Bañes 2.2.q. 66. artic.6. Iacobus de Graffis p.1. deciſ.l.4. c.7.num.9. Sayrus l. 1.de cenſur.cap.9.num.8. Lazarius ſect.1.q.12.num. 5.& paſſim alij. Quod iudicium non poteſt videri aut nimis rigidũ,aut ſcrupuloſum. Reuera enim, materia de qua agitur, eſt valdè grauis, & ex ea exiſtunt cum alia magna dãna,tũ nominatim depreciatio excõmunicationis. Itaque non eſt dubium,quin hęc prolapſio poſſit ſufficere ad conſtituendum mortale peccatum, quantum eſt ex parte obiecti, & circunſtantiarum.

2. Apertè fuit hæc mẽs S.Leonis Magni epiſt.89.c. 7.cũ dixit. [Nulli Chriſtianorũ facile cõmunio denegetur,nec ad indignantis fiat hoc arbitriũ Sacerdotis, quod in magni reatus vltionẽ inuitus & dolẽs quodãmodo,debet inferre animus vindicãtis. Cognouimus enim, pro cõmiſſis & lenibus verbis, quoſdam à gratia communionis excluſos, & animã, pro qua ſanguis Chriſti effuſus eſt,irrogatione tã ſæui ſupplicij ſauciatã,& inermẽ quodãmodo,exutãmque omni munimine,Diabolicis incurſibus,vt facilè caperetur obiectã.]

3. Inſigni miraculo idipſum cõfirmaſſe S.Antoninũ Archiepiſcopum Florẽtinum,docet Vincentius Maynardus in ſancti viri rebus geſtis c.29.ſic enim ſcribit. [Vt anathematis gladium, in rebus maximè arduis,& quibus non aliter occurri poterat,diſtrinxit,ſic ad leuiſſimos caſus,cũ ſit excõmunicatio pœnarũ maxima, condebat. Ad ea enim iã tẽpora deuenimus, vt ſi quis raſtros,marrã,vel bidentẽ amiſerit,putet ſe non poſſe cõmodiùs, quàm à ſacris excluſione reperturũ. Quibuſdam

buſdã fortè iacturã, neſcio quam, omninò leuẽ paſſis, atque in autores damni anathematis arma flagitantibus, conſtanti pectore, Præſul facturum ſe negauit. Tum inſtantibus ac maximè commotis, quòd deſpici ſe putarent, quantum à recto itinere deuiarent, qui ad minima cenſuris vterentur, huiuſmodi voluit exemplo declarare. Candidus panis in medium allatus, cum anathematis verba in eum maieſtate illa ſua protuliſſet, ſtatim, ſpectantibus illis, in carbonis atredinem eſt conuerſus. Ecquis eſt (inquit) quantumlibet famelicus, qui panem hunc, non dicam deglutire, ſed vel dentibus audeat tentare? Quis ſtatim vel inſpectum, non proiiciat. Quanto peiore conditione, aduerſus animas, cenſuræ laqueo detentas, Deus, cœlites, atque homines ſtomachantur? Abite iam, ac nolite candorem animarum, pro tenui lucello, in tantas ſordes ac nigredinem transformare. Mox nondum profectis, conuerſus ad panem, Heus ait; iſthoc nexu anathematis te libero. Ac ſtatim, quaſi excuſſiſſet atredinem, candore viderunt priſtino renidere.] Vt admiranda fuit S. Præſulis apud Deum gratia, in liberando illo pane ab anathemate ſimilitudinario, cuius tantùm erat capax, hoc eſt ab execratione; ita illa panis per execrationem horrenda deformatio, in eum finem à Deo per ſanctum virum exorata, vt monſtraretur non eſſe excommunicationem in minutias impendendam, appoſitiſſima eſt ad perſuadendum quod hîc intendimus: nimirum, excommunicationem non niſi ex grauibus omnino cauſis eſſe intorquendam, & Præſules qui aliter faciunt, ex eo nominatim capite in ea re delinquere, quod occaſionem rudibus præbeant contemnẽdæ excommunicationis.

Solum mortale peccatum, idonea excommunicationis materia.

4. Verùm quia hac in parte nonnulli iuſto arctiores fuerunt, dum huic licentiæ, excommunicationem quacunque ex cauſa iaciendi, frænos tentant iniicere, videndum eſt quęſit illa grauis materia, ob quam intorqueri poteſt excommunicatio, ita vt non ſit futurum periculum, ne vibrata ob eam materiam obſoleſcat. Et vniuerſim quidem, certum ac ratum apud omnes eſt, excommunicationem non debere intorqueri niſi ex cauſa graui. Quo nomine non eſt intelligenda ea duntaxat materia, quæ ex obiecto & ſuapte natura grauis eſt. Quod enim rectè præter cæteros notauit Petrus Soto lect. 3. de excommun. id non eſt neceſſarium, quin potiùs aliquando Eccleſia iuſtè prohibet quædam, quæ ſuapte natura eſſent innoxia. V.g. ne Clerici barbam nutriant, vel capillitium promittant, aut ne tabernas adeant, vel ne interſint quibuſdam ſpectaculis. Et ex quo Eccleſia grauiter interdicit iſtiuſmodi rebus, eo ipſo induunt grauitatem ſufficientem ad mortale peccatum, cuius ea poterit eſſe deformitas, vt congruè ſub excommunicatione vetetur. Sanè in ſpeciem nihil erat leuius quàm comedere de fructu ligni quod erat in medio Paradiſi, verèque ex ſe ea materia fuiſſet leuis. Tamen interpoſito diuino interdicto, facta eſt grauis, & ſufficiens ad mortalem culpam. Imo digna, quæ illa vmbratili excommunicatione cui Adamus ſubiacuit, plecteretur. Debet ergo materia eſſe grauis, vel ſuapte natura; vel prout ſuperioris vetantis interdicto ſubeſt, ita vt altero

ro ſaltem ex capite ſufficiat ad fundandum mortale peccatum: nam niſi eo vſque pertingat eius grauitas, inepta planè erit, vt ob eam intorqueatur excommunicatio, alioqui pœna excederet culpam. Excommunicatio quippe maior, ſiue ſimpliciter dicta, de qua agimus, eſt pœna grauiſſima. Debet ergo irrogari pro culpa graui, qualem certè conſtat non eſſe culpam mortali inferiorem, cum tam atroci pœna comparatam.

5. Nec reclamant qui excommunicationem quę tantùm eſt ferenda, putant non eſſe ſufficiens indicium mortalis obligationis. Ita Valentia, Petrus Soto, Driedo, Caſtro Palaü, quos profert Diana p. 3. tract. vltimo, reſolut. 76. Hi inquam DD. non idcirco ſentiunt excommunicationem poſſe eſſe de re leui. Sed tantùm affirmant, quoties excommunicatio ferenda eſt eiuſmodi, vt ex mente ſuperioris qui præceptum tulit ſub pœna excommunicationis ferendæ, priuſquàm reipſa infligatur, neceſſaria ſit monitio præuia, tunc non eſſe idoneum argumentum ad probandum quod præceptum ſuperioris obliget ſub mortali, quia latum eſt cum excommunicationis comminatione. Ita rectè autores illos expoſuit Sanchez l. 6. in decalog. c. 4. num. 51. addens num. 52. quamuis interdum Superior eam monitionis ad vibrationem præmittendæ neceſſitatem non expreſſerit, tamen cum materia præcepti eſt valdè leuis, vſum ſapientum ſic interpretari præceptum de ea ſub excommunicatione latum, vt ad excommunicationem reipſa infligendam, præexigatur monitio: ante quam adhibitam, appoſitio illius pœnæ tanquam ferendæ, non habeatur vt certa nota obligationis mortalis ex præcepto illo conſe-

 quentis.

quentis. Hæc autem, nemo non videt rectè cohærere cum eo quod conſtituimus, materiam pro qua excommunicatio infligitur, debere eſſe grauem, & idoneam ad fundandum mortale peccatum. Nam in euentu quoque de quo agunt prædicti DD. materia prout excommunicationem actu emiſſam terminans, grauis erit, quia ob præmiſſam monitionem, interueniet rebellio, & obſirmatio ſubditi, quæ materiæ ex ſe leuitatem ſupplebit, & efficiet materiam grauem, ac ſufficientem ad culpam mortalem, ſuppoſita aliunde præcepti rationabilitate & æquitate, qua de re alibi.

Ratum igitur eſto, excommunicationem non poſſe infligi niſi ob materiam grauem, qualis non eſt, quę non eſt idonea fundare mortalem culpam. Et hæc eſt indubitata omnium autorum ſententia, quam nonnulli Theologi his verbis expreſſerunt, non poſſe quenquam ab Eccleſia excommunicari, niſi priùs ipſe ſeipſum excommunicaſſet minori excommunicatione. Ita Maior in 4.d.18.q.2.in illationibus ex concluſ. 3. & Gabriel ibid. q.2. poſt Gloſſam ad cap. *ſiquidem*, de ſent. excom. Quod pronunciatum iam diſcuſſi cap. 1. & monſtraui non rectè habere quoad aliqua.

At non quodcunque mortale.

6. Neque tamen exiſtimandum eſt, quodcunque peccatum mortale eſſe conuenientem excommunicationis materiam. Id enim meritò diffitentur Soto in 4. d. 22. q.1. artic.2. & Gabr. in 4.d.18.q.2.art.1.coroll.1. ſed neceſſe eſt, culpam eſſe omnino grauem, & enormem. Licet enim verum ſit, quamcunque morta-

lem

lem culpam cui adiungatur inobedientia & contumacia, ſufficere poſſe vt excõmunicatio validè infligatur : tamen perperam & imprudenter, ac diſſentaneè ad ſubditorum fragilitatem, iniretur ea ratio vibrandi excommunicationem. Quare non niſi pro mortali peccato graui, infligenda eſt, ſi accommodata & conueniens eius materia quæratur. Quidam apud S. Auguſtinum l. de fide & oper. c. 19. tria tantùm agnouerunt crimina, in quæ conuenienter ſtringeretur excommunicatio, impudicitiam, idololatriã, & homicidium, de qua ſententia D. Auguſtinus nihil ſtatuit: eſtque haud dubiè falſa, cum ſint præterea aliæ graues culpæ, valdè accõmodatæ, vt puniãtur inflicta excommunicatione, ſi homo in eis obfirmetur. Fuerunt qui ſola peccata contra legem diuinam cenſerent eſſe idoneam excommunicationis materiam: quos meritò reiicit Ayala in Opere de traditionibus p. 3. tit. de excommun. §. *cauſæ excommunicationis*, prolato exemplo S. Clementis, qui epiſt. 2. excommunicat Clericos nimium frequentes in viſitatione mulierum; quamuis ea crebra viſitatio, ſola lege humana vetetur. Nonnulli peccata circa materiam temporalem, v. g. iniuriam furto admiſſam, negarunt poſſe eſſe materiam excommunicationis. Qua ex cauſa, plerique ſectarij concitantur aduerſus Romanam Eccleſiam, decernentem excommunicationes pro reſtitutione ablatorum. Sed eam eſſe indigniſſimam expoſtulationem, ipſi S. Auguſtino expreſsè aduerſantem, monſtratum eſt p. 1. huius Opuſculi, agendo de monitorij materia. Nec ſanè dubitare licet, quin poſſit in eo genere grauis & enormis culpa admitti, quæ dignè & conuenienter arceatur per excommunica-

tionem S.Gregorius l.2.regiſt.indict.10.epiſt. 34. viſus eſt tradere Ianuario Caralitano Epiſcopo, illam iniuriam qua ille ipſe qui excommunicationem vibrare poteſt,violatus ſit,non eſſe conuenientem materiam excommunicationis.Sed mens S.Gregorij dũtaxat fuit, frænare animum ad vltionẽ ſui valdè pro cliuem ; vt ſegniùs & parciùs exurgat ad vltionem propriæ iniuriæ,quàm eius quæ ſit alteri illata.Cæteroqui iuſtè ac rectè poſſe Antiſtites,ſibi & ſuis Eccleſiis irrogatas iniurias excommunicatione plectere, non eſt dubium:& ita rectè Suarez t. 5.3.p.d.2.ſ.4.n. 8. & latè ac plenè Ricciullus lib.4.de iure perſon.extra gremium Eccleſiæ exiſtentium cap.61.

7. Concludo igitur, quodcunque mortale peccatum graue,poſſe eſſe conuenientem materiam pro qua feratur excommunicatio, quantum eſt ex parte grauitatis materiæ, quam nunc conſideramus. Alia enim inſuper requiri ex aliis capitibus, poſtea attingam. Qui verò neglecta hac conditione notabilis grauitatis materiæ, ferunt excommunicationem pro rebus exigui momenti; & ipſi grauiter peccant, vt præmiſi, & excommunicationem vilem faciunt magno Eccleſiæ incommodo; quæ erat prima cauſa neglectus excommunicationis, tenens ſe ex parte Antiſtitum eam vibrantium.

II. Frequentia excommunicandi.

8. Huic cauſæ, in hac item ſerie continens eſt alia,quam notauit Conc. Senonenſe in decretis morum cap.31. & benè exagitat Thomas Illyricus tract. de poteſt.Papæ pag.mihi 103.nimirum quod excommunicationes

municationes nimis crebrò ac frequenter vibrentur. Quam cauſam neglectus excommunicationum, aio eſſe continentem priori; quia ſi excommunicationes ferrentur tantùm pro rebus planè grauibus, manifeſtum eſt quod perrarò & infrequenter ferrentur. Optimum ergo frænum hac in parte eſſe debet, quod materia accommodata excommunicationis, non ſit niſi peccatum planè graue & enorme, quod certè non eſt adeò frequens. Deinde quod vltra notabilem peccati grauitatem, & vt Sotus ſupra adductus, ait, enormitatem, neceſſariæ ſint aliæ quædam conditiones; cum ex parte peccati, tum ex parte peccatoris. Nam peccatum debet eſſe aliquo modo pendens & medicabile. Item debet habere adiunctam rebellionem & contumaciam. Peccator autem debet agnoſci ita affectus, vt meritò ſperari poſſit fructus aliquis ex tam graui coercitione, niſi ſi quando bonum commune in eam neceſſitatem coniiciat, quæcunque ſit ſubiecti diſpoſitio. Ordinariè tamen res ſe habet vt dixi. Hæc igitur ſi à Prælatis attendantur, non eſt dubium quin minuenda ſit excommunicationum frequentia, & auertendus hinc progerminans earum contemptus. Sed ſtabiliamus breuiter tres prædictas conditiones, ne gratis eas aſſumpſiſſe, ad recidendam excommunicationum vbertatem & frequentiam videamur.

Nemo ob culpam prorſus præteritam excommunicandus.

9. Peccatum ob quod excommunicatio infertur, debere eſſe aliquo modo pendens in futurum, videtur

detur perſpicuum. Nam peccatum quod prorſus prætererit, & nulla ratione perſtet, ſaltem quoad obligationem ſatisfaciendi, non eſt idonea excommunicationis materia: alioqui facilè contingeret, vt iam emẽdatus, & paratus Eccleſiam audire, mucrone Eccleſiaſtici gladij transfoderetur, quod conſtat abhorrere à mente Eccleſiæ. Vnde cap. *Romana*. de ſent. excommun. in 6. vetatur excommunicatio pro prætentis culpis. Et idem habetur ex cap. *Si Epiſcopus*. 11. q. 3. & ex infinitis iuribus, quibus mandatur præmittendam eſſe excommunicationi monitionem: quæ certè non adhibetur pro peccato præterito, ſed pro futuro tantùm, eiúſve reparatione. Quare ob peccatum prorſus præteritum, & deinceps nullo modo pendens, non poteſt ferri excommunicatio: quæ eſt communiſſima, cum Theologorum, tum Iuriſperitorum doctrina. Ita ex Theologis Soto in 4. d. 22. q. 1. artic. 2. concluſ. 4. Michael Salon. 2. 2. q. 69. artic. 2. controu. 7. Suarez t. 5. 3. p. d. 4. ſ. 5. Sayrus l. 1. de cẽſur. cap. 9. n. 25. Ex Iuriſperitis verò Nauarrus cap. *inter verba*. concluſ. 6. num. 306. Hugol. tab. 1. de cenſ. c. 9. num. 5. Couar. in c. *alma mater*. p. 1. §. 9. qui alios proferunt. Refragati tamen ſunt Caietanus 2. 2. q. 69. artic. 1. Corduba l. 2. quæſtionarij, q. 27. & Philiarcus 1. p. de offic. Sacerd. l. 3. c. 3. admittentes, ſaltem ſummum Pontificem, poſſe excommunicare pro culpa prorſus præterita, & nullo modo vltrà pendente, ac ne quidem ratione ſatisfactionis pro ea debitæ. Sed non ſunt audiendi: quia Eccleſia non vult ad hoc extremum remedium deueniri, niſi aduerſus planè obduratos, & peruerſos: eáque etiam fuit mens Chriſti concedentis poteſtatem excommunicandi. At tales

non

non ſunt, quorum culpa eſt prorſus præterita, ita vt ne ſatisfactio quidem ſuperſit exigenda. Mirum verò eſt, aduerſarios opponere Apoſtolũ, qui inceſtuoſum Corinthium excommunicauit pro culpa præterita. Aio mirum eſſe id obiici, cùm Apoſtoli verba apertè ferant, miſerum illum quando decreta eſt in eum excommunicatio, adhuc hæſiſſe in volutabro fœdiſſimo, *ita vt* (inquit Paulus) *vxorem patris ſui aliquis habeat*. Adhuc igitur perſeuerabat infame commercium. Et quamuis iam ceſſaſſe admitteremus; reſtabat tamen exhibenda ſatisfactio pro tam enormi turpitudine. Videſis latè verſantem hoc Apoſtoli factum Suarem t.5.3.p.d.3.ſ. 11.num.9. Neceſſarium itaque eſt, culpam pro qua excommunicatio fertur, vel eſſe futuram, vel aliquo modo in futurum pendere.

Nec ſi abſit contumacia.

10. Sed neque qualiſcunque culpa notabiliter grauis, ac pendens in futurum, & cui medela poſſit adhiberi, eſt idonea materia excommunicationis, debet enim inſuper adiunctam habere contumaciam, ſiue rebellionem aduerſus Eccleſiaſticum edictum. Ita Scotus in 4. d. 25. quem citat & ſequitur Gerſo lect. 4. de vita ſpirit.coroll. 14. propoſ. 1. Multis iuribus prolatis id confirmat Chaſſanæus conſil. 1. præſuppoſitione 5. num. 10. Ratio autem militat hîc planè eadem, quæ ſuperiùs eſt adducta. Nimirum quod Chriſti mens non fuerit, vt hoc ſupremum remedium adhiberetur, niſi erga peruerſos & obduratos: quales non ſunt, qui dociles

ſe

ſe præbēt,nec rebellant aduerſus Eccleſiaſticum edictum. Vnde inferunt graues DD. quantumcunque quis violet legem diuinam vel humanam, non ignorans ſe in ea violatione peſſimè agere; tamen non ligari excommunicatione ob eam violationem ſtatuta, niſi ſciat ſuum illud peccatum cuius eſt optimè conſcius, vetari ab Eccleſia, interpoſita excommunicatione. Quod ſi inuincibiliter ignoret, peccatum illud interpoſita excommunicatione vetari, ſicut non erit Eccleſiæ rebellis & aduerſus eam contumax, ita non incurret in foro interno excommunicationem adiunctam. Ita Molina tract.5.de Iuſtit.diſp.71.n.9.Nauar. in manu.c. 27. num. 16. & in Miſcellaneo ſubiuncto illi capiti num.274.Sanchez l.9.de Matrim.d.32.n.9. & 13.Auila 2.p.cap.5.diſp.5.dub.7.Philiarcus 1.p. de offic.ſacerd.l.3.c.4.Sayrus l.1.de cenſur.c.18. à n. 14. & Soto in 4.d.22.q.1. art. 2.*circa* 4.*caſum*, citās Scotum,& nonnullos alios in contrarium,ſed multo plures pro ſententia cui ſubſcripſimus. Et ex hoc fundamento, laicos rarò incurrere excommunicationem iuris,quippe ferè eis ignotas,notat Valent.1.2.d.6. q. 6.p.1. corollario 9.& Sayrus lib. 2.clauis regiæ c. 9. num. 26.

Feréque, ſi deſit ſpes profectus.

11. Poſtremò, attenta excommunicationis malignitate, & conſiderata eius natura quæ eſt medicinalem eſſe,monuerunt iampridem graues DD. abſtinendum eſſe excommunicatione, cum ob noxij obfirmationem non putatur profutura.Ita S.Thomas in 4.d.18.q.vlt.art.2.Couarr.in c. *alma mater*, in principio

pio num. 10. & plurimi Iuriſperiti apud Sayrum l. 1. de cenſur. c. 12. num. 3. qui addit, interdum delicti qualitatem aliud poſtulare, vt cæteri terreantur, & prohibeantur ſimili inquinatione. Id quod etiam vniuersè circa pœnas reis inflictas, tradit Ariſtoteles 2. Ethic. cap. 3. & ex eo S. Thomas 1. 2. q. 87. artic. 7. Niſi ergo neceſſitas communis boni aliud extorqueat, abſtinendum erit hac pœna, quæ ſimul eſt medicina, ſi agnoſcatur reum eſſe planè obduratum. Excommunicatio enim obfirmatione noxij ſuppoſita, vix aliquid conferet ad reſipiſcentiam eius. Itaque cum præcluſerimus periculum contagij cæterorum, nihil eſt quod vrgeat ad inferendam excommunicationem; quin potiùs charitas vrget ad benignè condeſcendẽdum reo obfirmato, & ſuſtinendũ in multa patientia vas iræ, ſi fortè procedente tempore, det ei Deus pœnitentiam, & reſipiſcat à Diaboli laqueis. Audiendus creditus Proſper l. 2. de vita contempl. c. 5. [Quia nec obiurgari omnes expedit, nec omnes blandè tractari, ſciunt ſancti Sacerdotes atque diſcernunt, quos debeant temperata ſeueritate corripere, & quos Sacerdotali magnanimitate portare: Et ideò omnium quos per Dei gratiam curant, non voluntati, ſed vtilitati proſpiciunt. Denique alios honorari deformiter ambientes, quibus non expedire nouerunt, non vitio alicuius inuidiæ, ſed altæ prudentiæ conſilio prętermittunt: & alios latere cupientes honorant, vt eis aditum ad maiores profectus aperiãt. Eos quos probant increpationem poſſe pati, caſtigant: & impatientes obiurgationis, vt languidos palpant; non eis adulando quod tales ſunt, ſed infirmitatibus talium compatiendo, ſi fortè aliter ſanari non poſſunt. Cæterùm

terùm ſi Eccleſiæ cõmunione priuentur infirmi, qui curari adhibita increpatione non poſſunt, aut intolerabilis mole triſtitiæ ſupra modũ grauati ſuccumbũt, & ſanctorum omnium vultus,per quos poſſent reſtitui Deo,refugiunt,aut certè ad omnem peccandi impudentiam, ſi fuerint exacerbati proſiliunt; & quidquid mali occultè faciebant, publicè perpetrabunt;in tantam veſaniam reparandæ ſalutis deſperatione prolapſi, vt ſeria verba corripientium in iocos exitiabiles impudenti vrbanitate conuertant;ac malè dicaces in ſe ex ipſa iactatione turpitudinis ſuæ, turpiter viuentium maleuolas lætitias paſcant. Propter hoc ergo, blanda pietate portandi ſunt, qui increpari pro ſua infirmitate non poſſunt.]

Concluditur, meritò recidendam excommunicandi frequentiam.

12. Hæc niſi ſeruent Antiſtites, iiſque ſeruandis multitudinem & frequentiam nimiam excommunicationum recidant, (neque enim adeò frequenter concurrunt omnia quæ hactenus præmiſimus;) facilè continget, vt excommunicationes crebrò intortæ vileſcant.Quæ enim abundant,contemptui habentur,quæ verò rara & infrequentia ſunt, habentur in pretio,vt rectè tradit Ariſtoteles 1.Rhetor. c. 7. & optimè Theophraſtus in calce ſuę Metaphyſicè.Similitérque S.Hieron.epiſt.8.num.34. docet pretia facilitate decreſcere, & in raritate mercium eſſe maiora. Videndus inſuper epiſt. 85. & in traditionibus ad librum 1. Reg.c.3.circa illud,*& ſermo Domini erat pretioſus.* Feſtiuum eſt quod Ioſephus à Coſta in hiſtoria

Indicâ recitat l.4.c.13.gemmarium ad pretium paucarum gemmarum explorandum adhibitum, profeſſum eſſe magni eas pretij eſſe, magnóque & auidè correptum iri. Eundem, mox exhibita capſella gemmis illis referta, reſpondiſſe, merces tam copioſè abundantes, perexigui eſſe valoris, nec magni æſtimandas. Nimirum vt ait Tertull.l.de habitu mulieb.cap.7. [Semper abundantia, contumelioſa in ſemetipſam eſt.] Qui igitur excommunicationem, nimium vulgarem, hoc eſt nimium frequentem reddunt, efficiunt vt in contemptum veniat, nec eum ſui horrorem ingeneret, quem par eſſet per eam ingenerari. Conclamat in hanc abuſionem Scotus in 4.q.vnica, num: 17.obſeruans, Apoſtolos perrarò vſos excommunicatione, nec à S. Paulo niſi ter adhibitam. Frequenter etiam de hac abuſione expoſtulat Gerſo, ac nominatim lect. 4. de vita ſpirit.coroll.12.ac ibid.coroll.14. propoſ.2. quo loco refert Vrbanum V. eo maximè nomine ſibi eſſe gratulatum infulas Summi Pontificatus, quòd per eas à tot excommunicationum pedicis factus eſſet immunis. Quibus verbis, vt Gerſo notauit, itémque Maior in 4.d.18.q.4.in fine, tacitè ſugillabat, tam numeroſas, támque frequentes excommunicationes.

III. Proclinitas ad excommunicandum.

13. Affinis duabus proximè propoſitis cauſis contemptus excommunicationis, eſt alia, ex parte item prælatorum ſe tenens: Nimirum animus præceps ac veluti lubens in exſerendo gladio Eccleſiaſtico, quem eſſe genium *quorundam fatuorum*, ait Scotus loco proximè adducto. Sapientem enim eóque nomine

dignum Pręſulem, non ſecùs neceſſe eſt affici in truncando fratre à cœtu fidelium, quàm afficiatur Medicus, ſe accingens ad amputandum putre membrum. Ex qua comparatione, S.Chryſoſtomus, l.de S.Babyla, commendata moderatione ſancti illius Antiſtitis in vibranda excommunicatione, infert ſic faciendum quibuſuis excommunicationē vibraturis. [Conuenit enim arbitror, (inquit) vt qui alios eſt reprehenſurus, is animum ſuum quam longiſſimè ab omni temeritate & contumacia aſſerat. Quáque vſurpat agendi vehementiam, eam ex verborum atque rerum [natura tantùm demonſtret. Etenim vel Medici dum vel putrida membra ſecare, vel intumeſcentia comprimere opus eſt, non ita priùs animum ſuum complentes, ita demum ad curandum accedunt, ſed tum maximè decenti in ſtatu animi cogitationem continere adlaborant; vt ne ipſis turbati animi motus officiat. Quod ſi corpus curaturo, tāta animi ſedatione opus eſt, quo obſecro animarum medicum loco habebimus? Quantam ab eo ſapientiam exigemus? Certè longè maiorem, atque adeò tantam, quantam bonus ille martyr præſtitit. Nobis enim quoſdam quaſi terminos, & regulas præſcripſit, per quas videlicet & in reliquis facta proportione, nobis ipſis modum deſumamus. Sic miſerum illum, à ſacroſanctis Clauſtris ſummouit.]

14. Ex ea autem facilitate ſæuiendi in Chriſti membra, per Antiſtitem genio ſuo ac iracundiæ ſeruientem, conſequitur deſpectio excommunicationis, etiamſi alioqui poſſet iuſta eſſe ex parte obiecti; vitio perſonæ, in actum ſic exercitum malè transfuſo, ab iis quorum intereſt, vel qui eum defectum deprehenderint. Multo magis autem effundetur contemptio ſuper

per Principes, ſi, quod in excommunicandi prurigine procliue eſt, contingat excommunicationem vibrari pro cauſa inidonea. Quis enim non deriſiſſet illas excommunicationes, quas S. Hieron. in c. 1. epiſtolæ ad Titum, ad illud, *ſed hoſpitalem*, latas refert à nonnullis Epiſcopis in laicos, eo quod hoſpitales eſſent, & bonorum amatores: quaſi nō licuiſſet laicis facere, quod non faciebant Epiſcopi, omni licet nexu ad id aſtricti? Hoc ipſum in Diotrephe notauerat S. Ioannes, ſic de eo ad Caium ſcribens. *Ipſe non recipit fratres, ſed & volentes prohibet, & de Eccleſia eiicit.* Contemptio autem huiuſmodi planè ludicrarum excommunicationū, nullo poſtea negotio trāsfunditur ad eas quoque, quas iidem Antiſtites iuſtè vibrant. Et imprudenter quidem ac indebitè fit ea transfuſio; fit tamen; vt ex eo patet, quod minores defectus & cum validitate ſententiæ cohærentes, facilè in cauſa ſunt, vt contemptui habeatur. Quanto ergo magis ſi is ſit defectus ex quo vel ſententia apertè fiat nulla, vel de cuius valore dubitetur? Eiuſmodi defectus fuiſſe videtur, quem S. Gregorius l. 12. epiſt. 26 exprobrat Maximiano Epiſcopo, qui furore commotus, Euſebium Abbatem, virum optimum excommunicarat. Ingens ſupplicium talibus excommunicatione abutentibus impendere, docet his verbis S. Hieron. in cap. 34. Ezech. *ſub finem*, ad illud, *ecce ego ipſe iudico inter pecus pingue & macilentum:* [Id eſt (inquit) inter forte & infirmum. Fortes enim lateribus & humeris ſuis impingunt, atque collidunt infirma pecora, & cornibus ventilant: neſcientes, in lege taurum cornupetam debere puniri. Impingebant autem lateribus, & cornibus ventilabant, donec diſpergerentur, & eiicerent oues foras.

Superbia enim maiorum, & præpoſitorum iniquitate, frequenter pelluntur de Eccleſia, vt diſpergantur à Domino quos ipſe ſaluauit. Sed non dimittet eos Dominus vltra in rapinam, & iudicabit inter pecus, & pecus: non inter nomina dignitatum, quibus tument præpoſiti, ſed inter hominem, & hominem, iuxta id quod vterque ſeruus eſt Domini.]

Tantæ moli furoris Domini declinandæ, & quod præſertim nunc agimus, auertendæ depreciationi & contemptioni excommunicationis, ob pronitatem Antiſtitis ad eam ferendam, neceſſe eſt, vt qui ſe eo genio aduertit, ad alterum potiùs extremum accedat; conetúrque ſaluis ſemper officij legibus, abſtinere à truncatione membrorum myſtici Corporis Chriſti Domini; & quando neceſſitate ad eam adigitur, non ſecus ac bonus Chirurgus quoad corpora, accedat inuitus ad triſte miniſterium. Iuuaret maximè ad moderationem hac in parte tenendam, ſapiens conſilium Martini Pereſij p.3. de tradit. titulo de excom. §. *cauſa excommunicationis.* Nimirum, quod tametſi Epiſcopus, ſolus & abſque aliorum conſilio, poſſit excommunicationem infligere, eam tamen nunquam infligat, quin priùs conuocato cœtu proborum ac peritorum, audiat ſitne ea cauſa idonea ob quam infligat excommunicationem. Idque cenſet Pereſius ſeruatum à S. Paulo 1. Cor. 5. cum iuſſit inceſtuoſum tradi Satanæ, *congregatis* (inquit) *vobis & meo ſpiritu.* Addit quoque, Andream à Vega in Concilio Tridentino Theologum, idipſum fundaſſe in verbis illis Chriſti, *dic Eccleſiæ:* quo nomine negabat Vega, intelligi poſſe vnicam tametſi publicam perſonam. Id quod etiam ex illis Chriſti verbis eruit ſpurcus hæreticus Marſilius

lius Patauinus in defenſorio Pacis, latè contendens ea Chriſti verba ferre, vt excommunicatio non feratur ab Antiſtite niſi aduocato concilio, alioqui irritam fore. Sed quamuis ea verborum Chriſti interpretatio reiicienda ſit, veréque S. Cyprianus epiſt. ad Pupianum dixerit, Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo; proindéque dubium non ſit, quin Epiſcopus ſe ſolo & abſque adhibitis in concilium aliis, poſſit validè intorquere excommunicationem; tamen ſi agatur de congruenti exſertione gladij huius Eccleſiaſtici, præſertim per eum Antiſtitem qui ſe ad eius vſum agnoſcat procliuem, optandum eſſet, reuocari ad praxim, quod Pereſius admonebat.

Monita ex Patribus ad Antiſtites, vt propoſitas temnendæ excommunicationis cauſas remoueant.

16. Hîc ſi per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, Rectores gregis Dominici, quorum eſt excommunicationes intorquere, interpellauero, & quod eorum dignitas, mea verò tenuitas fert, demiſsè obſecrauero, & euicero, vt iis quæ de cauſis contemptionis gladij Eccleſiaſtici hactenus ſunt tradita ritè perpenſis, velint in hoc genere, & attenti, & parci, & lenti ac moroſi exiſtere; rem præſtitero & ad animarum bonum, & ad fructus ex hac pœna quæſiti certitudinem, & ad ipſorum Præſulum dignitatem ac ſalutem, valdè conducibilem. Quod verò multo maiori cum autoritate idipſum præſtituri ſint SS. Patres, placet eorum in hanc rem nonnulla monita repræſentare. Oraculum

Tridentinæ Synodi, primum locum meritò tenebit. Ita habet ſeſſ.25.cap.3.de reform. [Quamuis excommunicationis gladius, neruus ſit Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutaris, ſobriè tamen, magnáque circunſpectione exercendus eſt: cum experientia doceat, ſi temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari; & perniciem potiùs parere, quàm ſalutem.]

17. Clemens Romanus 2.Conſtit.c.21. grauiſſimè conteſtatur Epiſcopum, ne ſit præceps, aut facilis ad exturbandos ex Eccleſia fideles, redditque rationem. [Siquidem continuò vt aliquis ex Eccleſia eiectus eſt, accedunt ad eum truculenti lupi, & perinde ac ſi agnus eſſet, ita illum prædam eſſe putant ad vorandum, illius interitum quæſtui habentes. Etenim eorum pater Diabolus, homicida eſt: & qui iniuſtè per imprudentiam tuam eiectus eſt, & triſtitia oppreſſus, ac puſillo animo effectus, aut ad Gentiles aberrabit, aut hæreſibus implicabitur, & penitus ab Eccleſia, & ab ſpe in Deo poſita abalienabitur, atque ab impietate conſtringetur; ſiéſque de illius interitu reus. Neque enim æquum eſt, promptum eſſe ad eiiciendum eum qui deliquit, tardum verò ad recipiendum eum, qui à peccato ſe auertit: præproperum ad amputandum, crudelem autem ad medendum dolenti. De talibus verò ait Scriptura, *pedes eorum ad malum currunt, & celeres ſunt ad effundendum ſanguinem: calamitas, & afflictio in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt.*] Et cap. 41. [Ergo & tu, vt Medicus condolens, adhibe curationem iis qui deliquerunt, vtens ſalutaribus ad opitulandum modis: non ſolùm ſecans,

aut

aut vrens, aut ſicca medicamenta adhibens, ſed etiam vulnus alligans, & linimentum in illud iniiciens, leněque medicamentum, quod vim habeat obducendi cicatricem imponés, ac verbis conſolatoriis recreans. Si vulnus cauum fuerit, appone ſuaue emplaſtrum ad accretionem carnis; vt carne repletum vulnus æquale efficiatur parti ſanæ. Si autem vulnus ſordeſcit, tunc repurga nouacula, id eſt, ſermone increpatorio; ſi turgeſcit, complana, & deprime acri collyrio, id eſt, minis iudicij; ſi ſerpit cancer, vre, & extrahe ſaniem, comprimens ieiuniis. Quod ſi hæc feceris, ac demum intellexeris, quod à pedibus vſque ad caput non eſt malagma imponere, neque oleum, neque alligationem, imò magis ſerpit cancer, & omnem curationem anticipat; vniuerſas partes corporis, tanquam gangrægana tabefaciens; hic tu multa conſideratione, aliis item medicis peritis & exercitatis in conſilium adhibitis, ſeca membrum tabidum, ne vniuerſum corpus Eccleſiæ intereat. Ne igitur facilis ſis & præproperus ad ſecandum, neque celeriter ad ſerram dentatam proſilias; quin potius vtere priùs ſcalpello ad ſecandum apoſtema, vt cauſa morbi, quæ intùs reſidet educta, corpus ſeruetur à dolore incolume. At verò quem à pœnitentia alienum videris, & obduruiſſe, hunc tu cum mœrore, vt inſanabilem eiice ex Eccleſia: *Tolletis* (inquit) *improbum ex vobiſipſis, & facietis reuerentes filios Iſraël.*]

18. Origenes tract. 35. in Matth. tractans increpationem Chriſti ad Phariſæos claudentes regnum cœlorum ante homines, ſic ſcribit. [Eſt verè videre multos Doctores non permittẽtes intrare in regnum cœlorum, intrare concupiſcentes: maximè quando

ſine iudicio & ſine ratione, non propter peccata quæ faciunt, excommunicant quoſdam: ſed propter aliquem zelum & contentionem, prohibent intrare, frequẽter etiam meliores quàm ſunt ipſi. Et ipſi quidem non permittuntur intrbire, illi autem qui ſobrij ſunt mente & animo vigilantes, vincentes ſua patientia & longanimitate tyrannides eorum, quamuis vetiti tamen intrant, & hæreditant regnum cœlorum.] Nihil addi in hanc rem poteſt, ad ea quæ habet idem Origenes hom.9.in Ierem: Locum iam defloraui ſuperiùs, monſtrans excommunicationis ſeueritatem, probè conſiſtere cum Eccleſiæ lenitate.

19. Nazianzenus orat.26.num.52. [Illud ſaltem tibi impera, vt fratrem non condemnes, nec timiditati impietatis nomen imponas, nec temerè ac præcipiti iudicio, eum condemnes, aut ſalutem eius pro deſperata habens diſcedas, qui animi facilitatem, ac morum ſuauitatem profiteris. Quin potiùs hîc humilem te præbe, dum licet. Hîc nullo cum tuo detrimento fratrem tibi antepone, vbi condemnare & contemnere, nihil aliud eſt quàm à Chriſto ac ſola ſpe eiicere atque exturbare, occultúmque triticum, (& quidem triticum fortaſſe te prçſtantius,) vna cum zizaniis excindere. Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idque leuiter & humanè, non vt hoſtis, nec vt durus & rigidus medicus, nec vt ſectionibus tantùm, & cauteriis aduerſus morbum graſſari ſciens: partem te ipſum, ac tuam infirmitatem cognoſcas. Quid enim ſi lippientibus oculis, iam alio quopiam morbo laborantibus, obſcurum Solem aſpicias? Quid ſi omnia verti, ac ſurſum deorſúmque ferri putes, ipſe nauſea correptus, aut vino obrutus, ignorantiamque tuam aliis

attribuas?

attribuas? Multum diuque ante verſandus atque contorquendus eſt animus, multa ferenda, quàm vt alium impietatis damnemus. Non idem eſt ſtirpem, aut breuem quendam & caducum florem euellere, atque hominem excindere. Imago Dei es, & imaginem quoque Dei alloqueris. Iudicium quoque ſubibis, qui iudicas; & quidem alienum ſeruum iudicas, & quem alius moderatur. Sic fratrem tuum explora, quaſi ipſe ad eandem menſuram expendendus. Quocirca ne citò ac temerè membrum ſeces ac proiicias, cum incertum ſit an hac ratione partes quoque ſanæ, perniciem aliquam contracturæ ſint.]

S. Hieronymus in cap. 10. Eccleſiaſtis ad illud, *qui ſubtrahit lapides, dolebit in eis*, ſic ſcribit. [Intelligendum quod Eccleſiaſticus vir, Epiſcopus videlicet, & Presbyter, ſi iuxta mandatum Leuitici de leproſa domo lapidem abſtulerit in cinerem & puluerem conterendum, dolebit in eo ipſo, quod de Eccleſia Chriſti lapidem auferre cogitur: dicens ſecundùm Apoſtolum: *Flere cum flentibus, lugere cum lugentibus.* Et: *quis infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror?*]

20. S. Ambroſ. 2. offic. c. 27. [Cum dolore amputatur, etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, ſi poteſt ſanari medicamentis. Si non poteſt, tunc à medico bono abſcinditur. Sic Epiſcopi affectus boni eſt, vt optet ſanare infirmos, ſerpentia auferre vlcera, adurere aliqua, non abſcindere, poſtremò quod ſanari non poteſt, cum dolore abſcindere. Vnde pulcherrimum illud præceptum magis eminet, vt cogitemus non quæ noſtra ſunt, ſed quæ aliorum. Hoc enim modo nihil erit, quod vel irati noſtro indulgea-

mus affectui, vel fauentes noſtræ plus iuſto tribuamus aliquid voluntati.]

21. Chryſoſtomus homilia de Anathemate, Apoſtolorum ſapientiam & benignitatem commendat, quod cum aliqui eſſent eiiciendi de Eccleſia non ſecus afficiebantur,[quàm ſi effodiendus eſſet dexter oculus: qua tempeſtiua membri deſectione, magnũ ſuæ compaſſionis & doloris indicium præ ſe ferebant.]Et libro de S.Babyla, poſt fusè expoſitam Imperatoris Chriſtiani excommunicationem per illum S.Antiſtitem, ſubiungit mœrorem eius,ex iniecta neceſſitate excommunicandi diſcipulum, & filium ſpiritualem.[Nolunt enim Sancti, Corollas ſibi alienis ex malis contexi. Quòd ſi ab alienis malis nolunt, multò minùs ab iis malis, quæ ipſorum domeſticis ac familiaribus obueniunt. Quo nomine & beatus Dauid,victoria parta ac triumpho iam acto, lugebat, & lachrymabatur, quod ad calamitatem quam ex filio receperat, & hæc item acceſſiſſet. Quin exeuntibus ad conflictum militibus,multa tyranni nomine mandabat, eóſque qui ad illius cædem properabant, hac ratione cohibebat: *Parcite puero Abſalon.* Quem ipsũ in prælio proſtratum lugebat, non ſine fletibus, lachrymiſque amaris inimicum reuocans. Quod ſi naturalis pater, tam propenſo eſt erga liberos ſuos affectu, certè multò magis id de ſpirituali patre fatendum. Parentibus enim ſpiritualibus liberorum ſuorum maior cura eſt,quàm naturalibus, Paulo ita atteſtante, *quis infirmatur, & ego non infirmor? quis offendiculum patitur, & ego non vror?* Sed hoc quidem æqualitatem nobis repræſentat. Quanquam certè vix patres in hanc ipſam vocem erumpunt. Verumtamen

demus

demus & illos hucuſque affectu accedere poſſe: nos enim ſpirituales patres maiora etiam præſtare oſtendemus. At hoc ipſum vndè? Ab iiſdem iterum viſceribus, & à legiſlatoriis Moſis verbis. Ille verò quid dicit? *Si remittis eis peccatum, remitte: ſin minus, & me ipſum ex libro quem ſcripſiſti dele.* Nullus ſanè eſt pater, cui alioqui bonis infinitis perfrui liberum ſit, qui tamen malit vnà cum liberis ſuis, pœnis affligi. At Apoſtolus, vt qui in gratiæ ſtatu verſatus fuerat, ad paterni huius affectus intentionem addidit, propter Chriſtum. Non enim Moſis exemplo cum illis pœnas dare malebat, ſed vt aliis benè eſſet, ſibi ipſe excidium imprecabatur, quum diceret: *optarim anathema eſſe in Chriſto pro cognatis meis fratribus ſecundùm carnem.* Tanta certè miſericordia, atque affectu, olim Sanctorum animi abundabant.] Hoc affectu ad excommunicandum proceſſit S. Babylas iuxta S. Chryſoſtomum, qui eam Ideam Prelatis omnibus propoſitam voluit, quam exprimerent in gladij Eccleſiaſtici exſertione.

22. S. Auguſtinus l. 3. contra Parmen. c. 1. & ſeqq. fusè demonſtrat, eos qui imitatione Apoſtoli peccatores tradunt Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat, debere hoc facere humilitate lugentium, non ſuperbia ſæuientium. Profértque in eam rem Apoſtolum, qui teſtatur ſe *ex multa tribulatione & anguſtia cordis, per multas lachrymas*, excommunicationem inflixiſſe ſpurco thori paterni fœdatori: monſtrátque nihil moderatius, nihil diligentius, nihil ſollicitudine pia & paterna ac materna charitate plenius fieri aut dici potuiſſe, quàm quod ab Apoſtolo factum eſt ac dictum, erga eum quem ſic feriebat: idque

eſſe ait, quod Paſtores omnes ſummoperè par ſit æmulari. Idem in Pſal. 54. ad illud, *quis dabit mihi pennas*, ſic ſcribit. [Diligamus inimicos, corripiamus, caſtigemus, & excommunicemus; cum dilectione à nobis etiam ſeparemus. Videte enim quid dicat Apoſtolus. *Si quis autem non obaudit verbo noſtro per epiſtolam, hũc notate, & nolite commiſceri cum eo.* Sed ne ſubrepat tibi ex hoc iracundia, & turbet oculum tuum, non (inquit,) vt inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem, vt erubeſcat. A quo indixit ſeparationem, non præcidit dilectionem.] Idem inſigniter l. de fide & operibus c. 3. [Quo animo & qua charitate miſericors iſta ſeueritas adhibenda ſit, non ſolùm eo loco, vbi ait vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini noſtri Iesv Christi, ſed alibi quoque, euidenter oſtendit dicens, *ſi quis non obaudit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſceri cum eo, vt erubeſcat, & non vt inimicum eum exiſtimetis, ſed corripite vt fratrem.* Et ipſe Dominus exemplum ſingulare patientiæ, qua etiam in duodecim Apoſtolis vſque ad paſſionem diabolum pertulit; & qui ait, *ſinite vtraque creſcere, vſque ad meſſem, ne forte cum vultis colligere zizania, ſimul eradicetis & triticum*; retiáque illa in ſimilitudine Eccleſiæ vſque ad littus, hoc eſt vſque ad ſæculi finẽ, bonos & malos piſces habitura prædixit: & cætera ſi quæ de permixtione bonorũ & malorũ, ſiue apertè, ſiue per ſimilitudines locutus eſt: nõ ideò tamẽ omittendam cenſuit Eccleſiæ diſciplinam. Imo verò admonuit adhibendam, quando ait, *attendite vobis, ſi peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eũ inter te & ipſum ſolum. Si audierit te, lucratus es fratrem tuum: ſi autem non audierit te, aſſume tecum vnum, vel duos, vt*

in ore teſtium duorum vel trium, ſtet omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, ſi autem nec Eccleſiam audierit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Deinde ipſius ſeueritatis terrorem grauiſſimum adiecit, etiam eo loco dicens. *Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cœlo; quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cœlo.* Prohibet etiã, ſanctum dare canibus, nec contrarius eſt Apoſtolus Domino, quia dicit, *peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant*: cùm ille dicat: *Corripe eum inter te & ipſum.* Vtrumque enim faciendum eſt, ſicut & infirmitatis diuerſitas admonet, eorum quos vtique non perdendos, ſed corrigendos curandóſque ſuſcepimus. Et alius ſic, alius autem ſic ſanandus eſt. Ita etiã eſt ratio diſſimulandi, & tolerandi malos in Eccleſia: & eſt rurſus ratio caſtigãdi & corripiendi; non admittendi, vel à communione remouendi. Errant autem homines non ſeruantes modum; & cum in vnam partem procliuiter ire cœperint, non reſpiciunt diuinæ authoritatis alia teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione reuocari, & in ea quæ ex vtriſque temperata eſt veritate, ac moderatione conſiſtere.]

73. Caſſianus l. decimo de inſtitut. præmiſſa c. 15. Apoſtoli in bonos ac dociles humanitate, ſubdit cap. 16. [Rurſus tamen ne fortè hac lenitate prouocati quidam, præceptis eius obedire contemnant, intermiſcet apoſtolicam ſeueritatem: *quòd ſi quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate, & nolite commiſceri cum illo, vt confundatur*, monénſque eos pro reuerentia ſui, & vtilitate communi, quid oporteat obſeruari, quáque cautione Apoſtolica mandata cuſtodiant, ſubiungit confeſtim patris indulgentiſſimi lenitatem.

nitatem : & vt filios ſuos, quem erga prædictos pro charitate fraternitatis affectum debeant retinere, ſimiliter docet. *Et nolite* (inquit,) *quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite vt fratrem* : ſeueritati iudiciariæ, paternam intermiſcuit pietatem, & ſententiam apoſtolico rigore prolatam, clementi manſuetudine temperauit. Nam & notari iubet eum, qui obedire præceptis ſuis contempſerit, & cum illo non commiſceri, & tantum hæc fieri non odij vitio præcipit, ſed fraternæ dilectionis, & eorum emendationis intuitu. *Nolite*; (inquit,) *commiſceri, vt confundatur* : vt qui non eſt meis præceptis mitibus emendatus, ſaltem publica omnium veſtrûm ſegregatione confuſus, ad tramitem ſalutis aliquando incipiat reuocari.]

24. Proſper aut potiùs Pomœrius l. 2. de vita contemplat. c. 7. indicens pleniſſimum ſapientiæ progreſſum in correctione vitiorum, ſic diſſerit. [Cum nobis fratres, quilibet peccata ſua tanquam medicis vulnera quibus vrgentur aperiunt, operam dare debemus, vt quantocyus ad ſanitatem Deo authore perueniant, nec in peius diſſimulata curatione proficiant. Ea autem crimina quorumlibet, ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus, vndecumque claruerint, quæcumque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, velut igni quodam piæ increpationis vrenda ſunt, & curanda. Quod ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati, & ſalubriter obiurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debere ferro excommunicationis abſcindi; ne ſicut caro morbis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſalutem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit; ita iſti qui emendari de-

ſpiciunt,

ſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus deprauatis in Sanctorum ſocietate permanſerint, eos exemplo ſuæ perditionis inficiant.]

S. Leo epiſt. 89. cap. 7. inſigniter tradit, quod hîc intendimus. Locum alia ex cauſa dedi cap. ſuperiori. Ex Nicone epiſtol. ad Encliſtium, locum dabo cap. ſequenti, ſanè luculentum.

25. S. Gregorius homil. 26. in Euang. [Ligandi atque ſoluendi autoritatem ſuſcipiunt qui gradum regiminis ſortiuntur. Grandis honor, ſed graue pondus iſtius eſt honoris. Durum quippe eſt, vt qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ, iudex vitæ fiat alienæ. Et plerunque contingit, vt hic iudicij locum teneat, cui ad locum vita minimè concordat: ac proinde ſæpè agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipſe ligatus ſoluat. Sæpè in ſoluendis ac ligandis ſubditis, ſuæ voluntatis motus, non autem cauſarum merita ſequitur: vnde fit, vt ipſa hac ligandi & ſoluendi poteſtate ſe prius, qui hanc pro ſuis voluntatibus, & non pro ſubiectorum moribus exercet. Sępè fit, vt erga quemlibet proximum, odio vel gratia moueatur paſtor: iudicare autem de ſubditis dignè nequeunt, qui in ſubditorum cauſis, ſua vel odia, vel gratiam ſequuntur. Vnde rectè per Prophetā dicitur: *mortificabāt animas, quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iuſtum damnat, & non victurum viuificare nititur, qui reum à ſupplicio abſoluere conatur. Cauſæ ergo penſandæ ſunt, & tunc ligandi, atque ſoluendi poteſtas exercenda. Videndum eſt, quæ culpa præceſſit, aut quæ ſit pœnitentia ſecuta poſt culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos Paſto-

ris

ris ſententia abſoluat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis,cum æterni arbitrium ſequitur iudicis.]

26. Antiochus homilia 121. [Ecquid ait Dominus Petro:*quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis.* Vis verbi iſtius, quàm operatoria ſit, quámque efficax,expende.Non dixit,*quæcunque ligaueris ſuper terram,erunt ligata in cœlis.* Vide,inquam, ſolerter, vt dum quempiam cenſura excommunicationis cogeris ferire, dum arces templi aditu, dum gradu deiicis, habeas rem hanc horrori: quippe qui Deum ipſum inuoces ſententiæ tali tuæ ſuffraganeum;quaſi qui dum hæc facis,conteſtere eadem ſancita eſſe & in cœlis. At interim inhorreſcit totus qui eliminatur templi aditu, aut gradu deturbatur,vt qui intelligat excludi ſe regno cœlorum.Vide,(rurſus dixerim) ô Sacerdos quid agas:quæ enim deorſum vinculo innectis oris tui, certò tibi perſuade, eadem ſanciri ſurſum,& comprobari.Non enim vinculum eiuſmodi impune erit, ſiquidem iniuſtè aliquem ligaueris. In conſiſtorio enim illo Angelorum, exactiſſimè rationem repoſiturus es, ne quem in vinculo implicueris, ira, aut vitioſa vlla affectione incandeſcens: Non item quaſi te ipſum vlciſcens; quin potiùs quaſi pro tuenda virtute decertans.Vlciſcitur enim Deus ac defendit iniuſta cenſura ligatum;ſiquidem is comperietur non contempſiſſe vinculum.Qui igitur citra fucum vllum Chriſti páſcit gregem,iure vocatus legitur,*os Domini.* Ait enim Hieremias,*ſi eduxeris pretioſum à vili,quaſi os meum eris.*]

27. Petrus Damiani l.1.epiſt.12.Alexandrum II. Pontificem Maximum liberè monet; vt corrigat inuectum eo tempore abuſum,ad ſingula propè Ponti-

ficia

ficia decreta apponendi comminationem anathematis in violatores. Hoc (inquit) [quàm ſit humanæ ſalutis immane periculum, & infinitè patens vorago labentiũ, ac pernicies animarũ, clementiæ veſtræ pietas nõ ignorat. Dicitur enim, *quiſquis hæc vel illa non fecerit*; ſiue certè, *quiſquis hoc quod ſuperiùs ſtatutũ eſt, irritũ duxerit, vel in aliquo violauerit, anathema ſit*. Vbi notandũ, quàm lubrica, quàm præceps ſubitò ruendi illi procuretur occaſio, vt ante quis in æternę mortis barathrũ corruat, quàm ſe vel leuiter impegiſſe cognoſcat: & ſubſtratæ quodãmodò tendiculæ, iam pes eius innectitur, dũ ſe liberis adhuc incedere greſſibus arbitratur. Delinquit itaq; quiſquis ille eſt, in illud Apoſtolicæ conſtitutionis edictum, & aliquando leui quadã ac peregrina offenſione tranſgreditur: & continuò velut hæreticus, & tanquã cũctis criminibus teneatur obnoxius, anathematis ſententia condemnatur. Et cũ dictante iuſtitia, alia ſit vltione plectẽdus, qui plus delinquit, alia qui minus excedit: hic grauiter leuitérque peccãtibus, æqua cũctis & indifferẽs pœna, ſolius ſcilicet anathematis, irrogatur. Non tribunaliũ more, vel forenſis examinis, aut libertas ceditur, aut poſſeſſio cõfiſcatur, nec pecuniariæ mulctæ reus addicitur, ſed Deo potiùs omniũ ſcilicet bonorũ auctore, priuatur. Hanc itaque homo de homine pœnã ſumit, quam de ſui trãſgreſſione mandati ipſe quoque Deus omnipotens non præſumit. *Qui amat* (inquit) *patrem, aut matrem pluſquàm me*; non continuò addidit, *ſit anathematizatus, vel maledictus*, ſed tantùm ait, *non eſt me dignus*. Et in lege, oculus pro oculo, dens pro dente, percuſſura pro percuſſura, aduſtio pro aduſtione, duntaxat exigitur, nec continuò qui reus eſt, de ſyn-

agoga proiicitur, vel maledictione damnatur. Non enim ſecundùm Stoicos, omnia peccata ſunt paria, atque idcirco indifferenti ſunt vltione plectenda, ſed iuxta modum culpæ, temperanda ſemper eſt menſura vindictæ. Porrò nec Beatus Papa Gregorius, vel cæteri Patres qui diuerſis temporibus in Apoſtolicæ Sedis regimine floruerunt, hunc morem in ſuis reperiuntur obſeruaſſe decretis; & vix eorum aliquando ſtatutis anathema ſubnectitur, niſi cùm Catholicæ fidei clauſulà terminatur. Quamobrem ſi ſanctæ prudentiæ veſtræ placet, hunc morem de cætero, à decretalibus paginis amoueri præcipiat, & vel damni pecuniæ, vel alterius cuiuſlibet vltionis calculum in earum tranſgreſſione præfigat; ne quod aliis eſt ad tuitionis munimenta prouiſum, aliis ad perniciem proueniat animarum.] Illuſtria item ſunt, quæ idem Petrus Damiani libro illo 1. epiſt. 7. ſcribit ad Nicolaum II. in cauſa Anconitanorum, quibus idem Pōtifex implacabiliter ſuccenſere videbatur, eóſque excommunicationis vinculo obſtrictos tenebat, quantumuis paratos ad ſatisfactionem. [Per ſententiam veſtram, (inquit,) Petri gladius in animarum eorum morte graſſatur. Et nos quidem dormimus, ſed euaginatus Sedis Apoſtolicæ mucro non dormit, qui tot hominum millia vna cruentæ mortis ſtrage proſternit, non quidem in corporibus aliquando morituris; ſed, heu (proh dolor!) quod intolerabile eſt, in animabus ſine fine victuris.]

28. Concilium Prouinciale Colonienſe anno 1536 celebratum parte 13. cap. 5. indicto Prælatis vſu excommunicationis in contumaces, ſubdit. [Cauebit autem in primis Iudex, ne hanc, aliáſve cenſuras Eccleſiaſticas,

cleſiaſticas, vel ex iniuſtis, vel ex leuibus cauſis, vel iuris ordine non ſeruato, vel ex odij fomite proferat vnquam. Cum enim excommunicatio pœna ſit, qua nulla maior eſt in Eccleſia, nec ſit excommunicandus quis niſi pro peccato lethali, eo quòd anathema ſit æternæ mortis damnatio; nec infligenda veniat, niſi iis qui aliter corrigi non poſſunt; debebit Iudex non ante excommunicare quempiam, quàm cognouerit, id vel cauſæ grauitatem, vel eius qui extra communionem ponendus eſt, apertam contumaciam, præcepto iuſto acquieſcere nolentis, exigere.]

Antiſtites excommunicando hallucinatos, mutare ne pigeat.

29. Sint igitur iuxta hæc Eccleſiæ & Patrum oracula, Paſtores ſobrij & parci valdéque maturi in exerendo excommunicationis gladio; ne res prouiſa in bonum animarum, cedat in earum exitium: ſitque contemptui apud plebem imperitam, vel homines malè animatos, quibus nihil procliuius eſt, quàm vt defectus Præpoſitorum Eccleſiaſticorum transfundant in eorum munera; & perſonarum erratis inquinent conceſſam diuinitùs poteſtatem: inſigni ſanè peruerſitate, ſed tamen quotidiana. Quod ſi per humanæ fragilitatis lubricum accidat, gladium Eccleſiaſticum aliter à Paſtoribus fuiſſe vibratum, ne pudeat virtutum Magiſtros, virtutem ſuam prodere rei malè geſtæ reſciſſione. Conſilium eſt ſaluberrimum, quod D. Auguſtinus epiſtol. 75. Auxilio ſuggeſſit. Is ætate iuuenis, & honoris Eccleſiaſtici rudimenta ponens, Claſſicianum quendam, & domum eius vniuerſam,

excommunicatione malè percuſſerat. Eum ſic affatur D. Auguſtinus. [Fac quod ſanctum virum facere oportet, vt ſi tibi contingit tanquam homini, quod vtique homo Dei dicit in Pſalmo; *turbatus eſt præ ira oculus meus*, exclames ad Deum: *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum:* vt porrigat dexteram ſuam, & comprimat iracundiam tuam, & tranquillet mentem tuam, ad videndam faciendámque iuſtitiam. Sicvt enim ſcriptum eſt: *iracundia viri, iuſtitiam Dei non operatur.* Nec arbitreris ideo nobis non poſſe ſubrepere iniuſtam commotionem, quia Epiſcopi ſumus, ſed potiùs cogitemus, inter laqueos tentationum nos periculoſiſſimè viuere, quia homines ſumus. Aufer itaque geſta Eccleſiaſtica, quæ perturbatior fortaſsè feciſti, & redeat inter vos charitas, quam cum illo & Catechumenis habuiſti. Aufer litem, & reuoca pacem, ne tibi pereat homo amicus, & de vobis gaudeat diabolus inimicus.]

Corruptela ſeruatis ante dictis, eliminanda.

30. Sic animatos Antiſtites, perſpicuum eſt procul futuros à variis abuſionibus & corruptelis, quas in hoc genere pridem notarunt & reiecerunt graues DD. Eiuſmodi eſt corruptela illa, cuius meminit Maior in 4.d.18.q.2.ad 1.dubium, & Viguerius in inſtit. tit.de ſacram.Ord. verſ.16. Scribunt enim, paſſim per tempus illud, Epiſcopos dimiſſa trina monitione diſtincta, (quam quidem Viguerius annuente Caſtro l. 2. de lege pœnali c. 15. poſt concluſ.2.ſenſit iure diuino à Chriſto conſtituto, præmittendam eſſe excommunicationi,) vnicam pro trina monitionem adhibentes,

bentes, vibraſſe excommunicationem. Quanquam, verò nihil edixiſſe Chriſtum, de trina monitione diſtincta excommunicationi præmittenda, alibi traditur, & latè à Suare t.5.3.p.d.3.ſ.9. tamen non eſt dubium, quin extra grauem neceſſitatem quæ dilationem non ferat, prudentiſſimè Eccleſia diſt. 22. cap. *ſi quis Epiſcopus*, trinam & diſtinctam monitionem præmittendam eſſe excommunicationi decreuerit, vt per eam moram, peccator Iudicis benignitate & lenta ſeueritate maiorem opportunitatem nanciſcatur ad reſipiſcendum. Itaque præcipiti temeritate ad excommunicandum ferri, abiecta prudentiſſima Eccleſiæ diſpoſitione, abuſio eſt quam Patrum oracula ſuperiùs adducta clarè impetunt. Oritur enim ex cæco impetu genij ad ſæuiendum procliuis, nec ſatis lentè ac inuitè progredientis ad infligendam excommunicationem. Eundem cœnoſum fontem præfert ille alius abuſus, cuius Viguerius meminit, & Regiis edictis profligatum teſtatur. Aliqui enim feriebantur excommunicatione inauditi, nec citati niſi in inſtrumento quod *ſubmiſſionem* vocabant, in quo procurator debitoris, profeſſus debitum, ſubmittebat debitorem omnibus Iudicibus, etiam Eccleſiaſticis, niſi præſtituto tempore ſolueret. At quid tali abuſione iniuſtius, cum omnia iura priuſquàm excommunicatio, (quippe pœna adeò atrox) infligatur, velint reum non plecti inauditum? Reprehendit item Soto corruptelam aliam in 4.d. 22. q. 1. artic. 2. eorum ſcilicet, qui non modò quidquid præcipiunt, interpoſita excommunicationis pœna præcipiunt, ſed etiam qui citationis ſchedulas puras, ſubſcriptas cōcedunt Notariis, in quibus quorum ipſi voluerint nomina inſcribant;

XX 3 quod

quod nihil aliud eſt, quàm auaritiæ & rapacitati inſaturabili, gladij Eccleſiaſtici liberam facultatem permittere. In has ſimiléſque corruptelas, ex parte Præſulum ſe tenentes, quas eſſe contemnendi excommunicationem aditus patentes, perſpicuum eſt, multa habet Petrus de Alliaco tract. de reformat. Eccleſ. conſiderat. 2. pag. 205. Et multa quoque, ſed pro more amarulentiùs, & irreuerentiùs quàm Chriſtiana erga Præſules modeſtia ferat, Nicolaus de Clemengiis tract. de ruina & reparat. Eccleſiæ. Legendus potiùs Gerſo lect. 4. de vita ſpirit. coroll. 12. rurſúſque coroll. 14. propoſ. 3.

Non tamen iuſtus vigor.

31. Neque tamen is haberi velim, qui ob ea quę toto hoc capite ſunt tradita, ad commendandam raritatem excommunicationum, & cunctationem ac attentionem ſummam in eis ferendis, infirmatam velim. Chriſtianorum Præſulum generoſitatem ac fortitudinem, cum res fert, & peccantium malignitas ac cauſæ meritum id depoſcit. Tunc enim optandum eſt, vt quilibet Præſul induat illos S. Chryſoſtomi animos hom. 26. ad pop. [Ecce iterum dico, & proteſtor: qui vult rideat; qui vult ſubſannet. Ad hoc poſiti ſumus, vt derideamur & ſubſannemur, & omnia patiamur: purgamenta mundi ſumus iuxta Beatum Paulum. Si quis hoc mandatum præſtare negat, velut tuba quadam, per ſermonem prohibeo Eccleſiæ limina talem aſcendere, licèt princeps, licèt ipſe ſit diademate redimitus. Vel à Præſulatu me deiicite, vel manentem, periculis concludere nolite. Hanc aſcendere

cathedram non tolero,niſi magna præſtiturus. Nam ſi quid tale fieri non poteſt,melius in imo ſtare. Nam principe qui ſubditis nil proſit, miſerius nihil. Conuertite iam voſmetipſos,& attendite,quæſo : & noſipſos ſimul erigamus,& aliquid omnino melius accedet.]Et inferiùs.[Ecce rurſum prohibeo,claráque voce proclamo, nemo riſum eſſe putet. Arcebo ſiquidem & prohibebo non obtemperantes : & donec in hac ſedebo cathedra, nullam ipſius iuſtificationem omittam. Si quis detraxerit, iam inſons ero : ſed donec obnoxius ſum, deſpicere non poſſum; non propter meam pœnam, ſed propter ſalutem veſtram:vehementer enim veſtram cupio ſalutem, & pro ea multum affligor & doleo. Sed obedite, vt & in præſenti,& in futuro,magnam accipiatis mercedem.] Sic ille à iurandi peruerſa conſuetudine, deterrere ſuos volens. Et idem æquè, nauis Præſulibus licebit in quacunque alia graui cauſa.

CAPVT XX.

Quid agendum ei, in quem poteſtas ſacra iuſtè, vel iniuſtè excommunicationem intorſerit.

1. EX proximè diſputatis liquet, excommunicationem,culpa eorum per quos vibratur, poſſe aliquando iniuſtam eſſe. Cum autem Præpoſiti, qui excommunicationem intorquent, ex prudentiæ, & charitatis legibus ſunt operati,nemo dubitat quin excommunicatio ſit iuſta. Vtrolibet modo intorta fue-

rit excommunicatio,quid agendum ſit ei in quem eſt intorta, paucis tradendum ſupereſt, ad huius lucubrationis obſignationem.

Excommunicatio,etiam iniuſta,timenda; ex SS. Gregorio & Vrbano.

Vt autem conſequenter ad proximè dicta, de iis primùm agam qui excommunicatione improuidè & iniuſtè perculſi fuerint, difficultatem facit memoranda & peruulgata S. Gregorij ſententia homil. 26. in Euang. vbi præfatus Epiſcopalis eſſe muneris ligare ac ſoluere, latè quoque proſecutus,quantam Epiſcopi circunſpectionem poſcat ea ligatio atque ſolutio, concludit. [Hæc de ſolutionis ordine breuiter dixerim,vt ſub magno moderamine paſtores Eccleſiæ vel ſoluere ſtudeant, vel ligare. Sed vtrum iuſtè an iniuſtè obliget paſtor,paſtoris tamen ſententia gregi timenda eſt:ne is,qui ſubeſt,& cum iniuſtè forſitan ligatur, ipſam ligationis ſuæ ſententiam ex alia culpa mereatur. Paſtor ergo vel abſoluere indiſcretè timeat, vel ligare. Is autem qui ſub manu Paſtoris eſt, ligari timeat,vel iniuſtè;nec Paſtoris ſui iudicium temerè reprehendat,ne & ſi iniuſtè ligatus eſt, ex ipſa tumidæ reprehenſionis ſuperbia,culpa quæ non erat, fiat.] Refert & approbat hunc S. Gregorij locum, Hildebertus epiſt. 116. inter Fulberti epiſtolas, & Concilium 1.Aquiſgran. c. 37. Idem breuiùs traditur in epiſtola Decret. Vrbani primi, verbis illis.[Valdè timenda eſt ſententia Epiſcopi, licet iniuſtè liget aliquem,quod tamen ſummoperè prouidere debet.]

Difficultas

Difficultas ex ratione , & contrario ſenſu aliorum Patrum.

2. Hæc dico difficultatem facere. Nam ſi eſt iniuſta Præſulis excommunicationem vibrantis ſententia,cur eſt timenda? Num aliena iniquitas poteſt cuiquam fraudi eſſe? En quàm aliter Clemens Rom. 2. conſtit. c. 21. ſtatuit de Præſule iniuſtè excommunicante.[Scitote quod qui eum qui iniuriam non fecit, eiicit;aut eum qui ſe conuertit, non recipit, fratrem ſuum occidit, & ſanguinem eius fundit, ſicut Caïn ſanguinem fratris ſui fudit,cuius ſanguis qui ad Deũ clamat requiritur. Iuſtus enim à quopiam iniuſtè occiſus,apud Deum erit in requie ſempiterna. Similiter euenit ei qui ab Epiſcopo ſine cauſa fuerit excommunicatus. Qui tanquàm peſtiferum, eiicit eum qui eſt extra culpam,is quidem ſæuior eſt interfectore, quod neque in Dei miſericordiam intuetur, neque bonitatis Dei erga pœnitentes memor eſt, neque in eos aſpicit tanquam in ſcopum, qui multorum peccatorum veniam pœnitendo impetrarunt.Idcirco violentior eſt ipſo homicida, qui corpus perimit, is, qui innocentem ex Eccleſia eiicit.] Origenes quoque homil. 14. in Leuit. ita ſcribit. [Interdum fit,vt aliquis non recto iudicio eorum qui præſunt Eccleſiæ,depellatur,& foras mittatur. Sed ſi ipſe non antè exiit,hoc eſt,ſi non ita egit vt mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto iudicio ab hominibus videtur expulſus, & ita fit, vt interdum ille qui foras mittitur, intus ſit: & ille foris, qui intus retineri videtur.] Ex Antiocho hom. 122. locum protuli cap. ſu-

periore,quo apertè docet eum qui iniuſtè ligatus eſt, nihil inde ſubire diſpendij, ſed Deum pro eo vltorem inſurgere.

3. Inſignia ſunt quæ in eandem ſententiam leguntur apud Niconem in fragmento epiſtolæ ad Encliſtium,quæ miror à quibuſdam cenſoribus in ſuſpicionem vocata. Ita habent. [Scias Pater quod diuinæ Scripturæ,cum diuinis canonibus definiunt,quod iniuſtæ quæ imponuntur punitiones apud Deum nõ ligant,etiamſi Pontifex eas impoſuerit:quanto magis ſi inferior,ſicut dicit ſanctus Dionyſius? Qui itaque inconſiderata ſententia,& intemperante animo, aliquem à fidelibus ſeparat, eum non ſolùm non attingit,ſed in eius etiam caput recurrit,ſicut ſanctæ quoque Synodi pronunciant: ſed illæ pœnæ ligant, quæ ſecundùm diuinos canones, & leges ſunt impoſitæ, non autem quæ ſecundùm propriam voluntatem. Qui enim pœnam præter rationem imponit, ipſe eſt ſegregatus, & ipſe debet eam pœnam ſeruare, ſicut diuini,[& ſacri canones decernunt. Magnus quoque Petrus ad Clementem.Tu quidem ea ligabis oportet, & ſolues ea quæ ſoluenda ſunt: dicit enim ſanctus quoque Patriarcha Nicolaus diuinitus promotus.Habent enim antiſtites poteſtatem puniendi,ſicut etiam ſancta Synodus definiit,vt qui ius ligandi, & ſoluendi à Deo acceperunt. Sin autem antiſtes præter Dei ſcopum punierit,Deus eum non ſequitur:& ecce inuenitur pœna quę ab eo infligitur iniuſta,& propterea inualida. Et de ſacerdotio dixit Dominus Petro, *quæcumque ligaueris ſuper terram, erunt ea etiam ligata in cælis.* Vide vim verbi. Non dixit,*quæcumque ligaueris ſuper terram,erunt ligata in terra*,ſed *in cœlis*,vt qui

excommunicat,

excommunicat, vel deponit, vel prohibet, rem terribilem ducat, vt qui Deum ad vnà ſecum ferendam ſententiam vocet, nempe qui ſub eius qui eſt in cœlis teſtimonio hoc agat. Iam, & qui prohibetur vel deponitur, horreat, vt qui extra regnum cœlorum eiiciatur. Vide (inquit,) quid facis, ô Sacerdos, quæ inferiùs ligas, ea eſſe ſuperiùs in rationes referenda exiſtima. Non eſt à ratione reddenda liberum vinculum, ſi iniuſtè ligaueris. In iudicio Angelorum oſtenſurus es, num ira, & animi perturbatione vinculum inuleris, num vt te ipſum vlſciſens. Deus enim eum qui iniuſtè alligatus eſt, defendit & vlciſcitur. Qui itaque gregem Dei ſincerè paſcit, os Dei vocatus eſt: dicit enim, *ſi quod eſt pretioſum ab eo quod eſt nullius pretij ſeparaueris, eris os meum.*] Exſcripſit hic autor Antiochum ſuperiùs ex parte adductum ex homil. 122. apud quem nemo in his verbis, putens quid aut grauiter olidum eſt odoratus. Igitur non minùs pura haberi debent apud Niconem. Diſertè verò continent, quod iam ex Clemente Romano & Origene diximus; nimirum iniuſtam ſententiam in caput ferentis retorqueri, qui verò ea appetitur, abire intactum & indemnem.

4. Plus dico. S. Auguſtinus l. de vera relig. c. 6. tantùm abeſt, vt homini iniuſtè vexato timendam excommunicationem arbitretur, vt potiùs inſigne ei decus ſpondeat. [Sæpè etiam (inquit) ſinit diuina prouidentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones, expelli de congregatione Chriſtiana, etiam bonos viros. Quam contumeliam vel iniuriam ſuam, cum patientiſſimè pro Eccleſiæ pace tulerint, neque vllas nouitates vel ſchiſmatis, vel

hæreſis

hæreſis moliti fuerint, docebunt homines quàm vero affectu, & quanta ſynceritate charitatis Deo ſeruiendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis reuocare turbinibus: aut ſi id non ſinantur, vel eadem tempeſtate perſeuerante, vel ne ſuo reditu, talis aut ſæuior oriatur, tenent voluntatem conſulendi, etiam iis ipſis, quorum motibus perturbationibuſque ceſſerunt, ſine vlla conuenticulorum ſegregatione vſque ad mortem defendentes, & teſtimonio iuuantes eam fidem, quam in Eccleſia Catholica prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto, Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt. Imò plura ſunt quam credi poteſt.] Similia loca ex variis Patribus, nominatimque ex S. Gregorio qui obiiciebatur, accumulat Gerſo 1. p. libro quo diſcutit hoc pronunciatum, *ſententia etiam iniuſta timenda eſt.* Nec omittendus Innocentius IV. qui in Concilio Lugdunenſi illud oraculum fudit. [Æterni iudicis tribunal, illum reum nō habet, quem Iudex iniuſtè condemnat.] Vides de Patrum ſententia excommunicationem iniuſtè intortam non eſſe paſſo damnoſam, atque adeò neque timendam; quod tamen SS. Gregorius & Vrbanus affirmabant.

Diſſoluitur. Aliqua excommunicatio, iniuſta ſimul & inualida.

5. Hæc difficultas, tollenda eſt adhibita diſtinctione, cum Hugone Victorino l. 1. de ſacram. fidei cap. 26. Couarruuia in cap. *alma mater*. p. 1. §. 7. num. 5. Maiore in c. 18. Matthæi. Gloſſa ad cap. *præſenti*. de ſent. excomm. in 6. paſſimque aliis. Dupliciter ergo excommunicatio

excommunicatio poteſt iniuſtitiæ inſimulari. Primò illius quæ excommunicationem reddat inualidam, quod variis modis accidere docet Palud. in 4.d.18.q. 1. artic. 4. v.g. ſi excommunicans careat excommunicandi autoritate. Sic enim non erit Iudex, & eius ſententia erit caſſa, iuxta illud in cap. *ad audientiam*. de conſuetud. [Sententia à non iudice lata, nullam obtinet firmitatem.] Et idem eſſet, ſi proprius Iudex ferens excommunicationem, eſſet publicè excommunicatus: Nam ſic eius poteſtas ligatur, perindéque ſe habet, ac ſi non eſſet Iudex, ex cap. *audiuimus*. 24.q. 1. Similitérque idem eſſet, ſi Iudex ſubditum excommunicaret contra eius priuilegium, cuius accepiſſet ſufficientem notitiam, vt in cap. *cum capella*; & cap. *quàm*, de priuileg. Item ſi Iudex delegatus, contra delegantis mentem, aut in euentu non commiſſo, excommunicaret: vt in cap. finali, de præbend. Rurſus idem eſſet, ſi Iudex appellationi conuenienter ac tempori interpoſitæ, non deferret. Præterea ſi ſententia contineret errorem intolerabilem, vt in cap. *per tuas*. de ſent. excom. & cap. *ſolet*. eod. in 6. nimirum vt Toletus l. 1. inſtruct. c. 10. num. 4. pleniùs proſequitur, ſi Iudex me feriret propter vitatum peccatum, vel propter aliquid ad quod non teneor; vel propter opus ſanctum, vt aliquando factum retuli c. præcedenti ex S. Hieronymo.

6. Eſt etiam ad hunc modum iniuſta ea excommunicatio, in qua prætermiſſæ fuerint ſolemnitates ad validè excommunicandum requiſitæ. Sunt enim aliquæ ſolemnitates quaſi ſubſtantiales, quarum prætermiſſio planè nullam redderet excommunicationem. Eiuſmodi eſt monitio aliqua, vt contra Caieta-

num

num latè diſputat Soto in 4. d.22. q.1. artic.2. concl. 4. & Gutierres l.2.qq.Canon.c. 6.à num.2.Victor.in ſumma tract. de excomm.num.6. Suarez t.5.3.p.d.3. ſ.10.num.24. & ſect.12. num.4. Et ratio ſuffragatur, quia excommunicatio non fertur niſi ratione contumaciæ, ex cap. *quiſquis*, 1.q.6. contumacia autem in eo eſſe nequit, qui admonitus non fuerit. Quæ præmonitio non deeſt etiam reſpectu illorum, quos per modum agendi, vt cenſuit Ayala, nec ab Apoſtolis vſurpatum,nec valdè antiquũ,ius ipſo facto excõmunicat.Sic ille in opere de tradit.p.3.pag.mihi 250.non inquam deeſt pro iſtis præmonitio,vt ſupra benè monuit Soto,quia notificatio mandati ſub tam graui pœna,eſt ſufficiens præmonitio.Contumaciam item notoriam locum monitionis tenere, & idcirco qui notoriè contumax eſt, non eſſe neceſſariò præmonendum, ſed illicò percelli poſſe excommunicatione, affirmat Couar.in cap.*alma mater*. p.1.relect.§.9.num. 6.Quam tamen & alias pleraſque exceptiones quoad cenſuram ab homine,fusè à Sayro enumeratas l.1. de cenſur.c. 12. à num.26. repudiat Suarez ſectione illa 10. concludens, propriam cenſuram, quia eſt pœna medicinalis,nunquam ferri ſine admonitione præuia: quia admonitio abſolutè,intimè includitur in ratione pœnæ medicinalis, cuiuſmodi eſt cenſura,& præſertim excommunicatio.Quod intelligendum eſt de admonitione,ſaltem prout includitur in omni mandato quod habet ordinem aliquem ad futurum: à quo ordine non poteſt præſcindere excommunicatio,quandoquidem ferri non poteſt propter culpam purè præteritam, vt ſuperiori capite vidimus. Itaque excommunicatio, prout non modò aliquale temporale incommodum,

commodum, ſed etiam ſpirituale damnum infert, quia ſemper inuoluit ordinem aliquem ad futurum, prærequirit neceſſariò monitionem aliquam, & abſque ea non poteſt eſſe valida. Qui autem contrarium ſignificant, (profert eos ac ſequitur Auila 2.p. cap.5. diſp.1.dub.9.) ferè agunt de monitione prout canonica; quæ ſcilicet vel ſit trina, vel vna pro tribus, cum interuallis idoneis, qualem monitionem non dicimus eſſe excommunicationi ſubſtantialem, cum poſſit prætermitti, quando iuſta ad id neceſſitas adigit. Ratum itaque eſto, monitionem aliquam eſſe ſolemnitatem excommunicationi ſubſtantialem. Sunt verò aliæ aliquæ ſolemnitates accidentariæ, quarum prætermiſſio, etiamſi culpam omittentis contineat, non reddit tamen ſententiam caſſam: cuiuſmodi eſt, quod excommunicatio feratur in ſcriptis, vt ſtatuitur cap. 1. de ſent.excommun.in 6. Illa igitur duntaxat ſolemnitatum prætermiſſio redderet excommunicationem iniuſtam ſimul & inualidam, quæ eſſet prætermiſſio ſolemnitatis alicuius ſubſtantialis, qualem declaratum eſt eſſe monitionem.

Quæ ſic iniuſta eſt, nequaquam timenda.

7. Excommunicatio ad modos hactenus propoſitos iniuſta, nempe quæ ex aliquo capite efficitur inualida & nulla, nec nocet ei in quem fertur, nec timenda eſt; vt benè tradit Palud. in 4.d.18.q.1. verſic. *quantum ad tertium*, concluſ. 2. Idque Origenes, & alij Patres ſecundo loco adducti, voluerunt. Tantùm, donec plebi fidelium de irrita & vana excommunicationis vibratæ ſententia conſtet, præcludendum eſt

ſcanda

ſcandalum, declinata prudenter communicatione cæterorum, ne poteſtas ſuperior contemni, & induci rebellio videatur. Porrò difficiliùs accidere, vt excommunicationes per Summum Pontificem intortæ, ſint ad hunc modum iniuſtæ, ideóque multo magis timendas eſſe, copiosè perſequitur Auguſtinus de Ancona in ſumma de poteſtate Eccleſiaſt. q. 27. artic. 3. quia nimirum, nullæ ferè cauſæ ex iis propter quas excommunicatio ita poteſt eſſe iniuſta, vt ſimul ſit inualida, cadunt in Summi Pontificis excommunicationes: cum ipſe iuriſdictione vniuerſaliſſima potiatur, nec detur ab eo appellatio; vel vllum priuilegium ſuffragari contra eius autoritatem poſſit. Item ipſe nulli ordini iuris poſitiui alligatur; & cum abundet ſapientum conſilio, vix poteſt accidere, vt eius ſententia feratur ex cauſa non idonea. Quare meritò concludit Doctor prædictus, qualeſcunque appareant cenſuræ à Pontifice vibratæ, multo magis eſſe timendas quàm inferiorum Præſulum cenſuras; & multo magis valere quoad Pontificias excommunicationes, quod à S. Gregorio dictum eſt, ſententiam excommunicationis quantumuis iniuſtam eſſe extimeſcendam; quia ſcilicet hæ excommunicationes longè rariùs ſunt ita iniuſtæ, vt ſimul ſint inualidæ. Nec plura de primo membro diſtinctionis propoſitæ.

Quæ iniuſta, ſed valida eſt, timeri debet.

8. At excommunicatio, quæ idcirco tantùm iniuſta eſt, quia Iudex non recto animo proceſſit, aut quia in accidentalibus deliquit, vel quia is qui excommunicatur, ſe iudicat innoxium; etiamſi ei de ſua innocentia

nocentia euidenter non conſtet; (quod eſt alterum diſtinctionis propoſitæ membrum;) excommunicatio inquam ad eum duntaxat modum iniuſta, timēda eſt, & donec ſoluatur, non ſecus ei parendum eſt, ac ſi planè iuſtā & cuiuſuis labis vacua fuiſſet: æquè enim parit omnes effectus excommunicationis. Idque apertè volunt DD. qui aſſerunt eum, cui iniuſte infligitur excommunicatio, conſtitui extra Eccleſiam. Ita Innoc. ad cap. *ex parte*, & ibid. Panorm. n. 6. de offic. Iud. ordin. Calder. in cap. *ab excommunicato*. n. 6. Sebaſtianus à Coſta in c. 1. de ſent. excom. num. 12. & cum multis Ricciullus l. 4. de iure perſon. extra Eccleſ. c. 1. num. 3. Rationem verò reddunt Innoc. & Panorm. quia excommunicatio non habet vim à Iuſtitia operantis, ſed à poteſtate clauium; quæ æquè exeritur cum excommunicatio iniuſta eſt, dummodò ſit valida, ac cum nitet vndecunque. Dixerunt quidem aliqui DD. talem excommunicationem valere quoad Eccleſiam, non autem quoad Deum. Ita Couar. in c. *alma mater*. p. 1. §. 7. num. 5. ac Gutierres l. 1. qq. Can. c. 4. num. 34. & Toletus l. 1. inſtruct. c. 10. num. 7. Sed hoc non eſt ita accipiendum, quaſi Deus hominem ſic excommunicatum eximat ab omnibus damnis excommunicationis; hic enim ſenſus eſt falſus. Sed ita accipiendum eſt, vt ſit ſenſus, ſic excommunicatum non eſſe reuera reum, nec ob talem excommunicationem excidere gratia Dei. Attamen quia Iudex legitimus vtitur poteſtate qua pollet, fatendum eſt, excommunicationem ab eo ſic latam, inferre excommunicato omnia damna, quorum irrogatio ſubeſt diſpoſitioni iudicis. Ac proinde talis excommunicatio timenda eſt, & quod ad varios particulares euentus

aptat Romanus conſilio 369. cauſat iuſtum metum, vt loquuntur DD. ſiue grauem, tanquam de magno malo conceptum.

Excommunicatio materialiter iniuſta, num timenda.

9. Eſt tamen nonnulla dubitatio, an ad hanc claſſem iniuſtarum ſimul & inualidarum excommunicationum, referenda ſit ea quæ reipſa quidem iniuſta eſt, ſaltem materialiter; id eſt, qua feritur innocens, & ob cauſam non idoneam, ſed qui tamen ſecundùm allegata & probata, appareat nocens, & dignus qui ſic plectatur. Nam Iuriſperiti ad cap. *qui iuſtus.* 11. q. 3. & ad cap. *per tuas.* & cap. *ſacro.* de ſent. excom. talem excommunicationem habent pro valida in vtroque foro. Videndi quos profert Couarr. in c. *alma mater.* 1. p. §. 7. num. 5. & Henriq. l. 13. c. 15. num. 4. E contrario tamen Theologi quibus adhæreo, eam excommunicationem habent pro nulla. Adducunt permultos Suarez t. 5. 3. p. d. 4 ſ. 7. à num. 13. Sayrus l. 1. de cenſur. c. 16. num. 8. Auila 2. p. c. 6. diſp. 1. dub. 3. & ratio breuiter eſt, quia poteſtas excommunicandi, non eſt data Eccleſiæ niſi in ædificationem. Cederet autem in deſtructionem, ſi hominem innoxium feriret, quamuis per errorem, probatum noxium. Quare tametſi prouidendum eſſet, ne ex publica contemptione talis ſententiæ oriretur ſcandalum, tamen reipſa talis ſententia eſſet iniuſta materialiter, & reipſa eſſet ſimpliciter nulla, nec plus timenda in foro interno, quàm ſententia apertè iniuſta. Vt autem remoueretur ſcandalum, nec ingeneraretur exiſtimatio, quòd is, qui

ita

ita percelleretur, contemnat claues Eccleſiæ, rectè ſtatuit Sayrus l. 1. de cenſur. c. 17. num. 19. & 20. eum vel teneri reclamare aduersùs talem ſententiam, vel certè teneri portare iram, tametſi materialiter iniuſtam. Quo ſpectat inſignis locus Nicolai primi epiſt. ad Michaëlem Imperatorem, & totidem verbis epiſt. 10. quæ eſt ad clerum Conſtantinopolitanum, & inſerta habetur octauæ Synodo act. 7. Agens enim de Gregorio Epiſcopo Syracuſano, qui excommunicatione percuſſus geſſerat ſe vt liberum, quia ſe obtendebat malè & iniuſtè percuſſum, ait Nicolaus, [quod certè Gregorius agere omnino non debuit, etiamſi nulla commiſſa exiſterent, pro quibus damnari potuiſſet. Quia Prælati iudicium, ſemper inferioribus formidandum eſt, ne ſi ei non obedierint, licet ab eo fortaſſis iniuſtè ligentur, ipſam obligationis ſuæ ſententiã ex alia culpa, id eſt ex inobedientia mereantur. Igitur Prælatos damnare, indifferenter oportet horreſcere. Quicunque verò minores ſunt, damnari ſollicitè caueant, nec maiorum ſuorum ſententiam tranſgrediantur. Alioquin licet iniuſtè nonnunquam damnati ſint, ex ipſa temeraria præuaricatione, culpa quæ nondum fortè perpetrata fuerat, & vltio quam culpa necdum merebatur, proculdubio ſubſequentur. Nihil quippe lignum vetitum in ſe mortiferum habuit; ſed qui inobedienter ex eo comedit, mortem ſibi & poſteris propinauit: non quia lignum malum, cum Deus quod fecit, totum fecerit bonum; ſed quod mala ſit tranſgreſſio; & nolentis ſubiici, per eam merito ſit orta dãnatio.] Ex his habetur quid faciendũ ſit ei qui excõmunicatione inualida, vel iniuſta percuſſus fuerit, quod primo loco exponendum propoſueram.

Iuſtè excommunicato, conſilium Nyſſeni.

10. Videndum ſupereſt, quomodo ſe gerere debeat is, in quem intorta iuſtè fuerit excommunicatio. Huic autor in primis eſt Gregorius Nyſſenus, tota pene oratione de moderatè ferendis reprehenſionibus, vt indignatione abſtineat, nec contra ſtimulum calcitret, ſed potiùs irrogatæ mulctæ cauſam ſubducat per pœnitentiam. Pręter cętera verò in hanc rem pręclara, adducto diſcipuli à Magiſtro caſtigati exemplo, ſanum conſilium in hoc negotio his verbis præbet. [Si nobis ad ſeparationem clauſæ fuerint portæ Eccleſiæ, blaſphemiis & maledictis inſectamur. Non eſt autem hic modus diſcentium, ſed ſeditioſorum, & eorum qui decertant propter contentionem. Pueri locum & ordinem tenere debet diſcipulus, qui tenetur deſiderio vnius artis aut ſcientiæ externæ. Qui autem exercetur in pietate, debet eſſe puer cum maiori acceſſione: quandoquidem Dominus quoque, illam ætatem tanquam morigeram, & facilè parentem, ſuis ornauit laudibus. Puer enim non egreditur characteres & lineas quas illi cera ſignauerit Magiſter; neque innouat elementa, ſtupida quadam & attonita libertate, noui aliquid moliens in litteras: ſed primum quidem, ſtylo exercet manum magiſtri, elementis autem non alia dat nomina quàm quæ audiuit. Omnino autem & verbis & factis imitatur præceptoris traditionem: Quod ſi quando effectus ſocordior, ſcutica vapulauerit, non propter verbera audacior redditur, & inſolentior: neque fractis præceptoris tabulis, recedit: ſed cum parumper præ dolore amaram

effuderit

effuderit lachrymam, diſciplinarum ſtudia inſequi-tur, in iiſque meditandis intentior redditur, non negligentior. Rurſus cùm aliquando vt iuuenis fuerit negligens, iubetur manere ieiunus, faméque damnatur eius negligentia, manet autem ſolus in ludo litterario, cum alij pueri receſſerint ad prandium, præceptum obſeruans ſumma cum reuerentia. Non ſic autem Chriſtianus, qui audiuit, *niſi conuerſi fueritis & ſitis ſicut pueri, non intrabitis in Regnum cœlorum*; ſed quando viderit Sacerdotem, auſteriùs & geſtu ac voce delictum corrigentem, apertè contradicit, & murmurat intra dentes, forúmque & compita obiens, maledictis inſectatur: & ſi ab Eccleſia fuerit excluſus, contemnit, cum palam abſcindatur à precibus populi, & à myſteriis, aut fortè ne huic quidem ſubiectus ſupplicio, ſe aufert ab Eccleſia propter iram, quam concepit in Epiſcopum, Deum & Dominum auerſans. Ei autem dicendum eſt, quod dictum eſt Paulo, cum adhuc eſſet Saulus. *Durum eſt tibi ô homo aduerſus ſtimulos calcitrare*. Siue ex te ipſo Deum dimiſiſti, conſidera quod qui ſeparatur à ſole, vitam degit in tenebris & caligine: ſiue tanquam indignus eiectus es à precibus, priorem ſtatum reuoca pœnitentia.]

11. Non ſatior adſcriptione orationis paulo prolixioris, quandoquidem ea in rem noſtram nihil aptius potentiúſve proferri poſſet. Rurſus igitur inferiùs poſt deſcriptam teterrimam excommunicati coram Deo faciem, denuò ad ſana conſilia excommunicato ſuggerenda conuerſus, [*Nolite fieri* (inquit Dauid) *ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. In camo & freno maxillas eorum conſtringes*. Durum mitigans hæc dicit Pſalmus, & tanquam oleo molliens

adhortationibus. Collum ergo incurua, iuſſis cede tanquam iugo. Quod durum eſt, rumpitur: quod cedit & inflectitur, dirigitur. Hoc te docet ipſa in plantis, & arboribus experientia. Ne frænum mordens, toto impetu feraris ad præcipitium, aut barathrum: ſed manu Equitis circumacto collo, dirigere ad viam quæ tendit ad ſalutem. Quando ſuſceperis reprehenſionem pio & reuerenti animo, dic illud Dauidicum; *bonum mihi, quod me humiliaſti, vt diſcam iuſtificationes tuas*. Ne Epiſcopalis arrogantiæ exiſtimes eſſe ſegregationem: lex eſt patria, vetus eſt regula Eccleſiæ, quę cœpit à lege, & fuit confirmata in gratia. Conſidera ſanctum Paulum per epiſtolas in reos emittentem ſententias ſegregationis, & iuuenem Corinthium eo curantem medicamento, qui ſathanicè nouercæ inſano captus erat amore. Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem filium quem recipit. Diſciplinæ enim radices non ſunt dulces, ſed amaræ, ſed poſtea ferunt fructum fauis mellis dulciorem. Et ideo ei quidem qui exercetur, opus eſt vt laboret; ei verò qui non exercetur, plaga opus eſt & aſperitate.]

Surdi ad hæc monita, qui in Præſulem idcirco inſurgunt.

12. Hoc Nyſſeni conſilium non arripiunt, qui vſque eo exacerbantur in Antiſtitem, à quo intorta eſt excommunicatio, vt in eum quomodò poſſunt, bacchentur; & vel linguæ virulentia, vel etiam factis aliquibus eos perſequantur & vexent. Hoc S. Chryſoſtomus l. aduerſus Gentiles de S. Babyla, damnat inſaniæ. Deſcripſerat eo loco excommunicationem

Romani

Romani Imperatoris, ob grauia ſcelera à S. Babyla intortam. Subiunxerat quoque Imperatoris illius furorem in Paſtorem ſuum, & quomodò eum carceri mancipaſſet. Tum ſubdit, quod in rem noſtram cadit belliſſimè. [Peccati natura, vbi animi cogitationem aliquam adorta eſt, nec quiſquam eſt qui malum reſtinguat, procedens vlterius, grauior certè ac magis indomita efficitur. Propterea ſæpè fit, vt quæ poſteriora ſunt peccata, prioribus grauiora ſint, anima ſemper poſteriorum peccatorum acceſſione ad maiorem contumaciam ac deſpicientiam ſe ſe promouente, & per hæc ipſa, ſuam quidem vim eneruante, peccati autem robur alente. Qua vtique ratione, complures videas in omne peccatorum genus imprudentes prolapſos, quòd flammam initio exorientem non reſtinxerint. Sic & infelix ille Imperator, peccatis ſuis prioribus, poſteriora grauiora adiecit. Vbi enim iuuenem illum extinxit, è veſtigio, ab illius cæde ad inferendam templo iniuriam irruit; rurſus ab hac iniuria, tanquam iter ſemel cœptum perſequens, ad contumaciam temeritatémque ſuam ſacerdotio contumelia afficiendo ſe accinxit: vinctúmque ferro Babylam, atque in carcerem coniectum, ita tum excruciabat, ab eodem beneficij pœnas exigens: eúmque ob quæ officia admirari potiùs coronáque inſignire, ac pluſquàm etiam parentes proprios vereri conueniebat, ob ea ipſa cogebat, maleficorum hominum vincula, & vinculorum calamitates, miſerias, ærumnas, ſuſtinere. Ita quo modo dixi, peccatum vbi initium cœpit, nec eſt qui id vlteriùs progredi impediat, cohiberi poſtea, ac frænari haud facilè poteſt, equorum inſanientium ritu, qui çum fræno ab ore diſiecto, nec non ſeſſore

ab armis excuſſo, atque reſupinato, neutiquam tolerabiles occurrentibus euaſerint, nemine illos inhibente, immoderato quodam impetu hac illac ſe ipſi præcipites ferunt. Quo fit, vt ſalutis noſtræ hoſtis, huiuſmodi animas ad inſaniam impellat: quo eas medicorum præſentia atque auxilio deſtitutas deprehendens, concidat, & infinitis malis exerceat. Etenim qui corpore laborant, donec Medicos ad ſe adire patiuntur, in magnam certè ſalutis ſpem ingrediuntur: vbi verò mente capti, calcitrant, ac ſe morbo liberare volentes mordent: tum denique morbo incurabili laborant: idque non ob morbi ingenium, ſed quod ab iis deſtituti ſunt, qui inſaniam illam ſanare poſſint. In quam inſaniam, & Tyrannus iſte ſe ſe coniecit. Nam medicum nactus, hunc, vulnus adhuc dum ſecaret, ſtatim expulit, & à domo quàm potuit longiſſimè exegit.] Idipſum fecere nequiſſimi quidam erga bonos Antiſtites, quibus vincula iniecerunt, vel necem irrogarunt præ Eccleſiaſticæ animaduerſionis impatientia. Talis nominatim ſecundùm Philippum Imperatorem erga S. Babylam, Boleſlaus Polonus erga S. Staniſlaum.

Et qui in eum, figunt genuinum.

13. Non facilè in adeò horrendum barathrum præcipitem ſe agit, quantumuis exacerbata veſania. Frequentius eſt, vt lingua impotenter irruat in Antiſtitem, eúmque crudeliter dilaceret. In quo euentu ſapienter Origenes hom. 11. in Ierem. *ſub finem*, monet obſtruendas eſſe his Antiſtitum laceratoribus aures, ita ſcribens. [Si quis vult imitari vitas prophetarum,

increpet,

increpet,arguátque peccatores,ſtatim odium merebitur, ſtatim ei detrahetur, ſtatim patietur inſidias. Quod etiam nunc in Eccleſiis, ſæpè videmus accidere. Peccauerit quidlibet quiſpiam. Is qui præſidet populo,& regit eccleſiaſticam diſciplinam,eiicit eum de congregatione ſanctorum. Illico, ille circuit ciuitatem. Lacerat eum, qui quantum in ſe fuit, Eccleſiam vindicauit. Verùm nos non præbeamus his aurem, qui propter excommunicationem ſui, tam præpoſitos, quàm omnem Eccleſiæ Conuentum veſano ore dilacerant.]

Et qui idcirco ad hoſtes migrant.

14. Non eſſe nouum quod aliquando experti ſumus,vt aliqui iuſtè excommunicati, præ dolore & impotentia animi,deſerant Catholicam Eccleſiam,& ad hoſtilia caſtra tranſgrediantur, diſcimus ex S. Auguſtino l.de vera relig.cap.6.verbis illis.[Excluſi,(ab Eccleſia per excommunicationem,) aut pœnitendo redeunt,aut in nequitiam malè liberi defluunt ad admonitionem noſtræ diligentiæ : aut ſchiſma faciunt ad exercitationem noſtræ patientiæ : aut hæreſim aliquam gignunt, ad examen ſiue occaſionem noſtræ intelligentiæ. Hi ſunt exitus Chriſtianorum carnalium,qui non poterunt corrigi aut ſuſtineri.] Peregrinum (quiſquis ille tandem fuerit.) ex Philoſopho Chriſtianum, neglectu Chriſtianorum rituum excommunicatum, præ impatientia regreſſum ad Cynicos & Ethniciſmum, ſcribit Lucianus in Peregrino, ſeu Proteo.

Tentat his medelam facere S. Hieronymus in c.

17.Ezech.ad illud,*propterea hæc dicit Dominus*.Prolatis enim ſolemniſſimis duobus Apoſtoli de excommunicatione locis 1.Cor.5.& 2.Tim.1.infert. [Non debemus ergo ſi forſitan ob aliquod peccatum de congregatione fratrum & de domo Dei eiicimur, reluctari : ſed æquo animo latam in nos ferre ſententiam:& dicere cùm Propheta:*iram Domini ſuſtinebo, quoniam peccaui ei, donec iuſtificet cauſam meam*, &c. Et frequenter euenit, vt alteri ſubditi ad alterum tranſeamus, qui nobis ſuum repromittat auxilium, nec faciat in priſtina ſententia permanere. Quod omni ratione vitandum eſt, ne ſiccentur palmites noſtri, & germina areſcant,& contra pactum Dei facere credamur.]

15. Apparet S. Hieronymum ex Origene profeciſſe,cuius illa ſunt hom. 10. in Ezech. circa illud, *confundere & accipe ignominiam tuam*. [Sequitur confuſionem ignominia, & dat Deus ei qui confuſione digna geſſit,etiam ignominiam, dicitque ad eum, *& accipe ignominiam tuam*.Poteris autē intelligere quod dicitur, ſi conſideraueris quæ quotidie in ciuitatibus fiant.Inhonoratio ciui eſt & patria ſua exulare,& infamia decurioni eradi de albo curiæ;& cuiuſcumque alterius conditionis homini, relinqui quidem in vita, ſed cum ignominia, ſiue in operibus publicis, ſiue in Inſula aliqua ſolitudinis viuere. Intellige autem mihi,iuſtum iudicem ei qui digna infamia fecerit, dicentem. O tu qui pœnæ reus es, noli exilium tuum cum mœrore ſuſcipere: non enim mereberis miſericordiam, ſi iraſceris ad pœnam,quin potius intellige dignè te pati quod pateris : & cum te humiliaueris atque dixeris,iuſtum de te factum eſſe iudicium, forſitan

ſitan miſericordiam conſequeris, ab eo qui poteſt, poſt condemnationem ad priſtinum te ſtatum reuocare. Quomodo enim licet magno Principi liberare aliquem de inſula,& de exilio, & de publicis vinculis; multò magis licet vniuerſitatis Deo, eum qui inhonoratus eſt,in honorem priſtinum reſtituere, ſi tamen ſentiens delictum ſuum, confeſſus fuerit dignè ſuſtinuiſſe quod paſſus eſt. Dabo & aliud exemplum de Eccleſiaſtica conſuetudine. Infamia eſt à populo Dei & ab Eccleſia ſeparari. Dedecus eſt in Eccleſia ſurgere de conſeſſu presbyterij,proiici de diaconatus gradu,& quidem eorum qui abiiciuntur, alij ſeditiones commouent,alij verò iudicium in ſe factum cum omni humilitate ſuſcipiunt. Quicunque igitur exiguntur, & dolore depoſitionis ſuæ, congregant populos ad ſchiſma faciendum, & ſolicitam multitudinem malignorum, non accipiunt inhonorationem ſuam in præſenti, ſed theſauriſant ſibi theſaurum in die iræ. Qui autem cum omni humilitate,ſiue dignè, ſiue indignè depoſiti ſunt, Deo iudicium derelinquunt & patienter ſuſtinent, quod de ſe iudicatum eſt, iſti & à Deo miſericordiam conſequuntur,& frequenter etiam ab hominibus reuocantur in priſtinum gradum,& in gloriam quam amiſerant. Doctrina ergo optima eſt q iomodo hoc quod dicitur, *& tu confundere*,ſic & illud quod ſequitur,*& accipe ignominiam tuam.*]

Vel præ mora captandæ exſolutionis, mouentes hæreſeos ſuſpicionem.

16. Suſpecti in Eccleſia fiunt huius inſipientiæ, (veſtri

(veſtri potiùs,) tranſgredientium ad hæreſim ob excommunicationem, quotquot inſordeſcunt in ea per annum, vel etiam vlteriùs, non ſolliciti de obtinenda exſolutione. Ita ſtatuit Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de reformat. Quod ſi intra annum abſolutionem captent, liberi fiunt ſuſpicione hæreſeos, quodcunque tandem fuerit crimen, ob quod excommunicatione percuſſi fuerunt. Si verò abſolutionem tamdiu differant quærere, meritò ea contemptio exſolutionis, ſiue ſit formalis, ſiue interpretatiua, continere cenſetur inficiationem poteſtatis Eccleſiaſticæ ad excommunicandum: atque adeò meritò ingenerat ſuſpicionem hæreſeos, vt cum permultis docet Sanctarellus tract. de hæreſi, cap. 4. dub. vnico, num. 4. addens num. 6. annum qui ad ingenerandam hæreſeos ſuſpicionem requiritur, & continuum eſſe oportere, & non eſſe computandum à die contractæ excommunicationis, ſed à die qua declaratum fuerit eam fuiſſe contractam. Hæc pleniùs ac diligenter excutiunt Farinac. tract. de hæreſi, Menoch. de arbitrar. iudic. caſu 416. centur. 5. à num. 54. Salcedo in pract. crimin. Can. cap. 119. à num. 4. An verò Clericus ob contractam hac ex cauſa hæreſis ſuſpicioné, priuetur beneficio, quod tradit Felinus in c. 1. de iudic. num. 8. Ægid. Bellam. deciſ. 677. Iulius Clarus lib. ſent. ver. §. fin. q. 73. Negant autem alij apud Salcedo ſupra num. 4. qui addit num. 13. priuandum eſſe beneficiis & dignitatibus, quamuis eo ipſo non priuetur ob hanc ſolam ſuſpicionem; hanc inquam rixam ad fori potiùs tricas pertinentem, dimitto Iuriſperitis, inter quos latè eam adhibitis variis diſtinctionibus excutit Ricciullus lib. 4. de iure perſon. extra Eccleſ. cap. 7. Mihi ſatis eſt dicere

cum

cum Gulielmo Benedicto ad c. *Raynutius*.de Teſtam. §.*mortuo teſtatore*.num. 287. per hanc in excommunicatione inſordeſcentiam, hominem *facere profeſſionem in antro & ſpelunca Diaboli.*

Item improuidè appellantes.

17. Sunt præter prædictos iuſtè excommunicatos, alij qui nec ita frontem atterunt, vt inſurgant in Præſules qui excommunicationem tulerunt; nec ore eos maligno lacerant, aut longa quærendæ abſolutionis negligentia, ſpeciem contemptorum præferunt, ita vt ſuſpicionem de ſe moueant non ſatis ſyncerę fidei: Nihilominus ſententiæ latæ non acquieſcentes, quærunt diuerticula, & ab vno tribunali ad aliud prouocant, vt inter litium ambages, arripere alicunde effugium queant, diſpendio plerunque potiùs quàm compendio, ex ea comperendinatione. Eſt in hanc rem exemplum inſigne l.5.vitæ Patrum, num. 88. vbi duo, cum ex ſimplicitate & craſſa verborum Chriſti intelligentia, ſe caſtraſſent propter regnum cœlorum; ab Alexandrino Epiſcopo cui ſuberant excommunicatione idcirco percuſſi, prouocarunt ad Hieroſolymitanum Antiſtitem: quo ratam habente Alexandrini Epiſcopi excommunicationem; ad Antiochenum Præſulem primò, deinde ab eo quoque renouata excommunicatione, tandem ad Romanum Pontificem adiuerunt, illud præfantes, *Venimus ad te, quia tu es caput omnium.* At ſummo Pontifice, anteriora omnia iudicia firmante, cauſati aſſentientium & blandientium ſibi inuicem Præſulum ſtudia, & diſtortos affectus, migrarunt in Cyprum ad S.Epiphanium; ſperan-

tes non accipiendam ab eo perſonam hominis, foréque vt per eum haberétur innoxij,& pro obedientia in re tam ardua,collaudarétur Aduentantes priuſquã vrbem ſubirent,S.Epiphanius diuinitùs præmonitus, iuſſit extra vrbem manere,nec commiſceri fidelibus, quippe irretitos excommunicatione. Hæc denunciatio, quam non dubitarunt propheticam, & afflante numine factam fuiſſe, ſalutem tandem illis creauit. Itaque compuncti corde, & parati per omnia ſatisfacere,à S.Epiphanio diuinitus edocto eam mentis mutationem,aduocati ſunt in ciuitatem, & literis gratiæ conciliatricibus muniti, remiſſi ſunt ad Alexandrinum Antiſtitem, à quo communicatione Chriſtiana qua exciderant ſunt redonati;ſerò ſapientes.Conſultius enim feciſſent,ſi quam ſatisfactionem & humilitatem exhibuerunt poſt S.Epiphanij redargutionem, exhibuiſſent iam ab initio.Qua comperendinatione, & aliquali recalcitratione, omnibus æquè excommunicatis iuſtè,ſi ſapiant,eſt abſtinendum.

Firmatur & perficitur,datum ex Nyſſeno conſilium.

18. Et probabunt etiam multo luculentiùs ſapientiam, ſi portantes cum patientia iuſtè immiſſam vindictam, vt Nyſſeni conſilium ferebat, deinceps multò ſtudioſiùs in omnes virtutes incumbant, vt & per Dei miſericordiam pateat ad Eccleſiæ communicationem regreſſio, & ſtabiliantur in ea cum obtigerit. Conſilium eſt S. Hieronymi in c.29.Ierem. ad illud, *quærite pacem.* Præmiſſis enim Domini ad exules Iſraëlitas mandatis;& iuxta literæ corticem expoſitis,

ſubdit.

ſubdit.[Secundùm myſticos intellectus,poſtquàm de Hieruſalem , id eſt , Eccleſia , propter peccata noſtra eiecti fuerimus, & traditi Nabuchodonoſor , de quo dicit idem Apoſtolus : *Tradidi huiuſcemodi Satanæ in interitum carnis,vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini.* Et iterum;*quos tradidi Satanæ,vt diſcant nō blaſphemare:* non debemus eſſe ſecuri,nec torpentes otio, ſalutem penitus deſperare:ſed primùm ædificare domos, non ſuper arenam,ſed ſuper petram,& tales domos quales ædificauerunt obſtetrices in Exodo , quia timebant Dominum,deinde plantare hortos ſiue pomaria,qualem & Dominus plantauit paradiſum in Edem,& poſuit in eo lignum vitæ, de quo ſcriptum eſt , *Lignum vitæ eſt , his qui apprehenderint eam , & qui tenuerit eam,beatus.* Tertiò accipere vxores , quarum vna eſt ſapientia,de qua ſcribit Salomon,*ama illam, & ſeruabit te,& circunda illam,& exaltabit te.* Et in alio loco; *hanc exquiſiui ſponſam accipere mihi , & amator factus ſum decoris eius.* Nec ſufficit nobis vna coniux ſapientia,niſi habeamus & reliquas , fortitudinem , temperantiam, atque iuſtitiam , vt plures ex eis generemus filios:filias quoque noſtras demus viris , vt fidei veritas,quæ interpretatur in filiis,bonis operibus copuletur,quæ referuntur ad filias : & opera bona, iungantur fidei ſanitati , taléſque filios generantes & filias, multiplicemur in numero:vt deſtruentes ea quæ paruuli ſunt,& in perfectum creſcētes virum,audire mereamur : *Scribo vobis Patres , quoniam agnouiſtis eum qui ab initio eſt.* Cum Apoſtolo dicamus liberis noſtris:*In Chriſto enim* Iesv *, per Euangelium ego vos genui.* Quæramus quoque pacem Eccleſiæ , ciuitati & terræ noſtræ,vt ad eam redire mereamur, de qua Domini

mini iudicio tranſlati ſumus, vt habitaremus in confuſionis errore. Si enim illa ſuſceperit nos, habebimus pacem.]

19. Sic planè ſe geſſiſſe Corinthium ab Apoſtolo excommunicatum, ſcribit his præter cætera Origenes homil. 1. in Pſal. 37. [Sapiẽtem appellauit Scriptura, eum qui correptioni obnoxius eſt, non tamen odit, ſed magis diligit arguentem. Tales erant illi qui ab Apoſtolo arguebantur, & confutari non oderant arguentes. Vnde & ego arbitror, illum qui in Corintho grauiſſimè deliquerat, idcirco miſericordiam conſequutum, quoniam correptus ab Apoſtolo, & ita acerbè correptus, vt à conuentu abſcinderetur Eccleſiæ, non tamen odio habuit arguentem, ſed animaduerſionem patienter accepit, & fortiter tulit. Ego arbitror, quod etiam maiorem affectum concepit erga Paulum, atque erga omnes qui ſtatutis Pauli in eius animaduerſione paruerant. Vnde & Paulus ſententiam reuocat, & eiectum reconiungit Eccleſiæ, & addit dicens, *confirmate in eum charitatem*. Vidit enim eum poſt animaduerſionem conſeruaſſe charitatem, & ideò dixit, vt etiam poſt peccatum non tam tribueretur ei charitas (inerat enim,) ſed vt ab omnibus ea quæ inerat, firmaretur.]

Nec plura de Monitoriis, & cauendo excommunicationis contemptu. Hoc quidquid eſt operæ, (æquè & cætera Scripta noſtra omnia,) Catholicæ Eccleſiæ, & eius viſibilis Capitis iudicio, ſtet, aut cadat.

INDEX

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

A

ABBATES aliqui concedunt monitoria. 51
Abiron & ſocij, typus excommunicatorum. 533
Abſciſſio per excommunicationem qualis. 498
Abſolutio à cenſura monitorij, quid requirat in foro externo. 247
Quid in internò. ibid.
Abſolutionis à cenſura in foro interno, modus. 248
Poteſt accipi per tertium. 254
Abſolutio à cenſura, poteſt dari ſub conditione de præſenti aut de præterito. 254
An valeat ſub conditione de futuro. 258
Quid de abſolutione Sacramentali. 256
Abſolutio à cenſura monitorij non poteſt fieri à poteſtate laica. 245
A quo facienda. 244
Abſolutio à cenſura, neceſſaria eſt etiam exhibita ſa-

tisfactione. 250
Abſtenti olim,qui nunc excommunicati. 335
Achan,typus excommunicati. 535
Adamus exul,typus excommunicati. 522
Aduocati obligatio ad ſecretum. 170
Æquiuocatio ſenſibilis & inſenſibilis,quid. 190
Vſus eius in eo qui ſe compenſat. 106
Affectus quantum variet pretia. 85
Albini Epiſcopi efficacia in excommunicando. 558
Alcibiades diris deuotus,quid fecerit. 464
Ambroſij Vignatenſis ſingulare placitum. 197
Anaſtaſij Imperatoris excommunicatio & pœna. 557
Anathema Anathematis,quid. 521
Anathema eſſe,quid. 472
Notatio vocis. 473
Anathema,ſoli Epiſcopo proprium. 457
Anathematis adiuncta ſpecialia. 456
Anathema ſit,in Canonibus Conciliorum,quid. 476
Andreas Apoſtolus,quotidie ſacrificabat. 428
Angelus,non excommunicatus à Paulo. 477
Angelicæ protectionis fructus. 442
Anguillæ lacus Geneuenſis,quomodo abactæ. 583
Anilitas excommunicantium bruta. 578
Animæ defunctorum excommunicatorum, non oberrant donec abſoluantur. 355
Anima & caro Eccleſiæ,qui. 487
Annuli ſurrepti hiſtoria. 583
Anteri Papæ epiſtola,lecta Hieronymo. 502
Antiſtites procliues ad excommunicandum,fatui. 673
Antonini Archiep.Flor.inſigne factum. 660
Apparatus mouet ſpectatores. 454
Appellationes,quando friuolæ. 717

Arcadij excommunicatio & pœna. 553.& ſeq.
Arcadij Imperatoris demiſſio. 622
Archiepiſcopus an poſſit ferire ſubditos ſui ſuffraganei. 47
Archipresbyter non concedit monitoria. 51
Arcana quorum defectio lædit ius naturæ, non ſunt reuelanda vi monitorij. 170
Arcani commiſſio tanquam in confeſſione, qualis. 169
Arcanum ſub naturali ſecreto commiſſum, reuelandum aliquando. 173
Archidiaconus an concedat monitorium. 50
Aſiani quales erga Victorem. 595
Aſyli ius in Templo, ſaluum eſt excommunicato. 307
Aſſiſtentes Miſſæ, ſacrificant. 406
Arbores bis mortuæ, quæ. 643
Auditio ſacri, vtiliſſima. 408
Auguſtini locus, reſtitutus. 507
Auxilij Epiſcopi, temeritas. 498

B

BAbilæ vexatio indigniſſima. 711
Babylas occiſus à Philippo Imperatore. 616
Baptiſmus mortuorum. 344
Beatis vtile ſacrificium. 426
Beliſarij pœna. 388
Beneficiarius excommunicatus, tenetur ad horas. 315
Beneficium conferri non poteſt excommunicato. 320
Adeptio eſt nulla, etiamſi poſtea abſoluatur. 321
Beneficium conferre non poteſt excommunicatus, nec ad illud aliquem eligere. 319

Nec beneficium permutare. 320
Beſtiolæ frugiperdæ an excommunicentur. 575. & ſeqq.
Boleſlai Poloni, ſupplicium. 562
Boleſlai Poloni, rebellio erga S. Staniſlaum. 712
Bona fides, anima præſcriptionis. 117
Bona orta ex communicatione cum aliis. 379. & 380
Britannorum damna per excommunicationem. 557

C

CAdauera excommunicatorum, irreſoluta. 568 & ſeq.
Cadauer Henrici Imperatoris, refoſſum. 346
Caïn, typus excommunicati. 528
Calamitas excommunicati, quanta. 378
Calix benedictionis, Apoſtolo quid. 427
Cameræ forma obligandi, quæ. 97
Cariſius punitus. 554
Caroli Molinæi, error. 15
Catechumeni mortui non iuuantur à viuis. 449
Celebratione ſacrificij arceri, damnoſum. 462
Cenſura excommunicationem contemnentium. 376
Cenſura roborat obligationem naturalem. 141
Cerei extinctio inter excommunicãdum. 458. & ſeqq.
conculcatio. 461
Cereus, hominis ſymbolum. 460
Charitas, vigilia fidei. 655
Cherub ante Paradiſum, quid notaret. 524. & ſeqq.
Chirurgi obligatio ad ſecretum. 170
Chriſtus, Iudex. 550
Chronicon Alexandrinum vitioſum. 619
Chryſoſtomo, quid anathema. 478. & ſeq.

Non

Non ſuſtulit legitimam excommunicationem. 479
Claues S.Petro appictæ,quot. 505
Clauſulæ, *dempta parte & conſilio*, aut *nemine dempto*. 193.& ſeq.
Clauſula iuſtificatiua ad monitorium neceſſaria,quæ. 8.9.& 10.
Clemens explicatus. 292
Cœtus ſacri quàm vtiles. 410
Cognati an teneantur ſe detegere. 209.& ſeqq.
Collatio beneficij,adempta excommunicato. 319
Collecta,quid. 412
Columna damnatorum. 463.& 464
Columna ignis & nubis,cuiuſmodi. 459
Comitans ignorantia inuincibilis, præcludit malitiam. 93
Commercium cum aliis,quàm vtile. 379.& ſeqq.
Communicatio cum excommunicatis quale peccatum. 296
Communicatio externa,ſubeſt Eccleſiæ. 283
Communicatio fidelium merè interna, non adimitur excommunicato. 383.& ſeq.
Communicatio fidelium triplex. 280
Communicationis externæ priuatio, malum magnum. 82
Communionis vox quid olim ſignaret. 275
Communio duplex olim. 276
Quid nunc. 278
Communio laica,quid. 277.& 278
Compenſatio iuſta elidit monitorium. 102
Etiamſi malè fiat,ſed abſque iniuſtitia. 105
Compenſationis iuſtæ,conditiones. 102
Complex quando detegendus. 201

Concionari vetatur excommunicatus. 316
Concioni intereſſe poteſt excommunicatus. 310
Conculcantes in Eccleſia,qui. 461
Conditiones cum Sacramenti validitate compoſſibiles. 253.& ſeqq.
Confeſſarij obligatio ad ſecretum,arctiſſima. 166
Quatenus laxabilis. 174
Confeſſarius internuntius infidelis, an debitorem liberat à monitorio. 145
Confeſſarius internuntius reſtitutionis, quomodò ſe debeat gerere. 149
Confeſſarij ad Venerem ſollicitantis, enorme ſcelus. 184
Confeſſio excommunicati an valeat. 305
Confeſſio neceſſaria,etiam elapſo anno. 64
Confeſſio ſacramentalis,quænam verè ſit. 167.& ſeq.
Coniunctiſſimi,regulariter non detegendi. 208
Conſuetudo improborum fugienda. 283.& ſeq.
Contemptus excommunicationis ob vilitatem materiæ. 659
Ob frequentiam excommunicandi. 666
Contractus cum excommunicato,an nulli. 288
Contractus minùs ſolemnes irriti in quouis foro. 112
Contractus minùs ſolemnes,non ſoluunt vim monitorij. ibid.
Contumacia ad excommunicationem neceſſaria. 669
Core cum ſociis,typus excommunicatorum. 533.& ſeqq.
Corinthij ab Apoſtolo abſtenti,patientia. 720.& 721
Corpus Chriſti duplex. 325
Correctio fraterna, reuelationi indictæ per monitorium an præmittenda. 221

Correctionis fraternæ obligatio. 221.& ſeqq.
Coruus Abbatis,tabeſcens poſt excom. 583
Coruus Noeticus,cuius ſymbolum. 530
Creditor poſterior, non ligatur monitorio ad reſtituenda quæ accepit. 114.& 115
Crimen occultum reticens, an teneatur monitorio. 156.& ſeq.
Crucis tractio,deteſtanda. 468
Culpæ manifeſtæ occultus autor, num detegendus. 179

D

Damnati an iuuentur precibus. 548
Damnum graue proprium, excuſétne à reuelatione. 225
Quid de damno tertij. 228
Dæmones,Dei carnifices. 494
Dæmones nequeunt excommunicari. 265
Dathan & ſocij, typus excommunicatorum. 533.& ſeqq.
Debita num ſoluenda excommunicato. 288
Debitor quando à reſtitutione immunis. 131
Decoctor,quæ poteſt ſibi ſeponere. 130
Decor,Zachariæ quid. 517
Decretum Gratiani,quale. 589
Defuncti excommunicati. 337
Defunctorum ſubſidia,præcipua. 445.& 446
Denunciare iuſſus,ad quid tenetur. 12
Denunciationis varij fines. 218
Deo dare,accipere eſt. 421
Depoſitarius an poſſit ſe compenſare. 102

Depoſitarius depoſitum ritè negans, immunis à monitorio de reſtituendo. 118
Depoſiti negatio,quando iuſta. 119
Deportati collatio,cum excommunicato. 612
Deſiderius Longob.timet excommunicationem. 625
Diabolus,agaſo excommunicati. 610
Dies monitorio præfixi, à qua hora numerandi. 63
Dinocrates an ex inferno liberatus. 548
Diœceſis quid olim. 463
Diſtributiones negandæ excommunicato. 318
Dominium reddituum Eccleſiæ, negandum excommunicato. 318
Dominus vobiſcum, an omittendum ab excommunicato. 316
Donatarius contra ſtatutum irritans, ligatur monitorio. 105.& 107
Donatarius obærati,an ligetur monitorio. 133
Donatarius poteſt retinere donata ſine inſinuatione, donec repetantur. 110
Donatio carens inſinuatione monitorio obnoxia. 110
Donatio remuneratoria non eſt obnoxia monitorio ad reſtituendum. 109
Druydum excommunicatio. 635
Dubitans an debeat reſtituere, in pari cauſa,non vincitur monitorio. 150
Dubius an ſit excommunicatus, quomodo ſe gerat. 593
Dubius de obligatione monitorij, an teneatur reuelare. 238
Duciſſæ Burgundiæ,viridarium. 585
Duodenarius Sacerdotum aſtans Præſuli excom. 457

Eccleſia,

E

ECcleſia,Deo gratior cœlo. 435
Eccleſiæ ius ſacrum,quod. 589
Eccleſiæ membra,an ſint excõmunicati. 506.& ſeqq.
Eccleſiæ notio,multiplex. 508
Eccleſia nihil poteſt ſupra excommunicationem. 590
Ecebolius Apoſtata. 504
Edictum ignorans,non tenetur parere tranſacto tempore conſtituto. 66
Effectus peculiares ſacramentorum. 393
Eiectio,pro excommunicatione. 630
Electio ad beneficium,ſublata excommunicato. 319
Eleemoſynam excommunicato dare,an liceat. 386
Eligij vis,in excommunicando. 558
Emendatio,an eximat obligatione reuelandi. 184
Emptor bonæ & malæ fidei. 121.quando poſſint contractum reſcindere. 122.& ſeqq.
Emptor bonæ fidei quando monitorio non ligetur. 123. malæ fidei ligatur. 123
Emptor & donatarius fiduciarij vinciuntur monitorio præcipiente reſtitutionem bonorum obærati. 137
Emptor & donatarius obærati quando ligentur monitorio. 135.& ſeq.
Energumeniſmus excommunicati,qualis. 493.494
Epiphanij prænotio diuinitùs iniecta. 718
Epiſcopus,dictus Presbyter. 602
Epiſcopus non poteſt dare facultatem communicandi cum excommunicato. 292
Epiſcopus, poteſt abſque alieno conſilio excommunicare

nicare.677.an expediat. 676
Epiſcopus tenetur vitare quem excommunicauit. 291
Epiſtola per parochias miſſa ab excommunicante. 462
Eraſmi, ſtulta fortitudo. 378
Eſſenorum excommunicatio. 634
Ethnici quanto horrori Iudæis. 511
Ethnicos non tenemur vitare. 294
Ethnicus non tenetur vitare excommunicatum. 295
Euchariſtia, bonum ſummum Chriſtianorum. 278
Euchariſtiæ perceptio ab excommunicato, quotuplex peccatum. 304
Euchariſtiæ priuatio, ariditatem cordis inducit. 401
Euchariſtiæ vſu arceri, calamitoſum. 398
Euchariſtia, fons paradiſi. 397
Euchariſtia, ſacra panoplia. 400
Eudoxiæ Auguſtæ excommunicatio; & pœna. 552
Eunuchi nomen, ampliatum. 495
Excommunicatio, animam etiam attingit. 389
Excommunicatio an ſit pœna. 608
Excommunicatio adhæret excommunicato vbilibet. 288
Excommunicatio, exuit vita homines. 382
Excommunicationem qui neglexerint. 375
Excommunicatio generalis, quæ. 7
Excommunicatio, grauior exilio. 384
Excommunicatio ipſo facto, Ayalæ improbata. 702
Excommunicatio Græcorum. 636
Item Romanorum. 637
Excommunicatio irrationalium ac Dæmonum, impropria eſt, vt & hominum à laicis 265. & ſeq.
Excommunicatio, medicina. 369

Excommunicatio minor,quæ. 273
Excommunicatio,miſericors ſeueritas. 372
Excommunicationis antiquæ nomina. 335
Excommunicationis dubium. 593
Excommunicationis honeſtas probatur. 367.& ſeq.
non eſt contra lenitatem. 357. & ſeqq.
Excommunicatio ſimpliciter,in quo ſita. 334
Excommunicationis pœna, eſt etiam interna. 389
Excommunicationis vox,an Latina. 336
Excommunicationis vox,quid modò denotet. 274
Excommunicatio an poſſit retrotrahi. 75
Excommunicatio non incurritur ante terminum monitorio præfixum. 61
Nec poſt eum, quoties non paretur, incurritur noua. 67
Excommunicatio pœna grauiſſima.590. eſt mucro. 590.eſt remedium extremum. 592
Excommunicatio priuat diſtributionibus. 318
Excommunicatio impedit acquiſitionem dominij redditūum Eccleſiaſticorum. 318
Excommunicatio perſtat in mortuo, quam viuens contraxit. 341
Excommunicatio non poteſt intorqueri in incertum. 35
Excommunicans ob minutias,peccat mortaliter. 660
Excommunicato ſuſcipere quodcumque Sacramentum,nefas. 303
Excommunicatus collatus hæretico. 610. cum mortuo. 611
Excommunicatus,fœtet. 385
Excommunicati calamitas. 378
Excommunicatorum varia ſupplicia. 552.& ſeqq.

Excommunicatus licèt toleratus non poteſt ſepeliri in loco ſacro. 348
Excommunicatus,mortuus ciuiliter. 384
Excommunicatus non eſt irregularis contra Maiolum. 323
Excommunicatus non poteſt cum excommunicato communicare. 293
Excommunicatus iniuſtè an patiatur damnum coram Deo.705.quid ei agendum.707.quid iuſtè excommunicato. 708
Excommunicatus non poteſt ſacrificare, & celebrare ſolenniter officia. 315
Excommunicatus priuatur fructu orationum in perſona Eccleſiæ. 327
Excommunicatus priuatur protectione ſpeciali Dei, & Angelorum. 333
Excommunicatus qua priuetur ſepultura. 345
Excommunicatus quibus cum perſonis poſſit agere. 299
Excommunicatus toleratus, poteſt miniſtrare Sacramenta petentibus. 314
Excommunicatum vitare, omnes Chriſtiani tenentur. 290
Exempla mortuorum excommunicatorum. 337
Exempla omnium,tormenta paucorum. 552
Exemplum,pro ſupplicio. 364
Exempti à iudice,reuelare non tenentur. 237
Exilij incommoda in excommunicatione. 384
Exilium,leuius excommunicatione. 384
Ex nunc,ex tunc,quid ſonent in monitoriis. 74.76
Expenſas pro reuelatione, quis debeat. 231
Expenſæ reſtituendæ. 148

. Fabiani

F

FAbiani Papæ zelus in Philippum. 615
Faciens quod in ſe eſt vt ſatisfaciat, non eſt detegendus vi monitorij. 215
Feriatus dies, non obſtat conceſſioni monitorij. 60
Feſta ſolemnia, monitoriis ferendis inepta. 60
Ficus cur à Chriſto arefacta. 588
Fidei clades ex mala vita. 646
Fidei defectus, varij. 642. & ſeqq.
Fiduciarij emptoris ab obærato, obligatio. 134
Fiduciarij emptores num ligentur monitorio. 137
Filius in dubio de patris mente ligatur monitorio. 129
Filius monitorio lato ad fiſci vel creditorum inſtantiam, ob bona patris reſtituenda, ligabitur ni pareat. 130
Filius ſpiritualis an Patrem poſſit detegere. 210
Quid de filio carnali. ibid.
Florentini excommunicati, pœna. 553
Foras mitti, quid. 503
Forenſes actiones quibus interdicitur excommunicato. 301
Fortitudo martyrum, nata ex vſu Euchariſtiæ. 400
Fortitudo ſtulta, contemptorum excommunicationis. 378
Fructus ex re aliena, an reſtituendi vi monitorij. 148. 149
Fructus qui reſtituendi. 148
Fulconis Epiſcopi, impia cædes. 559
Funiculus, Zachariæ, quid. 517

Furis & furti detectio,mandari poteſt. 178
Furta modica quando lethalia. 87
Fur quis propriè in monitorio de furto. 84
Furtum,morte plecti poteſt. 22

G

GAllis, cauendus contemptus excommunicationis. 640
Geïſerici crudelitas. 386
Gener mala fide dotem ab obærato accipiens, num ligetur monitorio. 137
Gennadij Epiſcopi zelus. 555
Germanorum excommunicatio. 639
Gladius Eccleſiaſticus,quis. 501
Gladius S.Petri cur obductus rubigine. 659
Gothardi Epiſcopi,miraculum. 338
Græcorum deuotio. 636
Gratiani decretum,quanti momenti. 589
Gratiarum actio,fructus ſacrificij. 426
Gregorij magni edictum,contra infamatorem. 192
Gregorij magni oratio pro Traiano,fabuloſa. 548
Gregorij Syracuſani temeritas. 707

H

HÆres inſtitutus data fide de bonis indigno refundendis, an ligetur monitorio. 125.& ſeq.
Hæretici bis mortui. 643
Hæreticus formalis, an corrigendus ante denunciationem. 223
Henrici tertij Imperatoris punitio. 561
Henrici IV. Imperatoris pœnæ. 562

Henricus Imperator extumulatus. 346
Hippias,ſibi omnia. 379
Honores funebres excommunicato adempti. 345
Hugonij Gratianopolitani zelus.562. miraculum hodiéque durans. 582
Hugonis Lincolnienſis vis in excommunicatos. 563

I

IGnatij martyris,dictum. 480
Ignis Purgatorij acerbitas. 452
Ignorantia inuincibilis tollit culpam. 93
Ignorantia excludit excommunicationem. 670
Increpatio dura,quæ. 518
Indigena quotupliciter ſe habeat reſpectu monitorij. 38
Indulgentia valet tantum pro rata motiui. 83
Indulgentiis caruêre Iudæi. 630.& 631
Indulgentiis excludi,damnum ingens. 440
Indulgentiis priuatur excommunicatus. 330
Infamia cauenda in monitorio. 31
Infamia excommunicati. 610
Infidelibus negandum monitorium. 56
Iniuſta excommunicatio,ſæpè valida. 330
Iniuſta excommunicatio, quando non timenda. 704 & ſeqq.
Iniuſta excommunicatio,multiplex. 700
Innocens an detegendus vi monitorij. 212
Innocenti excommunicato,quid faciendum. 707
Inſordeſcentes in excommunicatione,ſuſpecti hæreſeos. 716
Inſordeſcentia in excommunicatione, quid exigat. 716.eius pœnæ.717

Interna communicatio,ſalua excommunicato. 383
Ioannis Eleemoſynarij humilitas. 605
Ioannis Vicentini,decora. 586
Impotentia inuoluntaria ad ſoluendum, monitorij vim tollit. 95.& ſeqq.
Imprecationes an illicitæ. 469
Inſinuatio ad quas donationes neceſſaria. 110
Interdictum aliquod,admodùm ſeuerum. 270
Interdictum,excommunicatio impropria. 269
Interdictio aqua & igni, collata cum excommunicatione. 638
Interdiu tantùm ferendum monitorium. 61
Internuntij infidelitas ſoluátne debitorem à monitorio lato in non reſtituentem? 144.& ſeq.
Inuidia,affectus Iudaicus. 224
Iobi pro filiis preces. 451
Ionas,typus excommunicati. 538
Irenæi cura pro Aſianis. 595
Irrationalia nequeunt excommunicari. 265
Iubilæi cenſura ſublata,cur non reuiuiſcat. 146
Iudæis negandum monitorium. 56
Iudæ Machabæi pro mortuis preces. 451
Iudaica excommunicatio, quomodò ſe habuerit ad noſtram.539.qualis olim.628. quotuplex 631. hodierna qualis.632
Iudex, correctionis fraternæ omiſſionem non poteſt imperare. 222
Iudicij finalis & excommunicationis analogia. 543. & ſeqq.
Iulianus Apoſtata, excommunicationi laruam adhibuit. 472
Iuramentum an reuelationi addendum. 220

Iuramentum de non reuelando, an eneruet monitorium. 236
Iuramentum de non reuelando, an liget. 236
Iuridica interrogatio quæ. 191
Iuriſdictionis voluntariæ locus. 58
Iuriſdictio fori Eccleſiaſtici cõtentioſi, periculoſa. 433
Iuriſdictione quauis ſacra priuatur excommunicatus. 332
Iuſtiniani licentia circa res ſacras. 55
Iuſtinianus Imperator explicatus. 55

L

LÆſus, an teneatur lædentem detegere, vi monitorij. 183
Laica communio quid. 277
Laicæ poteſtatis ius circa monitorij publicationẽ. 33
Laicus ſe fingens Sacerdotem, an teneatur ad ſigillum. 167
Lapides iacti inter excommunicandum. 469
Laurentij Boucheli circa monitorij materiã, lapſus. 13
Et circa cauſam eius efficientem. 53. & circa abſolutionem. 246
Legatus à latere concedit monitoria. 47
Lemouicenſis Concilij, decretum aſperrimum. 322
Lenitas Sacerdotibus congruentiſſima. 28
Lenitatis defectus irregularem faciens, quis. 26
Leopoldi Auſtrij, obduratio & pœna. 565
Leodaſti excommunicati, pœna. 558
Lepra excommunicati. 317. & 289
Leproſorum eiectio, typus excommunicationis. 533
Ligamen excommunicationis. 514
Literæ ad vita functos datæ. 556

Locus exemptus,immunis à monitorio. 41
Locus ferendi monitorij. 58
Locuſtarum analogica excommunicatio. 584
Locus videntium,Eccleſia. 645
Lotharius,Deum vltorem expertus. 559
Lucernæ pro cereis. 458

M

MAchates,ſiue Maclouius,Britannos excommunicat. 557
Maledictiones improborum,an licitæ. 469
Manſuetudo,nouit ſæuire. 372
Marcion à ſuo patre excommunicatus. 507
Marani vnde dicti. 483
Maranitæ, populi Arabes. 484
Maranatha quid. 481
Maria quomodo ſoror Moſis. 531
Fuit typus excommunicati. ibid.& ſeq.
Martyrologij vox,extenſa. 495
Martyres ab Euchariſtia fortes. 400
Martyr,excommunicatus. 338.& 352
Martini V. conſtitutio , non fauet excommunicatis. 298
Mathildis Reginæ humilitas munifica. 20
Materia non vulgaris, pro paupere , quæ. 20.21
Matrimonium an poſſit celebrari coram Parocho excommunicato. 313
Medici obligatio ad ſecretum. 170
Melancthonis error. 635
Memento Sacerdotis,non excludit excommunicatos. 331

Mendacium à quibuſdam Patribus approbatum, quale. 191
Metus quando excuſet à lege humana. 94
Metus grauis ab excommunicatione. 614
Minor excommunicatio, quæ. 273
Miſſæ ſacrificio intereſſe non poteſt excommunicatus. 307
Miſſam audiens, ſacrificat. 406
Miſſæ auditione, quantum Deus colatur. 405
Modus faciendæ reuelationis per monitorium mandatæ. 220
Monaſtica excommunicatio, quæ. 271.272
Monitio quatenus præmittenda excommunicationi. 693
Monitorium vnde dictum. 6. quid ſit. 6. quotuplex. 11
Monitoria concedi poſſunt pro re temporali. 13. 14. 15
Monitoria dicta, *excommunicationes Paulinæ.* 14
Monitoria vtiliter tractantur. 1. & ſeq.
Monitorij cauſæ. 5
Monitorij finis, duplex. 10
Monitorij materia. 13
Debet eſſe non vulgaris. 18
Monitorio ad reſtituendum lato, quis ligetur. 81
Monitorio non ligatur, quem Iudex eo intactum voluerit. 92. & 93. nec quem pars exemptum vult. 128
Monitorium debet ferri in ſubditum. 37
Monitorium, extremum remedium. 23.24
Monitorium, excommunicatio generalis. 7
Monitorium in criminali cauſa, licitum iure naturali. 25.26

An liceat iure poſitiuo. 27.& ſeq.
Monitorium in furem, exigit materiam grauem ex natura ſua. 84
Quando tamen liget pro re leui. 87
Monitorium inuehens infamiam,illicitum. 31
Monitorium negandum Iudæis,aut infidelibus. 56
Item notoriè criminoſis,aut excommunicatis. 57
Monitorium non obligat regulariter ad longinquam profectionem,vt quid retegatur. 230
Monitorium non poteſt obligare ad reuelationem ſecreti confeſſionis. 166
Monitorium pro ſumma falsò expoſita,nullum. 82
Monitorium quando non ligat ſubditum alibi degentem. 40.& 43
Mortuus plenè purgatus, beatur ante abſolutionem ab excommunicatione. 350.ad 354
Mortui fideles,excommunicationis capaces. 337
Non tamen directè. 339. priuantur ſuffragiis. 350
Mortuis fructuoſum ſacrificium. 425
Mortui analogia cum excommunicato. 611
Mors ciuilis,excommunicati. 384
Mortale peccatum ſolum, materia excommunicationis. 662
Nec tamen quoduis mortale. 664
Nec prorſus præteritum. 667
Moſes trucidans,Antiſtes excommunicans. 531
Muſcæ à S. Bernardo abactæ. 582
Mures excommunicati,quomodò. 584
Mutans domicilium in fraudem, an eximatur monitorio. 43

Nabucho

N

NAbuchodonoſoris eiectio, ſymbolum excommunicationis. 538
Nantini excommunicati horrendus obitus. 557
Neceſſitas abſolutionis à cenſura, etiam facta ſatisfactione, miraculo probatur. 251
Neceſſitas excuſans excommunicatum ſuſcipientem ſacramentum. 304
Quæ excuſet excommunicantem, miniſtrantem ſacramentum. 312
Negatio depoſiti quando iuſta. 119
Nemine dempto in monitorio quid conferat. 216. & 193. ac ſeqq.
Neuizanus, cuiuſmodi autor. 2
Nigrum theta, quorſum. 473
Noctu non poteſt ferri excommunicatio. 61
Noëticus coruus, ſymbolum excommunicati. 530
Non manifeſtans, quis dicatur. 242
Nonna, vitat Ethnicos, non ſecùs atque excommunicatos. 294
Notari, quid apud Paulum. 519
Notariorum ſchedæ puræ. 693
Notario criminoſo, negandum monitorium. 56
Nouendialia. 449
Nuncius Apoſtolicus concedit monitoria. 47

O

OBærati donatarius, an poſſit ligari monitorio. 133

Obærati complex, an ſe prodere debeat. 205
Oblationes excommunicati, quæ repellendæ. 310
Oblationes alicuius reſpui, magnum damnum. 420
Obligatio *ad niſi*, quænam. 97
Obligatio exequendi, quamdiu duret. 64
Obligatio monitorij, durat toto tempore præfixo monitorio. 77. 78
Obligatio detegendi quos pars vel Iudex monitorio excluſit, nulla eſt. 215
Oblocutiones de Paſtoribus, indigniſſimæ. 713
Obteſtationes ad vitandam irregularitatem. 26
Occulta prorſus culpa, quæ. 156
Occultus autor culpæ manifeſtæ, an retegendus. 179
Occultus reus iam emendatus, an retegendus. 184
Odelrici Monachi ſeueritas. 270
Officiis diuinis excluditur excommunicatus. 308
Officij recitandi priuatim obligatione non eximitur ſacerdos, aut beneficiarius excommunicatus. 315
Officialium mali mores. 433
Olla & virga apud Prophetam, quid. 459
Omittens ſine culpa, non detegendus. 212
Oratio in templo, fructuoſior. 404
Oratio per miniſtros Eccleſiæ, efficax. 437
Orationes in perſona Eccleſiæ quæ ſint. 328
Oratio priuata, fieri poteſt pro excommunicato. 331
Oratio pro excommunicatis in Paraſceue. 328
Oratio publica, dicta *collecta*. 412
Oratione publica priuari, quantum malum. 419

Oratio priuata coram excommunicatis fieri poteſt. 309
Orationis publicæ, efficacia. 413.& ſeqq.
Orationi publicæ, non nocet improbitas miniſtri. 437
Ordo præſcriptus an caſſet monitorium, ſi omittatur. 24
Othonis ſubita mors. 559
Ozias Rex eiectus, typus excommunicati. 536

P

PAnis excommunicati, miraculum. 586.& 661
Papa Romanus, caput omnium. 717
Pars cui dandum monitorium, quæ. 56
Partis condonatio an tollat cenſuram. 252
Patres quanti faciendi. 594.607
Paulus vſus eſt excommunicatione. 373
Pauli benignitas in reſipiſcentem. 721
An excommunicarit pro culpa præterita. 669
Paulinæ excommunicationes, quæ. 14
Peccator quilibet, quatenus infidelis. 652
Peccatum præteritum an ſit materia excommunicationis. 667
Peregrinus, ob excommunicationem Apoſtata. 713
Permutatio beneficij, negata excommunicato. 320
Perſona Eccleſiaſtica certa, poteſt vrgeri per monitorium. 34
An item laica. 35.& 36
Perſonæ quæ deliquit, reuelatio indici poteſt. 177
Perſonæ valdè coniunctæ quænam. 210
Philippi Auguſti beneficium à S. Dionyſio. 339

Philippi Imperatoris demiſſio. 615
Scelera. 616.& ſeqq.
Phinées trucidans noxios,cuius typus. 536
Pictura ſacrarum imaginum interdicitur excommunicatis. 302
Plantæ excommunicatæ,quomodò. 585.& ſeqq.
Pœnæ impiorum,cur non æquè in omnes. 572
Pœnarum ſanctificationes. 552
Pœnitentiæ ſacramento priuari quàm damnoſum. 396
Pontificiæ excommunicationes ſunt difficilè iniuſtæ. 704
Pontificiam cenſuram,in dubio quis tollat. 246
Poſſidentis conditio melior,in cauſa pàri. 151
Poteſtas laica non abſoluit à cenſura. 246
Non poteſt ferre monitorium. 53
Prædicandi prohibitio,magnum damnum. 430
Præfecturæ ſacræ,periculoſæ. 432
Prælati potientes iuriſdictione quaſi Epiſcopali, poſſunt concedere monitorium. 51
Prælatus , an poſſit ſuo motu concedere monitoria. 55
Prælatus Regularis vbilibet ligat ſuos. 46
Præſcriptio legitima , monitorium elidit. 116
Præſcriptio non cadit in facultatem excommunicandi. 54
Preces communes,ſacrificium alterum. 450
Presbyteri dignitas. 602
Pretia , raritate augentur. 672
Priuatio externæ communicationis quid contineat. 287
Priuilegiati teſtes,qui. 232

Probari

Probari poteſt, quod eſt reuelandum vi monitorij. 161.& ſeq.
Procuratoris obligatio ad ſecretum. 170
Prodigalitas monitoriorum, lethalis. 18
Profectio longinqua, an neceſſaria ad parendum monitorio. 230
Promiſſionis vinculum, quale. 120
Promiſſio acceptata, vrgeri non poteſt monitorio. 120
Promulgatio monitorij, dedecet dies valdè ſolemnes. 60
Promulgator monitorij, an poſſit ſe excipere. 217
Propoſitiones, quatenus anathemati ſubdantur. 477
Protectionis diuinæ & Angelicæ neceſſitas. 442
Ea priuari, grauiſſimum. ibid.
Prouentibus Eccleſiæ abuti, damnoſum. 435
Sunt ſanguis Chriſti. ibid.
Publicanorum ſcelera. 511
Publica oratio, quæ. 328
Publicatio monitorij aliquando ſine peccato impeditur. 33
Purgatorij acerbitas. 452
Pyrrhus, quàm ſolemniter excommunicatus. 466

Q

QVantitas pretij, per affectum quoque penſanda. 85
Quantitas rei, penſatur ſæpè reſpectiuè. 20
Quantitas rei temporalis digna monitorio. 19. & ſeqq.
Quæſtus turpes ex monitoriis. 15

Querelæ excommunicatorum in Præſules. 713
Querelę Sectariorum de Rom.Eccleſia,ridiculæ.665
Quorum intereſt,qui dicantur in iure. 57

R

RAritas pretium auget. 672
Rebelles Epiſcopis,inſani. 711
Relegatus cum excommunicato collatus. 612
Repetitio donorum non inſinuatorum, qualis ſufficiat. 111
Reſpha,typus Eccleſiæ iuuantis defunctos. 452
Reſtitutio grauiter debita, quamuis acceptio leuiter mala fuerit. 191
Poteſt per tertium fieri. 149
Quomodo facienda vi monitorij. 147
Retentio Scripturarumtquando mortalis. 139
Reticens contra monitorium, an peccet contra iuſtitiam. 240
Retrotractio excommunicationis. 75
Reuelatio clarè facienda. 219
Et cui.218.Duplex eius modus. ibid.
Reus vi monitorij, an ſe detegere teneatur. 188. & 197
Reus cur ſe prodere debeat,& non ſibi coniunctum. 209
Reus non iuridicè interrogatus, ſubterfugere poteſt. 191
Reus occultus iam emendatus,an detegendus. 184.& ſeq.
Reus quando debeat præſumi emendatus. 185
Richardi Præſulis,vis in excommunicando. 565

Rigor antiquus in excommunicatos mollitus. 296
Roberti Regis,punitio. 561
Romanæ diræ. 637
Roſacea ſerta,excommunicata,quomodo. 586
Ruffinus interpolator Euſebij. 596

S

SAcerdos ſacrificans,orbis ſanctificator. 424
Sacerdotis munus,quantum. 424
Sacerdotis ſacrificio prohibiti,damnum. 428
Sacramenta adminiſtrare per ſe, prohibetur excommunicatus Sacerdos. 312
Sacramenta,fœta Chriſti meritis. 392
Sacramenta veteris legis,vacua. 391
Sacramenti Pœnitentiæ priuatio miſerrima. 396
Sacramenti ſuſceptio,vetita excommunicato. 303
Sacramentorum vſu arceri,graue. 394
Sacramentorum vtilitas. 390
Effectus eorum peculiares. 393
Sacramentalia quid.306. eorum vtilitas.402.vnde. 403
Priuatur eorum vſu excommunicatus. 306
Quantum id malum. 404
Sacrificij quotidiani,vſus. 429
Sacrificium,fit etiam ab aſſiſtentibus. 406
Sacrificiorum pro mortuis varietas. 449
Sacrificium,prodeſt etiam beatis. 426
Sacrificij Chriſtiani fructus. 424
Vtiliſſimum mortuis. 425
Sacro non poſſe intereſſe,quale damnum. 409
Salis infatuatio. 504

Salutatio

Salutatio Deiparæ initio concionis,an ſit publica oratio. 309
Samaritani,typus excommunicatorum. 539
Sanguine Chriſti exaratæ excommunicationes. 485
Sanctorum communio,quæ. 281
Satanæ deiect o, an typus excommunicationis. 520
Satisfactio exhibita non excludit abſolutionem. 251
Satisfactiones communes, excommunicato inutiles. 330
Scandalum ex Rectorum improbitate. 658
Schedula denunciantis,quid conferat. 220
Scibboleth,fides. 651
Scientia vera requiritur,vt monitorium obliget. 175
Quid ſit in hac materia. 176
Scripturarum detentio mortalis, obnoxia monitorio. 138.Quando ſit mortalis. 139
Secretum confeſſionis,non laxabile vi monitorij.166
Separatio,olim dicta excommunicatio. 629
Sepultura excommunicati in loco ſacro,graue peccatum. 346
Sepultura ſacra negatur excommunicato. 345
Eius negatio,quàm damnoſa. 447
Sigillum ſacramenti pœnitentiæ,quàm arctum. 166
Signa ſegregationis,Nyſſeno quæ. 598
Sigeberti Angli,punitio.
Solemnitates anathematis. 456.& 467
Solemnitates excommunicationis,multiplices. 701
Solitudo,pœnam auget. 387
Solutio cum præiudicio anteriorum creditorum, qualis. 115
Somnus fidei. 648
Spes profectus excommunicanti ſpectanda. 670

dempta

dempta neceſſitate communis boni. 671
Statuti irritantis violator, obnoxius monitorio. 107
Stigmata ſeruorum. 519
Stiliconis ſeruus excommunicatus, punitus. 553
Subditus ſolus, feritur monitorio. 37
Subditus ratione delicti, quis. 45
Subditus alterius Epiſcopi quomodò poſſit ab alio feriri. 44
Submiſſionum abuſio. 693
Subſidia defunctorum, præcipua. 446
Suffragia quæ negantur excommunicatis. 330
Suffragiorum communium priuatio, magnum damnum. 436.& ſeq.
Suffragiorum vis, exemplo probata. 438.& 439
Suſpenſio, excommunicatio impropria. 269
Symmachi Papæ prædictio. 556

T

Templi aſylum, etiam pro excommunicato. 307
Templi vtilitas ad orationem. 404
Temporis diſpendium, quod ſarciendum. 231
Tempus nullum, conſtitutum ferendo monitorio. 60
Terminum præfinitum, aliquando præuenire obligamur. 70.71.& 72
Terminus monitorij, prorogatur ex ſola voluntate partis. 67.68.& 69
Terminus monitorio præfixus, quomodo accipiendus. 61.& ſeqq.
Numeratur tantum poſt tempus notitiæ. 62
Territorio in alieno, quid poſſint Prælati. 58

Territorium proprium quando ad ferendum monitorium exigatur. 58
Tertij damnum an eximat obligatione reuelandi. 228
Teſtamento minùs ſolemni accepta, non ſunt monitorio obnoxia. 112
Teſtamentum minùs ſolemne, valet in foro interno. 112
Teſtamentum poteſt condi ab excommunicato. 300
Teſtes iure humano inhabiles ligantur monitorio. 235
Teſtium priuilegiatorum duplex genus. 232
Teſtis obligatio ad reuelandum, qualis. 240
Teſtificatio ex parte conuenit cum ſcriptura. 139
Theodori Papæ factum in Pyrrhum. 466
Theodoſij Abbatis tenera conſcientia. 625
Theodoſij Magni, demiſſio. 620
Theodoſij Iunioris, pietas. 625
Theſſalicæ perſuaſiones, quæ. 54
Timor cenſuræ, etiamſi iniuſtæ. 696. & ſeqq.
Toleratus excommunicatus, miniſtrat Sacramenta petentibus. 314
Torquens in lacu Geneuenſi, quid. 583
Traditio Satanæ, quid. 485. & ſeqq.
Traiani liberatio ab inferis, conficta. 548
Tranſiens per alienam Diœceſim, non ligatur monitorio. 44
Tremor Caïni, qualis. 529
Turpionis Epiſcopi zelus. 263
Typi varij excommunicationis. 520. & ſeqq.

V

VAſſallus non vrgetur ad reuelandum contra Dominum. 226
Vicarius

Vicarius Generalis,concedit monitoria. 47.& ſeqq.
Vicarij Generalis poteſtas,quomodo ceſſet. 49
Vincula excommunicationis. 514.& 515
Violans legem in loco exempto,non poteſt feriri monitorio,etiam à proprio Epiſcopo. 41
Virga,pro excommunicatione. 516.& ſeqq.
Viſum de Purgatorij acerbitate. 453
Victoris Papæ in Aſianos concitatio. 595
Viuentis excommunicatio durat in defuncto. 341
Vltio diuina in ſicarios S.Thomæ. 567
Vorrilongi lapſus. 473
Vrbanus V.cur ſibi Pontificatum gratularetur. 673
Vtilitates lenientes aſperitatem excommunicationis. 373
Vxor in dubio de viri mente,ligatur monitorio. 129

X

XAuerij excommunicatio in impium, firmata diuinitùs. 571

Z

ZAmbri,typus excommunicati. 535
Zerola refutatus. 22
Zozimi excommunicati ſupplicium. 552

FINIS.

Menda ſic emenda.

Pag.147.*Non ante*,lege,*num ante.*
Pag.261.*Cauſa*,lege,*cauſas.*
Pag.452.*Aia*,lege,*Aia.*

VA1 1932130

78-[illegible] 21
E